APOCALYPSIS

Explicata secundum Sensum Spiritualem

UBI REVELANTUR ARCANA

quae ibi praedicta et hactenus recondita fuerunt

OPUS POSTHUMUM

EMANUELIS SWEDENBORGII

AD FIDEM EDITIONIS PHOTOLITHOGRAPHICAE 1870 HOLMIAE EXCUSAE

VOL. IV

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

20 COOPER UNION

MDCCCLXXXV

CAPUT XII.

ET signum magnum visum est in caelo; mulier circumdata sole, et luna sub pedibus ejus, et super capite ejus corona stellarum duodecim.

2. Et in utero habens clamavit parturiens, et cruciata parerere.

3. Et visum est aliud signum in caelo; et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem, et super capitibus suis diademata septem.

4. Et cauda sua traxit tertiam partem stellarum caeli, et projecit illas in terram; et draco stetit coram muliere futura parere, ut postquam peperit, fetum ejus devoraret.

5. Et peperit filium masculum, qui futurus pascere omnes gentes virga ferrea; et raptus est fetus ejus ad Deum et thronum Ipsius.

6. Et mulier fugit in desertum, ubi habet locum praeparatum a Deo, ut ibi alant eam diebus mille ducentis sexaginta.

7. Et factum est bellum in caelo; Michael et angeli ejus pugnarunt cum dracone, et draco pugnavit et angeli ejus.

8. Et non praevaluerunt, et non locus inventus eorum amplius in caelo.

9. Et projectus est draco ille magnus, ille serpens antiquus, vocatus diabolus et satanas, seducens uni-

versum orbem, projectus est in terram, et angeli ejus cum illo projecti sunt.

10. Et audivi vocem magnam dicentem in caelo, Nunc facta est salus et potentia et regnum Dei nostri, et potestas Christi Ipsius, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, accusans illos coram Deo nostro dies et noctes.

11. Et illi vicerunt eum per sanguinem Agni, et per verbum testimonii illorum, et non dilexerunt animam suam usque ad mortem.

12. Propter hoc gaudete, caeli, et in illis habitantes: vae habitantibus terram et mare, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod exiguum tempus habeat.

13. Et cum vidit draco quod projectus in terram, persecutus est mulierem quae peperit filium.

14. Et datae mulieri duae alae aquilae magnae, ut volaret in desertum in locum suum, ubi aleretur ibi tempus et tempora et dimidium temporis, a facie serpentis.

15. Et ejecit serpens post mulierem ex ore suo aquam tanquam flumen, ut illam a flumine absorptam faceret.

16. Et adjuvit terra mulierem, et aperuit terra os suum, et deglutivit flumen quod ejecit draco ex ore suo.

17. Et iratus est draco contra mulierem, et abivit facere bellum cum reliquis seminis ejus, observantibus mandata Dei, et habentibus testimonium Jesu Christi.

18 [*B. A.* xiii. 1]. Et steti supra arenam maris.

EXPLICATIO.

VERSUS I, 2.

705. *"Et signum magnum visum est in caelo; mulier circumdata sole, et luna sub pedibus ejus, et super capite ejus corona stellarum duodecim. Et in utero habens clamavit parturiens, et cruciata parere."*

1\. *"Et signum magnum visum est in caelo,"* significat *testificationem Divinam de futura ecclesia, et de receptione doctrinae ejus, et a quibus impugnabitur* [n. 706]; *"mulier circumdata sole,"* significat *ecclesiam apud illos qui in amore in Dominum sunt, et inde in amore erga proximum* [n. 707]; *"et luna sub pedibus ejus,"* significat *fidem apud illos qui* [[1]*naturales sunt, et*] *in charitate* [n. 708]; [*"et super capite ejus corona stellarum duodecim,"* significat *sapientiam et intelligentiam illorum qui ab ea ecclesia, per doctrinalia et cognitiones omnium veri et boni ex Verbo*] [n. 709].

2\. *"Et in utero habens,"* significat *nascentem doctrinam ex bono amoris caelestis* [n. 710]; *"*[2]*clamavit parturiens, et cruciata parere,"* significat *non receptionem ab illis qui in ecclesia, et resistentiam illorum qui in fide separata a charitate sunt* [n. 711].

706[a]. [*Vers.* 1.] *"Et signum magnum visum est in caelo."*—Quod significet *testificationem Divinam de futura ecclesia, et de receptione doctrinae ejus, et a quibus impugnabitur,* constat ex significatione "signi magni in caelo," quod sit manifestatio et testificatio Divina; quod sit de ecclesia et de receptione doctrinae ejus, tum de impugnatione ejus, constat ex sequentibus: per "mulierem" enim intelligitur ecclesia, per "filium ejus masculum" doctrina, ac per "draconem et angelos," et dein per "bestias," intelliguntur qui ecclesiam et doctrinam ejus impugnaturi sunt. Quod visio illa dicatur "signum magnum" est quia per "signum" intelligitur manifestatio Divina de futuris et testificatio, hic de futura ecclesia et ejus doctrina, et quoque de impugnatione ejus ab illis qui per "draconem" et per "bestias" intelliguntur; haec vocatur "signum" ex eo, quia manifestat et intestatur. In Verbo multis in locis dicitur "signum" et "miraculum;" et per "signum" intelligitur id quod indicat, testatur et persuadet de re quaesita, at per "miraculum" intelligitur id quod excitat, percellit et stuporem inducit; ita signum intellectum et fidem movet, et miraculum voluntatem et ejus affectionem; nam voluntas et ejus affectio est quae excitatur, percellitur et obstupet, ac intellectus et ejus fides est quae persuadetur, cui indicatur, et pro qua testificatio fit. Quod signum et miraculum differant, constare potest ex eo, quod Judaei, tametsi tot

miracula a Domino facta viderunt, usque ab Ipso petierint signa; et quoque ex eo, quod prodigia facta in Aegypto et in deserto dicantur nunc "signa" nunc "miracula," et quoque utrumque; ac praeterea constat ex eo, quod in Verbi singulis sit conjugium veri et boni, proinde etiam intellectus et voluntatis, nam verum est intellectus et bonum est voluntatis, et inde quoque signa ibi se referunt ad illa quae veri, ita quae fidei et intellectus sunt, ac miracula ad illa quae boni, ita quae affectionis et voluntatis sunt; inde nunc patet quid per "signa" et quid per "miracula," ubi utraque nominantur in Verbo, in specie intelligitur, ut in sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> "Obdurabo cor Pharaonis, ut multiplicem signa mea et miracula mea in terra Aegypti" (*Exod.* [1]vii. 3);

apud eundem,

> "Dedit Jehovah signa et miracula magna et mala in Aegypto, in Pharaone, et in omni [2]domo ejus" (*Deutr.* vi. 22);

apud eundem,

> Tentavit "Jehovah venire ad accipiendum Sibi gentem e medio gentis per miracula, per signa, et per stupenda" (*Deutr.* iv. 34);

apud *Davidem*,

> "Non meminerunt...diei, ...quo Jehovah posuit in Aegypto signa.., et prodigia..in agro Zoanis" (Ps. lxxviii. 42, 43);

apud eundem,

> "Posuerunt inter eos verba signorum [3]Ipsius, et miracula in terra Chami" (Ps. cv. 27);

apud eundem,

> "Misit signa et miracula in medium tui, Aegypte, in Pharaonem, et omnes servos ejus" (Ps. cxxxv. 9);

apud *Jeremiam*,

> "Qui posuisti signa et miracula in terra Aegypti, et usque ad diem hunc, etiam in Israele, atque in hominibus,....et,eduxisti populum tuum Israelem e terra Aegypti, per signa et per miracula" ([4]xxxii. 20, 21).

ex his patet quod prodigia facta in Aegypto, et postea apud filios Israelis, dicantur "signa et "miracula," "signa" quia testificata sunt et persuaserunt, "miracula" quia excitaverunt et stuporem induxerunt; conveniunt tamen in eo, quod quae excitant et stuporem inducunt etiam testificentur et persuadeant, sicut illa quae excitant volun-

tatem etiam persuadent intellectui, aut sicut illa quae movent affectionem etiam movent cogitationem persuadendo. Similiter apud *Evangelistas*,

> **In consummatione saeculi "surgent falsi Christi et falsi prophetae, dabunt signa magna et miracula, ac in errorem inducent, si possibile est, etiam electos" (*Matth.* xxiv. 24; *Marc.* xiii. 22):**

hic etiam per "signa magna" et "miracula" significantur similia, nempe ut testificentur et persuadeant, ac ut percellant et stuporem inducant, ex quo persuasio fortis; quinam per "falsos Christos" et per "falsos prophetas," tum quinam per "electos" intelliguntur, videatur supra (n. 624[*b*], 684[*a*]). Apud *Mosen*,

> **"Si surrexerit in medio tui propheta aut somnians somnium, qui dederit tibi signum aut miraculum, et veniat signum aut miraculum quod locutus est ad te, dicendo, Eamus ad deos alios, non obedies" (*Deutr.* xiii. 2-4 [*B. A.* 1-3]):**

hic dicitur "propheta" et "somnians somnium," ac "signum" et "miraculum," quia ad prophetam refertur signum, et ad somniantem somnium miraculum, ex causa quia per "prophetam" intelligitur docens vera, et in sensu abstracto doctrina veri, et per "somniantem" excitans ad faciendum ita, et in sensu abstracto excitatio ex qua fit; hoc quoque est miraculi, et illud signi; prophetae enim viva voce a Domino instruebantur, et somniantes per repraesentativa excitantia ad faciendum; haec influebant in affectionem somniantis et inde in visum cogitationis, nam cum homo somniat, sopitur ejus intellectus naturalis, et aperitur ejus visus spiritualis, qui omne suum trahit ab affectione; hic autem visus qui trahit ab affectione mala, nam dicitur de prophetis qui docent falsa et somniant vana, nam per "deos alios" intelliguntur falsa et vana quae audiverunt et viderunt.

[**b.**] Quod "signa" significent testificationes quae indicant et persuadent ut credant quod ita sit, constat ex sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> **"Si non crediderint tibi, nec audiverint vocem signi primi, credent tamen voci signi posterioris; et si non crediderint duobus signis his, nec audiverint vocem tuam, sumes de aquis fluvii,....et fient sanguis" (*Exod.* [1]iv. 8, 9):**

haec de miraculis per Mosen factis, cum Dominus apparuit ei in rubo, quae "signa" vocantur, quia testificatura

erant et persuasura ut crederent quod Moses missus sit, ut educeret eos ex Aegypto; quare ter dicitur "ut credant," et quoque "ut audiant vocem" ejus. Apud eundem,

> "Dixit Jehovah ad Mosen, Quousque populus [hic]....non credent in Me, propter omnia signa quae feci in medio eorum? Omnes viri qui viderunt gloriam meam, et signa quae feci in Aegypto et in deserto,....non videbunt" terram (*Num.* xiv. 11, 22[, 23]):

similiter hic miracula vocantur "signa," quia dicitur "credere;" nam, ut dictum est, miracula dicuntur signa propterea ut persuadeant et inducant fidem; et quia signa apud illos, qui noluerunt intrare in terram Canaanem propter timorem, non induxerunt fidem, ideo de illis dicitur, quod "non visuri terram." (Similia per "signa" significantur, *Exod.* iv. 17; et cap. x. 1, 2.) Apud *Evangelistas*,

> Scribae et Pharisaei dicebant, "Magister, volumus a Te signum videre; et Ipse respondens dixit.., Generatio prava et adultera signum quaerit, sed signum non dabitur illi nisi signum Jonae prophetae: quemadmodum fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in [1]corde terrae tribus diebus et tribus noctibus" (*Matth.* xii. 38–40; *Luc.* xi. 16, 29, 30):

quod per "signum" intelligatur testificatio ut persuadeantur et credant quod Dominus esset Messias et Filius Dei, qui venturus, patet; nam miracula quae Dominus in copia fecerat, et quae viderunt, non illis erant signa; ex causa quia miracula non sunt signa, ut supra dictum est, nisi quam apud bonos: quod "Jonas fuerit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus," et id assumptum sit pro "signo," erat quia id significabat Domini sepulturam et resurrectionem, ita glorificationem Humani Ipsius ad plenum; "tres dies et tres noctes" etiam significant ad plenum. Apud *Matthaeum*,

> "Pharisaei et Sadducaei tentantes rogarunt" Jesum "ut signum e caelis ostenderet illis; Ipse respondens dixit.., Cum vespera facta est, dicitis, Serenitas, caelum enim rubet...; et mane, Hodie tempestas, rubet enim triste existens caelum: hypocritae, faciem caeli nostis dijudicare, signa autem temporum non potestis: natio prava et adultera signum requirit, sed signum non dabitur illi nisi signum Jonae prophetae" (xvi. 1–4):

per "signum," quod petierunt e caelo, etiam hic intelligitur testificatio ut persuadeantur et credant quod Dominus esset Filius Dei, tametsi miracula facta sunt quae non dixerunt signa; quod Dominus dixerit tunc de vespera et de

mane, est quia per "vesperam et mane" significatur adventus Domini; hic quando ecclesia apud Judaeos devastata erat, quibus tunc serenitas, quia non cognoverunt Ipsum, ac secure vixerunt in falsis ex malo, hoc est "vespera;" at vero quando cognoverunt Ipsum, et propter falsa ex malis, in quibus fuerunt, negaverunt Ipsum, et impugnarunt, significat "mane" quando "tempestas:" inde est, quod Dominus dixerit, "Hypocritae, faciem caeli nostis dijudicare, signa autem temporum," nempe adventus Ipsius, "non potestis;" quia, "natio prava et adultera" erat, nempe adulterans Verbum, ideo dixit quod "non illis signum daretur." Ut quoque apud *Marcum*,

"Pharisaei coeperunt disputare cum" Jesu, "quaerentes ab Ipso signum e caelo...; qui suspirans spiritu suo dixit, Quid generatio haec signum quaerit? Amen dico vobis, non dabitur generationi huic signum" (viii. 11, 12):

quod "signum" hic significet testificationem, ex qua manifeste scirent, agnoscerent et crederent quod Dominus esset Messias et Filius Dei, quem ex praedictionibus apud *Prophetas* expectabant, constare potest ex eo, quod "suspirans in spiritu suo dixerit, Quid generatio haec signum quaerit? Amen dico vobis, non dabitur generationi huic signum:" causa fuit, si ex caelo hoc illis manifeste revelatum aut dictum fuisset, et sic persuasi agnovissent et credidissent, quod usque postea rejecturi essent; et rejicere id post agnitionem et fidem est profanare, et profanatorum sors est omnium pessima in inferno. Quod ideo non illis data sit manifesta testificatio e caelo, constat ex his apud *Johannem*,

"Occaecavit oculos illorum, et obduravit corda illorum, ne videant oculis, et intelligant corde, et se convertant et sanem illos" (xii. 40):

"se convertere et sanari" hic est profanare, quod fit cum agnoscuntur vera et bona, et imprimis cum agnoscitur Dominus, et dein negatur; ita fuisset si Judaei per signum se converterint et sanati fuerint: "videre oculis et intelligere corde" significat recipere intellectu et voluntate, seu fide et amore: ex his patet quod "signum" significet manifestam testificationem. (De sorte profanatorum videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 172.) Apud *Johannem*,

[1]Discipuli dixerunt ad Jesum, "Quodnam facis Tu signum, ut videamus et credamus Tibi? Quid operaris? Patres nostri manna come-

derunt in deserto, sicut scriptum est, Panem e caelo dedit illis ad edendum. Dixit illis Jesus, Amen, amen dico vobis, non Moses dedit vobis panem e caelo, sed Pater meus dat vobis panem e caelo verum: panis namque Dei est qui descendit de caelo et vitam dat mundo" (vi. 30-33):

hic quoque [1]discipuli voluerunt signum; quod per id significetur testificatio ut credant, constat, nam dixerunt, "Ut videamus et credamus, quid operaris?" Quod tunc dixerint de "manna," et quod Dominus responderit de "pane e caelo," erat quia per "panem" significatur omne bonum et verum quod nutrit animam, et in supremo sensu Ipse Dominus, a quo omne doctrinae et omne nutritionis spiritualis, per quod testificatus est ut videant et credant. Quod usque data sit testificatio, quae est signum e caelo, tribus discipulis, Petro, Jacobo et Johanni, constat ex transformatione Domini, tunc enim viderunt gloriam Ipsius, et quoque audiverunt vocem e caelo dicentem, "Hic est Filius meus dilectus, Ipsum audite" (*Marc.* ix. 7; *Luc.* ix. 35; *Matth.* [2]xvii. 5). Apud eundem,

Cum Jesus e templo ejecerat vendentes, dixerunt Judaei, "Quodnam signum..monstras quod haec facias? Respondit Jesus, et dixit illis, Solvite Templum hoc, in tribus tamen diebus exsuscitabo illud" (ii. 16, 18, 19):

quod hic per "signum monstrare" significetur testificari per aliquod stupendum aut per vocem e caelo, patet; sed quia testificatio talis illos damnavisset potius quam salvavisset, ut mox supra dictum est, ideo illis respondit de "Templo," per quod intellexit corpus suum, quod hoc solveretur, hoc est, moreretur, et glorificatum tertio die resurgeret; hoc quoque est quod Dominus intellexit per "signum Jonae in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus." (Quod per "Templum" in supremo sensu significetur corpus Domini, videatur *Joh.* ii. 21.) Apud *Lucam*,

Angelus dixit pastoribus, "Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in urbe Davidis: et hoc vobis signum, invenietis Infantem fasciis involutum jacentem in praesepi" (ii. 11, 12, 16):

quoniam per "signum" intelligitur testificatio ut crederent quod natus esset Salvator mundi, ideo dicitur quod "invenirent Ipsum jacentem in praesepi involutum fasciis;" sed quod id testificatio esset, nemo potest scire, nisi qui scit quid intelligitur per "praesepe," et quid per "fascias;" per

"praesepe" intelligitur doctrina veri ex Verbo, ex eo quod per "equos" significetur intellectus Verbi; (ut constare potest ex illis quae supra, n. 355, 364, et in opusculo *De Equo Albo*, n. 2–4, ostensa sunt;) inde per "praesepe," ubi equorum pascuum, significatur doctrina veri ex Verbo. Dicitur etiam in versu 7 illius capitis, quod hoc factum sit "quia non locus erat in diversorio," per "diversorium" enim significatur locus instructionis; (hoc etiam per "diversorium" significatur, *Luc.* x. 34; cap. xxii. [11]; *Marc.* xiv. 14; et alibi;) et id erat apud Judaeos, qui tunc in meris falsis per adulterationem Verbi fuerunt; hoc itaque est quod significatur per quod "non locus esset in diversorio:" nam si placuerit Domino, potuisset nasci in splendidissima aula, et reponi in lecto lapidibus pretiosis ornato; sed hoc fuisset apud illos qui non in aliqua doctrina veri essent, et absque aliqua repraesentatione caelesti. Dicitur etiam, "fasciis involutus," quia "fasciae" significant vera prima quae sunt vera innocentiae, quae etiam sunt vera Divini Amoris; nam "nuditas," cum de infante, significat deprivationem veri. Ex his constare potest, unde erat quod ab angelis dictum sit, "Hoc vobis signum, invenietis Infantem fasciis involutum jacentem in praesepi." Apud *Evangelistas*,

Dicebant discipuli ad Jesum, "Quodnam signum adventus Tui, et consummationis saeculi?" (*Matth.* xxiv. 3; *Marc.* xiii. 4; *Luc.* xxi. 7:)

per "adventum Domini" et "consummationem saeculi" significatur principium ecclesiae novae et finis ecclesiae prioris; per "adventum Domini" principium ecclesiae novae, et per "consummationem saeculi" finis ecclesiae veteris: quare Dominus in illis capitibus instruit discipulos de successiva vastatione ecclesiae prioris, et de instauratione ecclesiae novae in fine illius; sed instruit et docet illos per meras correspondentias, quae non possunt nisi quam per sensum spiritualem evolvi et sciri; et quia correspondentiae erant per quas Dominus locutus est, ideo erant omnia signa, ita testificationes. Vocantur etiam a Domino "signa":—Ut apud *Lucam*,

"Terribilia quoque [et] signa de caelo magna erunt. ....Erunt signa in sole, luna et astris, et super terra angustia gentium in desperatione, resonante mari et salo" (xxi. 11, 25);

apud *Matthaeum*,

"Et tunc apparebit signum Filii hominis..., et tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute et gloria.." (xxiv. 30):

sed quid per haec et per reliqua in cap. xxiv. apud *Matthaeum*, in spirituali sensu significatur, explicatum est in *Arcanis Caelestibus;* et quid per "apparitionem signi Filii hominis in nubibus caeli" in opere *De Caelo et Inferno* (n. 1); quare ulterius illa explicare supersedetur.

[*c.*] Apud *Marcum*,

Jesus ad discipulos, "Signa credentes haec sequentur: in nomine meo daemonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; etiam si letale quid biberint, non illis nocebit; super infirmos imponent manus, et bene habebunt. ....Et illi exeuntes praedicarunt ubique, Domino cooperante....per subsequentia signa" (xvi. 17, 18, 20):

haec tametsi miracula fuerunt usque vocantur "signa," quia testabantur de Divina potentia Domini operantis illa; quare dicitur, "Domino cooperante per illa signa." Miracula dicta fuissent, si malis applicata; apud hos enim talia modo stuporem inducunt, et animum percellunt, et usque non persuadent ad credendum: aliter apud bonos; illis enim sunt eadem testificationes quae persuadent ad credendum; quare etiam vocantur "signa," et dicitur, "Signa *credentes* haec sequentur." Sed quomodo illa signa persuadere ad credendum potuerunt, etiam paucis dicetur. Signa illa miraculosa, sicut quod "daemonia ejicerent," "linguis novis loquerentur," "serpentes tollerent," "non nociturum esset letale si biberint," et quod "bene haberent [infirmi] per impositionem manus," erant in sua essentia et in sua origine spiritualia, ex quibus illa profluebant et eveniebant ut effectus; erant enim correspondentiae, quae omnia sua trahunt ex spirituali mundo per influxum a Domino: sicut quod "in nomine Domini ejicerent daemonia" traxit suum effectum ex eo, quod "nomen Domini" spiritualiter intellectum sit omne doctrinae ex Verbo a Domino, et quod "daemonia" sint omnis generis falsa, quae sic per doctrinam ex Verbo a Domino ejiciuntur, hoc est, removentur; quod "linguis novis loquerentur" traxit suum effectum ex eo, quod "linguae novae" sint doctrinalia pro nova ecclesia; quod "serpentes tollerent" erat quia "serpentes" significant inferna quoad malitiam, et sic quod tuti ab infestatione ejus essent; quod "non nociturum

esset letale si biberint," erat quod malitia infernorum non infectura illos; quod "bene haberent infirmi per impositionem manus," erat quod per communicationem et conjunctionem cum caelo, ita cum Domino, a morbis spiritualibus, quae vocantur iniquitates et peccata, convalescerent; impositio manuum discipulorum correspondebat communicationi et conjunctioni cum Domino, et sic remotioni iniquitatum per Divinam Ipsius potentiam. Apud *Esaiam*,

> **Dixit Jehovah ad Achasum, "Pete tibi signum a Jehovah..., in profundum dirige..., aut extolle sursum;....dat Dominus..vobis signum; Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabit nomen Ipsius Deus nobiscum" (vii. 11, 14):**

quod haec dicta sint ad Achasum regem Jehudae, est quia rex Syriae et rex Israelis bellum gesserunt contra illum usque ad Hierosolymam, a quorum partibus etiam erat tribus Ephraimi, sed usque non valuerunt; ex causa quia rex Syriae ibi repraesentavit externum seu naturale ecclesiae, rex Israelis internum seu spirituale ejus, et Ephraim intellectuale ejus; ibi autem tria illa, nempe naturale, spirituale et intellectuale, perversa; quae doctrinam veri, quae per "regem Jehudae" et per "Hierosolymam" [1]significatur, impugnare voluerunt; quare non successit illis. Ut vero Achasus certus fieret de frustraneo conatus illorum, ei dicitur ut "signum peteret," hoc est, testificationem ut certus fieret; et data ei fuit optio, ut vel ex caelo vel ex inferno vellet habere; quod significatur per "In profundum dirige, vel tolle sursum;" nam rex erat malus. Sed quia non destruenda erat Hierosolyma, per quam significatur doctrina veri ex Verbo, a talibus ante adventum Domini, ideo ei datum est signum miraculosum testificans de ea re, nempe quod "Virgo concipiet et pariet Filium, cujus nomen erit Deus nobiscum." Quod postea destruetur ecclesia ea, sequitur in eo capite. Apud eundem,

> **"Hoc tibi signum a cum Jehovah,....ecce retraham umbram graduum, quae [2]descendit in gradibus Achasi pro sole, retrorsum decem gradus, ut retrocedat sol decem gradus in gradibus quos descenderat" (xxxviii. 7, 8):**

hoc signum datum est regi Hiskiae propter testificationem quod Dominus tutaretur eum et Hierosolymam a rege Assyriae, (ut dicitur versu 6 ibi,) per quem "regem" significatum est rationale perversum destruens omnia eccle-

siae; quare per hoc signum similiter repraesentata est nova ecclesia quae instauranda a Domino, sed hic quod tempus protraheretur ulterius quam dictum est Achaso mox supra: per "retractionem umbrae quae descendit in gradibus Achasi pro sole" significatur retractio temporis antequam id fiet; per "gradus Achasi" significatur tempus, hic usque ad Domini adventum; per "umbram" ibi significatur progressio ejus ab ortu ad occasum: per quod "retrorsum retraheretur decem gradus" significatur prolongatio temporis per plures adhuc annos, "decem" enim significant plura; per "solem," qui retrocedet, significatur adventus Domini. Sed hoc ulterius illustrandum est: adventus Domini fuit quando finis Ecclesiae Judaicae erat, hoc est, quando ibi non aliquod bonum et verum residuum esset: hoc intelligitur per "quando consummata est iniquitas," et quoque per "plenitudinem temporum" in qua Dominus venturus est: integrum tempus durationis Ecclesiae Judaicae repraesentatum est per "gradus Achasi," principium ejus per primum gradum ibi, qui est quando sol est in suo ortu, et finis ejus per ultimum gradum in occasu; inde patet quod per "retractionem umbrae" ab occasu versus ortum, intelligatur prolongatio illius temporis. Quod hoc fieret "in gradibus Achasi," erat quia Achasus rex erat malus, et profanavit sancta ecclesiae; quare si successores ejus similiter fecissent, finis illius ecclesiae brevi affuturus esset; at quia Hiskias rex probus erat, prolongatum est tempus, nam iniquitas gentis istius per id non tam cito perventura erat ad consummationem, hoc est, ad finem suum. Apud eundem,

> Dicite ad Hiskiam regem, "Hoc tibi signum; comedere hoc anno sponte nascens, et anno secundo ultro crescens; at in anno tertio serite, metite et plantate vineas, et comedite fructum earum" (xxxvii. 30):

hoc dictum est ad Hiskiam regem, cum Sancheribus rex Assyriae bellum ei intulit, ac fastuose locutus est de se, et contumeliose de Deo et de Israele; quare etiam percussi sunt in castris ejus [1]centum et octoginta et quinque millia, et ipse a filiis ejus occisus est. Causa cur id factum est, erat, quia per "Assyriam" significatur rationale, et simile per "regem Assyriae," ac per "Judaeam" caeleste ecclesiae, et spirituale ecclesiae per "regem ejus;" at ibi

per "regem Assyriae" rationale perversum, quod per ratiocinia falsa omnia caelestia et spiritualia ecclesiae, quae sunt bona et vera ejus, destruit: et quia per "Judaeam" et per "regem ejus" significatur caeleste et spirituale ecclesiae, quod erit a Domino cum venturus est in mundum, ideo talia dicuntur, per quae describitur regeneratio illorum qui ab illa ecclesia erunt: quare per signum quod "comederent primo anno sponte nascens," significatur bonum caeleste quod a Domino illis implantabitur; per "ultro crescens secundo anno," significatur verum illius boni quod inde erit: per "serere, metere, plantare vineas, et comedere fructum earum," significantur omnia bona et vera quae inde profluunt, per "serere et metere" significatur implantatio boni et receptio ejus; per "plantare vineas" implantatio veri et receptio ejus; et per "comedere fructum [1]earum" fruitio bonorum et faustorum ex illis, quae homini regenerato: haec vocantur "signum" quia sunt testificationes de ecclesia caelesti apud illos qui per "Jehudam" in sensu spirituali intelliguntur, quorum regeneratio fit a Domino per implantationem boni caelestis, dein per implantationem boni spiritualis quod in sua essentia est verum boni caelestis, et demum per multiplicationem et fructificationem in naturali homine. Apud eundem,

> "Sic dixit Jehovah, Sanctus Israelis et Formator ejus; Signa petierunt Me super filiis meis, et super opere manuum mearum praecipiunt Mihi;....Ego excitavi Ipsum in justitia, et omnes vias Ejus rectificabo: Ipse aedificabit urbem meam, et captivitatem meam dimittet, non pretio neque munere" (xlv. 11, 13):

agitur etiam ibi de adventu Domini, et de instauratione ecclesiae ab Ipso; Dominus intelligitur per "Jehovam, Sanctum Israelis et Formatorem ejus;" qui "Sanctus Israelis" dicitur ex Divino Vero, et "Formator ejus" ex instauratione ecclesiae per illud, et "Israel" est ecclesia; ideo per "filios Ipsius," super quibus signa petierunt, intelliguntur illi qui in veris sunt a Domino; et per "opus manuum Ipsius" intelligitur formatio illorum, et ecclesiae instauratio apud illos: "Excitavi Ipsum in justitia, et omnes vias Ejus rectificabo," significat quod Ipsi Divinum Bonum et Divinum Verum, "justitia" enim in Verbo dicitur de bono, et "viae" significant vera ducentia, hic Divina vera quia de Domino: "Ipse aedificabit urbem meam, et

captivitatem meam dimittet," significat quod doctrinam veri restituet, et quod illos qui in falsis ex ignorantia sunt liberabit, "urbs" enim significat doctrinam veri, et "captivitas" falsa ignorantiae, in quibus fuerunt gentes, et per illa in captivitate spirituali: "non pretio neque munere" significat gratis ex Amore Divino. Apud eundem,

> **"Nuntient vobis quae contingent, priora..illa indicate, ut ponamus cor nostrum, et sciamus posteritatem eorum, aut ventura audire facite nos; indicate signum in futurum, ut sciamus quod dii vos" (xli. 22, 23):**

quod anteacta et futura dicere sit solius Domini, et non alicujus hominis aut alicujus spiritus, exprimitur per "indicare signum in futurum, ut sciamus quod dii sitis;" hoc concludit illa quae praecedunt, quare "indicare signum" est testificari persuadendo ut credatur.

[*d.*] Apud *Ezechielem*,

> **"Accipe tibi sartaginem ferri, et da eam parietem ferri inter te et inter urbem, et dispones facies tuas contra illam, ut sit in obsidionem, et angustes eam; signum hoc domui Israelis" (iv. 3);**

haec et reliqua in hoc capite sunt repraesentativa status ecclesiae apud gentem Judaicam, significantia quod illis non aliud verum esset quam falsificatum et adulteratum, quod in se est falsum; tale verum significatur per "sartaginem ferri," quam daret parietem inter se et inter urbem; et quia hoc sicut ferrum est durum, secludens et non admittens aliquod verum genuinum, dicitur "ut sit in obsidionem, et angustes eam:" quod hoc signum testetur de ecclesia quod talis sit, significatur per "Signum hoc domui Israelis;" "signum" est testificatio, et "domus Israelis" est ecclesia. Apud *Davidem*,

> **"Omnia perdidit hostis in sanctuario, rugierunt hostes..in festi tui medio; posuerunt signa sua signa. ....Signa nostra non videmus, non amplius propheta" (Ps. lxxiv. 3, 4, 9):**

"Omnia perdidit hostis in sanctuario" significat quod malum destruxerit sancta ecclesiae; "rugierunt hostes in festi tui medio" significat quod falsa destruxerint omnia cultus; "posuerunt signa sua signa" significat quod testificati sint et persuaserint per omnia; "signa nostra non videmus" significat quod nullae testificationes veri acceptentur in ecclesia; "non amplius propheta" significat quod nulla

sit doctrina veri. Apud eundem,

> Jehovah, "fac mecum signum in bonum, ut videant osores mei et pudefiant, quod Tu, Jehovah, adjuveris me, et consolatus sis me" (Ps. lxxxvi. 17):

"facere signum in bonum" significat testificationem quod Jehovah adjuvet illum et consoletur illum, ut sequitur, hoc enim est bonum, in quod Jehovah faceret signum; quia signum est testificatio de eo, ideo dicitur, "ut videant osores mei et pudefiant." Apud eundem,

> Deus "qui firmat montes virtute sua, accinctus est potentia, qui cessare facit tumultum marium, tumultum fluctuum ejus, et strepitum populorum, ut timeant habitatores finium ex signis tuis" (Ps. lxv. 7, 8[, 9] [*B. A.* 6–8]):

ita describitur Divina potentia Domini per testificantia ut credant; sed testificantia, quae sunt signa, non sunt quod "firmet montes," "cessare faciat tumultum marium et fluctuum, ac strepitum populorum," haec enim non talia signa sunt ut persuadeant illis qui omnia Naturae adscribunt: sed ea sunt signa testificantia Divinam potentiam Domini, quae in sensu spirituali, in quo agitur de caelo et ecclesia, intelliguntur; in eo enim sensu per "montes," quos virtute firmat, intelliguntur caeli superiores, quia angeli illorum caelorum super montibus habitant; et in sensu abstracto intelligitur amor in Dominum et charitas erga proximum; haec sunt quae Dominus, accinctus potentia, "virtute sua firmat," hoc est, facit ut in aeternum subsistant; quod "montes" talia significent, videatur supra (n. 405): per "tumultum marium" et "tumultum fluctuum" intelliguntur disceptationes et ratiocinationes illorum qui infra caelos sunt, ac naturales et sensuales; quod "maria" significent illa quae naturalis hominis sunt, ita naturales, et inde tumultus et fluctus eorum disceptationes et ratiocinationes, videatur etiam supra (n. 342): per "strepitum populorum" intelliguntur contradictiones a falsis, per "populos" enim significantur illi qui in veris sunt, ac in opposito sensu, qui in falsis (videatur supra, n. 175, 331, 625): "ut timeant habitatores finium a signis tuis" significat sanctum cultum ex fide de Divina potentia apud illos qui in ultimis caeli et ecclesiae sunt; quod "timere" sit colere Dominum ex charitate et fide, supra (n. 696); et quod "habitatores finium" sint qui in ultimis caeli et ecclesiae sunt, et ibi

in fide charitatis, constat ex eo, quod "fines" sint ultima caeli et ecclesiae. Ex his patet quod "signa" hic significent testificationes de Divina Domini potentia. Apud *Jeremiam*,

"Hoc vobis signum, quod visitaturus Ego super vos in loco hoc, ut sciatis quod consistent verba mea super vobis in malum;....ecce Ego dans regem Aegypti in manum hostium ejus, et in manum quaerentium animam ejus" (xliv. 29, 30):

agitur ibi de illis ab ecclesia qui naturales facti sunt, qui intelliguntur per eos "qui peregrinati sunt in Aegypto, et inde redierunt;" quod illi destruendi sint per mala et falsa, intelligitur per quod "daturus sit regem Aegypti in manum hostium ejus, et in manum quaerentium animam ejus:" "hostes" ibi sunt qui in malis, et "quaerentes animam" qui in falsis, ita abstracte mala et falsa; (quod "Aegyptus" sit naturalis homo, videatur supra, n. 654:) hoc dicitur "signum," quia est testificatio quod ita fiet; quare etiam dicitur, "ut sciatis quod consistent verba mea super vobis in malum." Quod signum sit testificatio de certitudine, constat etiam ex sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Dixit Hiskias, Quodnam signum, quod ascensurus sim in domum Jehovae?" (xxxviii. 22;)

in *Libro Judicum*,

Guideon dixit ad Angelum Jehovae, "Facias mihi signum, quod tu sis qui loquitur ad me;"....quod erat, cum attingeret baculo carnem et azyma, quae obtulit Guideon, quod ascenderet ignis e petra, et comederet illa (vi. 17, 21);

in *Libro Primo Samuelis*,

"Hoc tibi signum, quod veniet super duos filios tuos,....uno die morientur ambo" (ii. [1]34);

in eodem Libro,

"Si dixerint" Philisthaei, "Ascendite ad nos, tunc ascendemus, quia dedit Jehovah illos in manum nostram; hoc nobis signum" (xiv. 10).

Similia paene significantur per

"Signa Foederis" (*Gen.* ix. 13; cap. xvii. 11: *Ezech.* xx. 12, 20: et alibi);

nempe testificationes de conjunctione. Testificationes etiam significantur per "signa," quae apparuerunt sicut miracula, facta a malis, in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

Jehovah "irrita reddit signa mendacium, divinatores insanos reddit, rejiciens sapientes retro, et scientiam eorum stultam facit" (xliv. 25);

apud *Jeremiam*,

> "Dixit Jehovah, Viam gentium ne discite, et a signis caelorum ne consternemini, nam consternantur gentes ab illis; statuta gentium vanitas illa" (x. 2, 3);

in *Apocalypsi*,

> Bestia ascendens e terra fecit "signa magna, ut etiam ignem faciat descendere e caelo in terram coram hominibus, et [1]seducat [2]adorantes super terra, propter signa, quae data sunt illi ad faciendum" (xiii. 13, 14);

alibi,

> "Sunt spiritus daemonum facientes signa ad exeundum ad reges terrae, ad congregandos illos in bellum diei illius magni" (xvi. 14);

et alibi,

> "Comprehensa est bestia, et cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram illa, per quae seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiae" (xix. 20).

Quid autem intelligitur per "signa super manu" et "in fronte," videatur supra (n. 427). "Signa" autem quae posita fuerunt super montibus, ad congregandum populum ad bellum, ad proelium, et sic porro, significabant indicationes ad faciendum mandata:—Ut apud *Esaiam*,

> "Fiet in die illo radicem Jischaji, quae stans in signum populorum, gentes quaerent, et erit quies ejus gloria. ....Cum tollet signum gentibus, et congregabit expulsos Israelis, et dispersa Jehudae a quatuor alis terrae" (xi. 10–12);

apud *Jeremiam*,

> 'Constitue tibi signa, pone tibi columnas, appone cor tuum ad semitam, viam eas" (xxxi. 21);

apud eundem,

> "Annuntiate inter gentes, et audiri facite, ac tollite signum,....capta est Babel" (l. 2);

apud eundem,

> "Contra muros Babelis tollite signum, tenete custodiam, constituite custodes;....tollite signum in terra, clangite buccina inter gentes" (li. 12, 27);

et alibi, imprimis in historicis Verbi. Ex his et illis quae ex Verbo adducta sunt, constare potest quod per "signum magnum visum in caelo" significetur Divina manifestatio et testificatio (ut quoque in versu tertio hujus capitis, et deinde cap. xv. 1).

707. ***"Mulier circumdata sole."***—Quod significet *ecclesiam apud illos qui in amore in Dominum sunt, et inde in amore*

erga proximum, constat ex significatione "mulieris," quod sit affectio veri spiritualis, ex qua ecclesia est ecclesia; proinde etiam ecclesia quoad illam affectionem (de qua supra, n. 555); quod sit nova ecclesia, quae post finem hujus quae in Christiano orbe est, instauranda a Domino, sequitur: et ex significatione "solis, quod sit Dominus quoad Divinum Amorem, ita quoque amor in Dominum a Domino (de qua etiam supra, n. 401, 412[a,b]): et ex significatione "circumdari," quod sit ex illo vivere; nam vita amoris cujusvis, tam hominis, quam spiritus et angeli, format sphaeram circum illos, ex qua percipiuntur, etiam e longinquo, quales sunt; per illam sphaeram etiam consociationes et conjunctiones fiunt in caelis, et quoque in infernis; et quia agitur hic de ecclesia, quae in amore in Dominum a Domino est, et illa ecclesia intelligitur per "mulierem," et amor ille per "solem," inde per "mulierem circumdatam sole" significatur ecclesia apud illos qui in amore in Dominum a Domino sunt: quod etiam dicatur, et inde in amore erga proximum, est quia amor erga proximum derivatur ex amore in Dominum, sicut posterius a suo priori, aut sicut exterius a suo interiori, verbo sicut effectus a sua causa efficiente; nam amor in Dominum est amare et velle illa quae Domini sunt, ita illa quae Dominus in Verbo praeceperat; et amor erga proximum est ex illo velle facere, ita consistens in usibus praestandis, qui sunt effectus. Quod per "mulierem" hanc significetur nova ecclesia, quae post finem hujus quae in Christiano orbe est, instauranda est a Domino, constare potest a sequentibus in hoc capite, nempe quod "pepererit filium masculum, quem devorare voluit draco, et qui raptus est ad Deum," et quod "mulier illa volaverit in desertum," et quod "draco etiam ibi illam vellet perdere;" ex sequentibus enim constabit quod per "filium masculum" intelligatur verum doctrinae illius ecclesiae, et per "draconem" intelliguntur qui contra illius doctrinae vera sunt. Quod ecclesia quae per "mulierem" hic intelligitur, sit eadem ecclesia cum "Nova Hierosolyma," quae describitur cap. xxi., et vocatur "sponsa Agni uxor" (vers. 9 ibi), in explicatione illius capitis videbitur.

708. *"Et luna sub pedibus ejus."*—Quod significet *fidem apud illos qui naturales sunt, et in charitate*, constat ex

significatione "lunae," quod sit fides in qua charitas (de qua sequitur); et ex significatione "pedum," quod sint naturalia (de qua supra, n. 69, 600[a], 632), hic itaque naturales, quia dicitur de "muliere," per quam significatur ecclesia; et per "solem" quo circumdata erat, amor in Dominum a Domino, et amor erga proximum (ut in praecedente articulo ostensum est): inde per "mulierem circumdatam sole" significatur ecclesia apud illos qui caelestes et inde spirituales sunt, et per "lunam sub pedibus" significatur ecclesia apud illos qui naturales et sensuales sunt, et simul in fide charitatis; nam bona et inde vera caeli et ecclesiae succedunt ordine, sicut apud hominem caput, corpus et pedes: in capite Maximi Hominis, qui est caelum, sunt illi qui in amore in Dominum a Domino sunt, et hi vocantur caelestes; in corpore autem, a pectore usque ad lumbos Maximi illius Hominis, qui est caelum, sunt illi qui in amore erga proximum sunt, [et] hi vocantur spirituales; at in pedibus Maximi Hominis, qui est caelum, sunt illi qui obscure in fide charitatis sunt, et hi vocantur naturales. Sed ut hoc in clarum intellectum veniat, sciendum est quod duo regna sint in quae caeli distincti sunt, unum quod vocatur caeleste, et alterum quod spirituale; et quod tres caeli sint, supremum quod vocatur caeleste, medium quod spirituale, ac ultimum quod caeleste et spirituale naturale. At praeter has distinctiones caelorum, est quoque distinctio eorum, quod sint qui lucem, hoc est, intelligentiam recipiunt a Domino ut Sole, et sunt qui lucem et intelligentiam recipiunt a Domino ut Luna; illi qui recipiunt lucem intelligentiae a Domino ut Sole, sunt apud quos intellectuale et ejus rationale apertum est, et inde ex affectione veri spirituali rationaliter cogitaverunt de credendis; at qui lucem a Domino ut Luna recipiunt, sunt apud quos intellectuale et rationale interius non apertum est, sed modo naturale, et inde ex memoria cogitaverunt de credendis; et ex memoria de illis cogitare est solum ex talibus quae audiverunt ex magistro vel praedicatore, quae dicunt et quoque credunt vera esse tametsi forent falsa, nam non vident illa ulterius; hi si etiam in fide charitatis in mundo fuerunt, in caelis sub Domino ut Luna sunt; nam lumen, ex quo intelligentia eorum, est sicut lumen Lunae tempore noctis; at lux, ex qua intelligentia eorum qui in caelis sub Domino

ut Sole sunt, est sicut lux diei: qualis differentia est, constare potest ex differentia luminum solis interdiu et lunae noctu. Talis etiam est [2]differentia ut illi qui sub Domino ut Luna sunt nihil videre possint in luce illorum qui sub Domino ut Sole sunt, ex causa quia apud illos non est lux genuina, sed lux reflexa, quae potest recipere falsa, modo in illis appareat bonum, aeque ac vera. Quoniam illi qui in caelis sub Domino ut Luna sunt omnes naturales et sensuales sunt, et non commune habent cum illis qui in caelis sub Domino ut Sole sunt, et quoque illi in falsis sunt in quibus tamen bonum, inde visa est "luna sub pedibus mulieris," et per id intelligitur fides apud illos qui naturales sunt. Haec de fide apud illos qui sub Domino ut Luna in caelo sunt; paucis etiam dicetur de affectione illorum, ex qua fides vitam trahit. Affectio illorum sciendi verum et faciendi bonum est sicut ipsi, naturalis; trahens sic plus aut minus ex gloria eruditionis, et ex fama spectante honores et lucra ut praemia, aliter ac affectio spiritualis sciendi verum et faciendi bonum, qualis est apud illos qui sub Domino ut Sole in caelo sunt; haec affectio apud hos separata est ab affectione naturali, ita ut haec sit sub pedibus; inde quoque est, quod "luna," per quam non solum fides sed etiam affectio ejus significatur, hic visa sit "sub pedibus." (Sed plenior idea de his comparari potest ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno* dicta et ostensa sunt: ut Quod Caelum distinctum sit in duo Regna, n. 20–28; De Sole et de Luna in Caelo, et De Luce et Calore in Caelis, n. 116–140; De Correspondentia Caeli cum omnibus Hominis, n. [e]87–102; et in *Doctrina Novae Hierosolymae* de illis qui in falsis sunt ex bono, n. 21.) Quod "sol" significet Dominum quoad Divinum Amorem, et inde Amorem in Dominum a Domino, et quod "luna" verum fidei, videatur supra (n. 401): ac praeterea de caelis qui sub Domino ut Sole, et de caelis qui sub Domino ut Luna, etiam supra (n. 411[e], 422[a], 527). Quibus addendum est quod illi caeli qui sub Domino ut Luna sunt, sint quoque tres, superiores, medii et inferiores, seu quod idem, interiores, medii et exteriores; sed usque omnes in his caelis naturales sunt. Causa quod interiores, medii et exteriores sint, est quia naturale distinguitur in tres gradus, similiter ac spirituale; exterius naturale communicat cum mundo, interius cum caelo, ac medium conjungit; sed usque illi qui in caelis sub Domino ut Luna sunt, non possunt intrare in caelos qui sub Domino ut Sole sunt, quia visus eorum interior

seu intellectus formatus est ad recipiendum lucem lunarem ibi, et non ad recipiendum lucem solarem ibi; sunt comparative non absimiles illis avibus quae vident noctu et non interdiu; quare cum in lucem solarem, quae est illis qui sub Domino ut Sole sunt, veniunt, caligatur visus eorum. Sed illi in iis caelis sunt qui in charitate fuerunt secundum religiosum suum, aut secundum fidem suam: at illi qui tales sunt, nempe naturales et non in fide charitatis, in infernis sunt sub illis caelis. Ex his constare potest quod per "lunam" hic intelligatur fides apud illos qui naturales sunt et in charitate; et quod "luna sub pedibus visa sit" quia illi qui in caelis qui sub Domino ut Luna sunt, non commune habent cum illis qui in caelis sub Domino ut Sole sunt, usque ut illi assurgere ad hos nequeant.

709. ***"Et super capite ejus corona stellarum duodecim."***— Quod significet *sapientiam et intelligentiam illorum qui ab ea ecclesia, per doctrinalia et cognitiones omnium veri et boni ex Verbo*, constat ex significatione "capitis," quod sit sapientia et intelligentia (de qua supra, n. 553, [1]577[a]), hic illorum qui sunt ab ea ecclesia quae per "mulierem circumdatam sole, et luna sub pedibus ejus," significatur; ex significatione "coronae," quod etiam sit sapientia et intelligentia (de qua etiam supra, n. 126, 218, 272); ex significatione "stellarum," quod sint doctrinalia et cognitiones veri et boni ex Verbo (de qua, n. 72, 402, 535); et ex significatione "duodecim," quod sint omnia, et quod dicantur de veris et bonis (de qua supra, n. 430): inde constare potest quod per "coronam stellarum duodecim super capite mulieris" signicetur sapientia et intelligentia illorum qui ab ea ecclesia, per doctrinalia et cognitiones omnium veri et boni ex Verbo. Quod haec dicantur postquam dictum est de muliere quod "circumdata sit sole, et luna sub pedibus ejus," est quia per "solem" significatur amor caelestis et spiritualis, ac per "lunam" fides charitatis, et ex illis profluit omnis sapientia et intelligentia; nam ex Domino ut Sole procedit calor et lux, ac calor est bonum amoris et lux est verum ex illo bono, et illa duo faciunt apud angelos et apud homines sapientiam et intelligentiam; bonum amoris enim intrat voluntatem eorum, et verum ex illo bono intrat intellectum eorum, ac in voluntate et simul in intellectu residet sapientia.

710[*a*]. [*Vers.* 2.] ***"Et in utero habens."***—Quod significet *nascentem doctrinam ex bono amoris caelestis*, constat ex significatione "in utero habere," cum de ecclesia, quae significatur per "mulierem," quod sit nascens doctrina veri ex bono amoris caelestis; per "uterum" enim significatur amor conjugialis intimus, et inde amor caelestis in omni complexu; et per "embryonem qui in utero," verum doctrinae ex bono amoris caelestis, per illum enim simile significatur quod per "filium masculum" quem peperit, de quo in versu quinto sequenti, per quem doctrina veri ex bono amoris significatur, cum differentia quod embryo, quia adhuc in utero, plus trahat a bono innocentiae quam postquam natus est; inde per illum aeque significatur doctrina veri ac per "filium," sed per hunc significatur ipsa doctrina, per illum autem nascens doctrina: ex his patet quod per "in utero habere" significetur nascens doctrina veri ex bono amoris caelestis. Quod "uterus" significet bonum amoris intimum, est quia omnia membra generationi dicata, tam apud mares quam apud feminas, significent amorem conjugialem, ac "uterus" ejus intimum, quia ibi fetus concipitur, et incrementa capit, usque dum nascitur; est etiam intimum membrorum genitalium; ex eo etiam derivatur amor maternus, qui vocatur *storge*. Quoniam homo qui regeneratur etiam concipitur, et quasi in utero gestatur, et nascitur, et quoniam regeneratio fit per vera ex bono amoris, inde per "in utero gestare" in spirituali sensu significatur doctrina veri ex bono amoris; est etiam correspondentia uteri cum bono amoris intimo; universum enim caelum correspondet omnibus apud hominem (de qua correspondentia videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 87–102); ita quoque membra generationi dicata; haec ibi correspondent amori caelesti: hic amor e caelo etiam influit apud matres quae in utero gestant, et quoque embryones; inde apud matres existit amor infantis, et apud infantes innocentia. Ex his constare potest unde est quod "uterus" significet bonum amoris intimum, et quod "gestare in utero" significet doctrinam veri nascentem ex bono amoris. Quod talia per "uterum," et per "gestare in utero" significentur, constare potest ex sequentibus locis in Verbo:—Apud *Esaiam*,

"Attendite ad Me, domus Jacobi, et omnes reliquiae domus Israelis, portati ab utero, lati a vulva; usque ad senectutem Ego idem, et usque ad canitiem Ego portabo: Ego feci, Ego portabo, et Ego feram atque eripiam" (xlvi. 3, 4):

haec de reformatione ecclesiae, et de regeneratione hominum ibi a Domino: ecclesia significatur per "domum Jacobi" et per "domum Israelis," externa per "domum Jacobi" et interna per "domum Israelis," per "portatos ab utero" significantur qui a Domino regenerantur, et per "latos a vulva" significantur regenerati: quia homo qui regeneratur primum a Domino concipitur, et postea nascitur, et demum educatur et perficitur, et quia regeneratio similis est in eo generationi naturali hominis, ideo per "portari ab utero" significatur status hominis regenerandi a conceptione ad nativitatem; ipsa nativitas, et postea educatio et perfectio, significatur per "ferri a vulva; usque ad senectutem Ego idem, et usque ad canitiem Ego portabo:" similia significantur per "Ego feci, Ego portabo, et Ego feram atque eripiam;" sed per priora intelligitur regeneratio per bona amoris et charitatis, et per posteriora intelligitur regeneratio per vera ex illis bonis; per "eripere" intelligitur auferre et removere mala et falsa quae ab inferno. Apud *Hoscheam*,

"Ephraim sicut avis avolabit gloria ejus, a partu, et a ventre, et a conceptione: immo si educaverint filios suos, tum orbos faciam eos ab homine. ....Da illis, Jehovah, vulvam abortientem, et ubera arentia. ....Percussus est Ephraim, radix eorum exaruit; fructum non facient, etiam cum generaverint, occidam desideria ventris eorum" (ix. 11, 12, 14, 16):

per "Ephraim" intelligitur ecclesia quoad intellectum veri et boni; quod non amplius aliquis intellectus Divini Veri in ecclesia futurus sit, significatur per quod "Ephraim sicut avis avolabit gloria ejus;" per "gloriam" significatur Divinum Verum, per "avolare" significatur dissipari; dicitur "avolare" quia dicitur "avis," et "avis" quia per "avem" significantur talia quae intellectus et inde cogitationis sunt: "a partu, et a ventre et a conceptione," significat dissipationem omnis veri ab ultimis ejus ad prima; "partus" significat ultima ejus, quia id quod natum est; "a ventre et a conceptione" significat quod ante nativitatem; ita omnia ab ultimis ad prima, nam cum ultima pereunt etiam priora successive dilabuntur: "si educaverint filios suos,

tum orbos faciam eos ab homine," significat tametsi comparaverint sibi vera, usque tamen futuri absque intelligentia; per "filios" significantur vera ecclesiae, per "hominem" significatur intelligentia; inde per "orbos facere ab homine" significatur quod usque non intelligentia: "Da illis, Jehovah, vulvam abortientem et ubera arentia," significat quod illis non amplius vera ex aliquo bono, sed falsa ex malo; "vulva abortiens" significat falsa ex malo loco veri ex bono; similiter "ubera arentia," sed "vulva" significat vera ex bono amoris, et "ubera" vera ex bono charitatis, hic falsa ex malo illis contraria: "Percussus est Ephraim, radix eorum exaruit," significat quod non amplius aliquis intellectus veri usque a primis; "Ephraim" hic ut supra est intellectus veri ecclesiae, et "radix" est primum ejus: "fructum non facient" significat non aliquod bonum, nam ubi non vera ibi non bonum: "etiam cum generaverint, occidam desideria ventris eorum," significat si vera sibi comparaverint quod usque peritura sint; "desideria ventris" significant vera comparata; "venter" pro utero dicitur ex apparentia tumescentiae ventris apud gravidas, sed usque "venter" dicitur ubi agitur de veris, ac "uterus" ubi de bono. Apud *Davidem*,

> **"Quoniam Tu eductor meus ex utero, fiduciam mihi faciens ex uberibus matris meae; super Te projectus sum [ab utero,] a ventre matris meae Deus meus Tu" (Ps. xxii. 10, 11 [*B. A.* 9, 10]):**

etiam hic describitur regeneratio spiritualis hominis per talia quae sunt generationis naturalis ex matre; inde per "Tu eductor meus ab utero" significatur quod a Domino regeneratus sit et factus homo ecclesiae: per "fiduciam mihi facis ex uberibus matris meae" significatur quod ductus sit postea, et spiritualiter educatus; "ubera matris" significant nutritionem spiritualem in talibus quae ecclesiae sunt ("mater" est ecclesia): per "super Te projectus sum ad utero," significatur quod Dominus operatus sit omnia ex bono amoris; et per "a ventre matris meae Deus meus Tu" significatur quod operatus sit omnia per vera; nam, ut supra dictum est, "uterus" dicitur ubi agitur de bono amoris, ac "venter" ubi de veris ex illo bono; inde dicitur "Deus meus Tu," nam ubi agitur de bono amoris, vocatur Dominus "Jehovah," et ubi de veris, vocatur "Deus."

Apud *Evangelistas*,

> "Vae in utero gerentibus et lactantibus in diebus illis" (*Matth.* xxiv. 19; *Marc.* xiii. 17: *Luc.* xxi. 23):

agitur in illis capitibus de consummatione saeculi, per quam intelligitur finis ecclesiae, quando ultimum judicium: inde per "gerentes in utero" et per "lactantes diebus illis," super quibus lamentatio, intelliguntur illi qui tunc recipiunt bona amoris, et vera illius boni; "gerentes [in] utero" sunt qui recipiunt bonum amoris, et "lactantes" sunt qui recipiunt vera illius boni, nam "lac" quod lactatur significat verum ex bono amoris; quod dicatur "Vae illis," est quia non possunt custodire bona et vera illi qui recipiunt, praevalet enim tunc infernum, et aufert illa, unde profanatio; quod tunc praevaleat infernum, est quia in fine ecclesiae falsa mali regnant, et auferunt vera boni; homo enim tenetur in medio inter caelum et infernum, et ante ultimum judicium praevalet id quod ex inferno exsurgit super id quod e caelo descendit. (De qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 538, 540, 541, 546, 589–596; et in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 73, 74.) Apud *Lucam*,

> "Ecce venient dies in quibus dicent, [1]Beatae steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quae non lactarunt" (xxiii. 29):

haec similia significant, quia etiam de ultimo tempore ecclesiae dicta sunt; ac per "steriles" et per "ventres qui non genuerunt" significantur qui non genuina vera, hoc est, vera ex bono amoris, receperunt; et per "ubera quae non lactarunt" significantur qui non genuina vera ex bono charitatis: omnia enim vera sunt ex bono; ac bona sunt duplicis generis, bonum caeleste, quod est bonum amoris in Dominum, ac bonum spirituale quod est bonum charitatis erga proximum; simile per "ubera" significatur quod per "lac," nempe verum ex bono. Apud eundem,

> "Mulier tollens vocem ex populo, dixit" de Jesu, "Beatus venter qui gestavit Te, et ubera quae lactasti: at" Jesus "dixit, Verum tamen beati qui audiunt Verbum Dei, et custodiunt illud" (xi. 27, 28):

quoniam "ventre gestare" et "ubera lactare" significant regenerationem hominis, ut supra dictum est, ideo respondit Dominus, "Beati qui audiunt Verbum Dei et custodiunt illud;" per quae describitur regeneratio quae fit per vera ex Verbo, et per vitam secundum illa; per "audire Ver-

bum Dei" significatur discere vera ex Verbo, et per "custodire illud" significatur vivere secundum illa. Apud *Johannem*,

> "Dixit...Nicodemus, Quomodo potest homo generari cum senex est? [1]Non potest in uterum matris suae secundum ingredi. Respondit Jesus, Amen..dico tibi, nisi quis generatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest ingredi in regnum" caelorum; "quod natum est ex carne caro est, sed quod generatum est a spiritu spiritus est" (iii. 4–6):

quod Nicodemus pro generatione spirituali, de qua Dominus locutus est, intellexerit generationem naturalem, patet; quare Dominus docet illum de regeneratione, quod illa fiat per vera ex Verbo et per vitam secundum illa, quod significatur per "generari aqua et spiritu;" "aqua" enim in spirituali sensu est verum ex Verbo, et "[2]spiritus" est vita secundum illa: quod homo nascatur naturalis, et fiat spiritualis per vitam secundum vera ex Verbo, significatur per "quod natum est ex carne caro est, sed quod generatum est a spiritu spiritus est:" quod naturalis homo, nisi fiat spiritualis, non salvari possit, intelligitur per "Nisi quis generatus est ex aqua et spiritu, non possit ingredi in regnum caelorum."

[*b*.] Quoniam Dominus solus reformat et regenerat hominem, ideo in Verbo vocatur "Formator ex utero:"—Ut apud *Esaiam*,

> "Jehovah, Factor tuus et Formator..ex utero, adjuvat te" (xliv. 2, 24);

apud eundem,

> "Jehovah ab utero vocavit me, a visceribus matris meae meminit nominis mei. ....Dixit Jehovah, Formator meus ab utero, in servum suum, ad redigendum Jacobum ad Ipsum, et Israel Ipsi congregetur" (xlix. 1, 5).

Dominus multis in locis in Verbo vocatur "Creator," "Factor" et "Formator ab utero," et quoque "Redemptor," ex eo quod hominem e novo creet, reformet, regeneret et redemerit: credi potest quod Dominus ita vocetur ex eo, quod creaverit hominem et quod formet illum in utero, sed usque est spiritualis creatio et formatio quae ibi intelligitur; nam Verbum non modo est naturale, sed etiam spirituale; naturale pro hominibus qui naturales sunt, et spirituale pro angelis qui spirituales sunt; ut quoque constare potest ex eo, quod haec, quae dicta sunt, de Israele

dicta sint, et in sensu supremo de Domino: per "Israelem" intelligitur ecclesia, ita omnis homo ecclesiae; et quia Dominus novit quale cujusvis quoad bonum amoris et verum fidei, ideo dicitur, "Jehovah ab utero vocavit me, a visceribus matris meae meminit [1]nominis mei;" per "vocare" et "scire nomen" alicujus, significatur nosse qualis est; quoad bonum amoris est "ab utero," et quoad vera illius boni est "a visceribus matris meae:" per "Jacobum" qui ad Ipsum redigetur, et per "Israelem" qui Ipsi congregabitur, significatur ecclesia; per "Jacobum" ecclesia externa, et per "Israelem" ecclesia interna; haec est in spirituali homine, illa in naturali. Apud *Jeremiam*,

> "Priusquam formarem te in utero, noveram te; et priusquam exires ex utero, sanctificabam te, prophetam gentibus dabam te" (i. [2]5):

haec quidem dicta sunt de propheta Jeremia, sed usque per "prophetam" in sensu spirituali intelligitur docens verum, et in sensu abstracto doctrina veri; inde per "formare in utero," et "nosse antequam exiret ex utero," significatur praevidentia quod in veris ex bono per regenerationem possit esse, ita quod Verbum recipere et docere possit: hoc quoque est "sanctificare et dare prophetam gentibus;" "gentes" sunt qui in bono et ex bono recipiunt vera. Apud *Davidem*,

> "Super Te impositus sum ab utero, e visceribus matris meae Tu eductor meus" (Ps. lxxi. 6);

per haec similia significantur. Apud eundem,

> "Ecce hereditas Jehovae filii, merces fructus ventris" (Ps. cxxvii. 3):

hic per "filios" intelliguntur illi qui in veris ex bono sunt, ut quoque alibi in Verbo: et per "fructum ventris" intelliguntur qui in bono sunt per vera, quibus caelum, quod est "hereditas" et quoque "merces." Apud *Esaiam*,

> "Num obliviscitur mulier infantis sui, ut non misereatur filii ventris sui? etiam si [3]hi obliviscerentur, Ego tamen non obliviscar tui" (xlix. 15):

hoc dicitur, quia in sensu spirituali intelligitur regeneratio; quare comparatio fit cum muliere, et ejus amore erga infantem suum; simile fit cum regenerato a Domino. Apud [4]*Davidem*,

"Juravit Jehovah Davidi veritatem,....De fructu ventris tui ponam super thronum tibi" (Ps. cxxxii. 11):

per "Davidem" hic, ut quoque alibi, intelligitur Dominus quoad regnum spirituale, quod est regium Ipsius; quare per "ponere super thronum de fructu ventris ejus," intelligitur qui ab Ipso regeneratur; is vocatur "fructus ventris ejus" ex eo, quia est in veris et in vita secundum illa; per "thronum," qui ei erit, intelligitur caelum: haec sunt quae in sensu spirituali per illa verba significantur; in sensu autem supremo per illa intelligitur Dominus ac Ipsius glorificatio. Apud eundem,

"Tu possides renes meos, obtexisti me in ventre matris meae" (Ps. cxxxix. 13):

per "possidere renes" significatur purificare vera a falsis (videatur supra, n. 167); et per "obtegere in ventre matris" significatur tutari a falsis mali quae ab inferno, et a principio regenerationis et dein continue. Apud eundem,

"Abalienati sunt impii ab utero, aberrant a ventre loquentes mendacium" (Ps. lviii. 4 [*B. A.* 3]):

hic non intelligitur quod impii abalienati sint ab utero, et quod aberrent a ventre, hoc est, a prima nativitate, nam nemo ex ea abalienatur a Deo et aberrat; sed "abalienari ab utero" significat quod recesserint a bono ad malum a primo die quando reformari possunt; et "aberrare a ventre" significat quod recesserint a veris ad falsa similiter; "loqui mendacium" etiam significat credere falsa: quod recesserint a primo die quando reformari possunt, est quia Dominus omnes, quicunque sint, conatur reformare, incipiendo a pueritia et continuando per adolescentiam in juventutem; sed quod illi statim recesserint, non passi se reformari. Apud *Hoscheam*,

"Ligata est iniquitas Ephraimi, reconditum peccatum ejus: dolores parturientis venient illi; ille filius non sapiens, quia tempus non stat in utero filiorum" (xiii. 12, 13):

per "Ephraimum" significatur intellectus veri, hic intellectus perversus, qui est falsi pro vero; falsum ejus significantur per "iniquitatem," ac malum falsi per "peccatum ejus;" inde vocatur "filius non sapiens:" quod reformationem non recipiat, significatur per quod "dolores parturientis

venient illi," et per quod "tempus non stet in utero filiorum;" per "tempus non stat in utero filiorum" significatur quod non permaneat in statu reformationis. Apud *Esaiam*,

> "Novi perfide agendo perfide acturus esses, et praevaricatoris nomine ab utero vocatum est tibi" (xlviii. 8):

haec de domo Jacobi, per quam intelligitur ecclesia perversa; "perfide agere" significat contra vera revelata; "et praevaricatoris nomine ab utero vocari" significat recessionem a veris a primo tempore quo reformari posset; per "vocari nomine" significatur quale ejus quoad illa. Apud *Hoscheam*,

> Jacob "in utero supplantavit fratrem suum, et in robore suo potenter pugnavit cum Deo" (xii. 4 [*B. A.* 3]):

quid per haec in sensu interno significatur, nemo scire potest, nisi qui scit quod Jacob et ejus posteri usque a patribus eorum fuerint mere naturales, inde contra bonum caeli et ecclesiae; nam qui naturalis est et non simul spiritualis, ille est contra bonum illud; hoc enim comparatur solum per conjunctionem veri et boni primum in spirituali homine, et dein in naturali; per "Esavum" autem significatur bonum naturale in spirituali: nunc quia Jacob et posteri ejus tales fuerunt, et quia omne bonum tale rejecerunt, et hoc a primo tempore, ideo dicitur de Jacobo quod "in utero supplantaverit fratrem suum." Praeterea per "pugnam Jacobi cum angelo" (de qua agitur *Genes.* xxxii. 25–32 [*B. A.* 24–31]), describitur contumacia illorum, qua instituerunt quod terram Canaanem possiderent; per quod intelligitur ut ecclesia apud illos institueretur. Haec contumacia describitur per illam pugnam, et quoque per illa quae in versu sequente apud *Hoscheam* ibi dicuntur; nempe,

> "Et potenter pugnavit cum angelo,..flevit et precatus est eum" [xii. 5 [*B. A.* 4]]:

sed quod usque futuri absque aliquo bono amoris caelestis et spiritualis, intelligitur per

> Quod angelus tetigerit volam femoris Jacobi, et quod luxata sit vola femoris ejus in luctando cum angelo (*Gen.* xxxii. 25, 32 [*B. A.* 24, 31]):

per "femur" enim significatur conjunctio boni et veri, et per "luxationem" ejus, quod nulla conjunctio veri cum bono esset Jacobo et posteris ejus; hoc intelligitur per quod "Jacob potenter pugnaverit cum Deo." (Sed de his videantur *Arcana Caelestia*, n. 4281, ubi explicata sunt. Quod gens Israelitica et Judaica non electa fuerit, sed recepta ut ecclesiam repraesentaret, ob contumaciam qua patres eorum et Moses instituerunt, ibi n. 4290, 4293, 7051, 7439, 10430, 10535, 10632.) Apud *Mosen*,

> Collidebant filii inter se in ventre Rebeccae: et "dixit Jehovah, Duae gentes in utero tuo, et duo populi e visceribus tuis separabuntur, et populus prae populo valebit, et major [1]serviet minori. Et impleti sunt dies ad pariendum, et ecce gemini in utero ejus, et exivit primus rufus totus, sicut tunica pilosa, et vocabant nomen ejus Esau: et post ita exivit frater ejus, et manus ejus prehendens in calcaneum Esavi, et vocabat nomen ejus Jacob" (*Gen.* xxv. 20-26):

haec historica involvunt illa quae nunc supra de Jacobo et ejus posteris dicta sunt; quod nempe mere naturales essent, et inde non in aliquo bono naturali ex spirituali, quod significatur per "Esavum;" quod Jacobi posteri absque illo essent, significatur per quod "Jacob exiens ex utero matris prehenderit calcaneum Esavi;" per "calcaneum" significatur ultimum naturale. (Sed haec quoque explicata sunt in *Arcanis Caelestibus*.) Apud eundem,

> "A Deo patris tui et juvabit te, et cum Schaddai et benedicet tibi, benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi cubantis infra, benedictionibus uberum et uteri" (*Gen.* xlix. 25):

haec benedictio Josephi a patre Israele, de qua etiam in *Arcanis Caelestibus* (n. 6428-6434); et ibi quod "benedictiones uberum" significent affectiones boni et veri, et "benedictiones uteri" conjunctionem boni et veri, ita regenerationem. Apud eundem,

> "Ut" Jehovah "amet te, et benedicat tibi, et multiplicet te, benedicat fructui ventris tui, et fructui terrae tuae, frumento tuo et musto tuo, oleo tuo, fetui boum tuorum, et arietum gregis tui" (*Deutr.* vii. 13);

et alibi,

> "Benedictus fructus ventris tui, et fructus terrae tuae,....fetus boum tuorum, et pecorum gregis tui" (*Deutr.* xxviii. 4):

haec ad filios Jacobi, qui non aliter illa intellexerunt quam naturaliter, hoc est, secundum sensum litterae, quia mere naturales erant, et prorsus non spirituales; at per "benedictiones" illas significantur benedictiones spirituales, quae sunt caeli et inde vitae aeternae: nam per "fructum ven-

tris" significatur bonum amoris et verum illius boni; per "fructum terrae" significatur omne ecclesiae; per "frumentum et mustum" significatur omne bonum et verum in naturali homine; per "fetum boum et pecorum gregis" significantur affectiones illorum exteriores et interiores; in genere per omnia illa significatur fructificatio et multiplicatio illorum.

[*c*.] Apud *Esaiam*,

"Ecce Ego excitans contra eos Medum, qui argentum non aestimabunt, et auro non delectabuntur, quorum arcus juvenes allident, et fructus ventris non miserabuntur, filiorum non parcet oculus eorum" (xiii. 17, 18):

per "Medum" intelliguntur illi qui nihili faciunt verum et bonum ecclesiae, et [1]illa quae inde intellectus et amoris sunt, destruunt; per "argentum" quod non aestimabunt, et per "aurum" quo non delectabuntur, significatur verum et bonum caeli et ecclesiae, per "argentum" verum et per "aurum" bonum eorum: quod "arcus illorum juvenes allident, et fructus ventris non miserabuntur," significat quod falsa doctrinae destruent omnem intellectum veri, et omne bonum amoris; per "arcum" significatur falsum doctrinae, per "juvenes" intelligentia veri, et per "fructum ventris" bonum amoris: quod "filiorum non parcet oculus eorum" significat quod perversus eorum intellectus ac insania omne verum ecclesiae devastabit; "filii" sunt vera, et "oculus" est perversus intellectus qui insania. Sciendum est quod per "Medum" non intelligatur Medus, sed tales et talia in ecclesia quae devastant illam. Apud *Matthaeum*,

Pharisaei dicebant, "Licetne homini dimittere uxorem suam quavis ex causa? Respondens" Jesus, "dixit.., Annon legistis, quod Is qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit, Propterea deseret homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carnem unam? quare non amplius sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus copulavit, homo non separabit. ....Moses ob duritiem cordis vestri permisit dimittere uxores vestras; ab initio non fuit sic: dico vobis, quod quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, adulterium committat; et quicunque dimissam ducat, adulterium committat. Dixerunt..discipuli.., Si sic causa cum uxore sua, non expedit matrimonium contrahere; sed dixit Jesus..., Non omnes capiunt verbum hoc, sed ii quibus datum est; sunt enim eunuchi qui ex utero matris nati sunt sic; et sunt eunuchi qui eunuchi facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi qui eunuchos fecerunt se ipsos propter regnum Dei: qui potest capere, ille capiat" (xix. 3-12):

quod arcana interiora his insint, constare potest ex Domini verbis, quod non omnes capiant verba haec, sed ii quibus datum est. Arcanum interius, quod illis quae a Domino dicta sunt, inest, homines parum capiunt, sed omnes angeli in caelo; causa est, quia hi illa Domini verba spiritualiter percipiunt, et arcana, quae insunt, spiritualia sunt: nempe, in caelis aeque ac in terris conjugia sunt, sed in caelis conjugia similium cum similibus fiunt; vir enim natus est ut ex intellectu agat, mulier autem ut ex affectione; ac intellectus apud viros est intellectus veri et boni, et affectio apud mulieres est affectio veri et boni; et quia omnis intellectus vitam trahit ex affectione, ideo copulantur ibi sicut copulatur affectio quae voluntatis cum correspondente cogitatione quae intellectus: intellectus enim apud unumquemvis est varius, sicut vera, ex quibus intellectus, sunt varia; in genere sunt vera caelestia, sunt vera spiritualia, sunt vera moralia, sunt vera civilia, immo sunt vera naturalia; et cujusvis veri sunt species et sunt varietates innumerabiles; et quia inde est quod nusquam unius intellectus sit similis alterius, nec unius affectio similis alterius, ut tamen usque intellectus et affectio unum agant, ideo copulantur in caelo ita ut correspondens affectio quae est mulieris conjungatur cum correspondente intellectu qui est viri: inde est [quod] vita utrique sit ex correspondentia, plena amore. Quia nunc binae affectiones variae non correspondere possunt uni intellectui, inde in caelo nusquam datur, nec dari potest, quod plures uxores sint uni viro. Ex his videri et concludi potest quid per illa Domini verba etiam spiritualiter intelligitur; ut quid per quod "vir relinquet patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt in carnem unam;" nempe, quod vir relinquet id malum et falsum quod ei ex religione est, et inquinat intellectum ejus, ita ex patre et matre; et quod intellectus ejus ab illis separatus conjungetur cum correspondente affectione quae uxoris; inde duo fiunt una affectio veri et boni; hoc intelligitur per "carnem unam," in qua duo erunt, "caro" enim in spirituali sensu significat bonum quod est amoris seu affectionis: "quare non amplius sunt duo, sed una caro," significat quod sic intellectus boni et veri ac affectio boni et veri non duo sed unum sint, similiter ac voluntas et intellectus quidem duo

sunt, sed usque unum; et similiter ac verum et bonum, tum fides et charitas, quae quidem duo sunt, sed usque unum; nempe, quando verum est boni ac bonum est veri, tum quando fides est charitatis ac charitas est fidei; est etiam inde amor conjugialis: quod "Moses ob duritiem cordis permiserit dimittere uxorem ex quacunque causa," erat quia Israelitae et Judaei naturales erant, et non spirituales; et qui mere naturales sunt, illi etiam duri corde sunt, quia non in aliquo amore conjugiali, sed in lascivo, quale est adulterii: quod "quicunque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, adulterium committat," est quia fornicatio significat falsum, et apud mulierem affectionem mali et falsi, ita affectionem quae nullatenus concordat cum intellectu veri et boni; et quia ex illa discordantia amor conjugialis, qui est veri et boni, et inde caelum et ecclesia apud hominem, prorsus perit; nam cum conjunctio interior, quae est mentium et animorum, nulla est, conjugium dissolvitur: quod "qui dimissam ducit etiam adulterium committat," est quia per "dimissam propter fornicationem" intelligitur affectio mali et falsi, ut supra, quae non copulanda est cum aliquo intellectu veri et boni; inde enim intellectus pervertitur, et quoque fit falsi et mali, et conjunctio falsi et mali est adulterium spirituale, sicut conjunctio veri et boni est conjugium spirituale. Quod Dominus postea locutus sit de eunuchis, erat quia discipuli dixerunt, "Si sic est causa hominis cum uxore, non expedit matrimonium contrahere;" et quia conjugia apud gentem Judaicam, quae dura corde fuit ex eo quod in falsis ex malo essent, non erant conjugia sed adulteria in spirituali sensu intellecta, quare etiam illa gens a Domino "gens adultera" vocata est, ideo locutus est Dominus de "eunuchis," per quos intellecti sunt qui non volunt conjugium inire, hoc est, conjungi, cum affectione mali, quia sic intellectus veri et boni perverteretur et dissiparetur; ita per "eunuchos" intelliguntur tam nupti quam non nupti, apud quos conjunctus est intellectus veri et boni cum affectione veri et boni: quod "eunuchi" dicantur est quia non illis lascivum est, quale est illis qui ex duritie cordis, in qua fuerunt Judaei, plures uxores duxerunt, et quamlibet ex causa quacunque repudiarunt. Prius sciendum est quod conjugium intellectus veri et boni cum affectione

veri et boni sit in genere ex triplici origine, et inde in triplici gradu; in supremo gradu est conjugium illorum qui caelestes vocantur, in inferiori inter illos qui spirituales, et in infimo inter illos qui naturales; tot enim gradus sunt interiorum hominis: inde tres caeli sunt; qui in supremo caelo sunt vocantur caelestes, qui in inferiori spirituales, et qui in infimo naturales. Conjugium intellectus veri et boni cum affectione veri et boni apud caelestes, intelligitur per "eunuchos qui in utero matris nati sunt eunuchi;" ex causa quia illi, dum regenerantur, recipiunt vera statim in vita per amorem eorum, inde est quod illi sciant vera ex ipsis veris: regeneratio eorum a Domino per amorem in Ipsum significatur per "in utero fieri [1]eunuchos," ita absque lascivo adulterii. Conjugium autem intellectus veri et boni cum affectione veri et boni apud spirituales, intelligitur per "eunuchos qui ab hominibus facti sunt eunuchi;" hi enim non in utero, hoc est, per amorem, regenerantur, sed per vera primum recepta in memoria, et dein intellectualiter in cogitatione, et sic demum in vita per quandam affectionem spiritualem; hi dicuntur "fieri eunuchi ex hominibus," quia per intellectum ex memoria reformantur, et "homo" significat illum intellectum, ut quoque supra, ubi dicitur "homo et uxor." Conjugium autem [intellectus] veri et boni cum affectione veri et boni apud naturales, intelligitur per "eunuchos qui se ipsos faciunt eunuchos;" naturales enim per cognitiones et scientias sibi comparant lumen naturale, et per bonum vitae secundum illas affectionem, et inde conscientiam; et quia hi non aliud sciunt quam quod ipsi hoc faciant, nam naturalis homo non gaudet intelligentia qua spiritualis homo, nec gaudet perceptione qua caelestis homo, inde est quod illi sint qui se ipsos faciant; sed ita dicitur ex apparentia et ex fide obscura apud illos. Haec itaque sunt quae intelliguntur per "fieri eunuchos propter regnum Dei:" et quia pauci haec capiunt, dicitur a Domino, "Qui potest capere, capiat." (Sed ad illustrationem hujus rei, videantur quae in opere *De Caelo et Inferno*, De duobus Regnis, in quae Caeli distincti sunt; tum De tribus Caelis secundum tres Gradus interiorum Hominis, n. 20-40; et quae De Conjugiis in Caelo, n. 366-386, dicta et ostensa sunt.) Dicitur de Johanne Baptista,

Quod impletus sit Spiritu sancto in utero matris: et quod embyro in utero ad salutationem Mariae exultaverit (*Luc*. i. 15, 41, 44):

sed per hoc significabatur quod ille repraesentaturus esset Dominum quoad Verbum, sicut Elias; in Verbo enim, quod est Divinum Verum, est ubivis conjugium Divini Boni ac Divini Veri, ac Divinum Bonum unitum Divino Vero est Divinum a Domino procedens, quod vocatur "Spiritus sanctus:" "exultatio in utero" ad salutationem Mariae repraesentabat gaudium ex amore conjunctionis Boni et Veri, ita gaudium amoris conjugialis caelestis, qui est in singulis Verbi. (Quod Johannes Baptista, sicut Elias, repraesentaverit Dominum quoad Verbum, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 7643, 9372.)

[d.] Quid significat "masculus qui primo aperit uterum" etiam dicetur; de illo ita legitur apud *Mosen*,

"Cum deduxerit te Jehovah in terram [1]Canaanem,....transire facies omnem aperturam uteri Jehovae, et omnem aperturam fetus bestiae, quotquot erunt tibi masculi, Jehovae:....sed omnem primogenitum..inter filios tuos redimes. Quod si fiat, ut interroget te filius tuus cras, dicendo, Quid hoc? dices ad eum, Per fortitudinem manus eduxit nos Jehovah ex Aegypto, e domo servorum;.... dum occidit omnem primogenitum in terra, a primogenito hominis usque ad primogenitum bestiae; propterea ego sacrifico Jehovae omnem aperturam uteri, masculos, et omnem primogenitum filiorum meorum redimo" (*Exod.* xiii. 11-15; cap. xxxiv. 19, 20).

Quod loco eorum accepti sint Levitae, apud eundem,

"Ecce accepi Levitas e medio filiorum Israelis loco omnis primogeniti, aperturae uteri, de filiis Israelis, ut sint Mihi Levitae: quia Mihi omne primogenitum in die quo percussi omne primogenitum in terra Aegypti, sanctificavi Mihi omne primogenitum in Israele, ab homine usque ad bestiam Mihi erunt" (*Num.* iii. 12,13; cap. viii. 16, 17):

spirituale quod in hoc statuto reconditum latet, non patet, nisi sciatur quod "generationes" et "nativitates" naturales significent generationes et nativitates spirituales; tum etiam quod omnia membra generationis correspondeant amori caelesti et ejus productis, quae sunt usus, qui vocantur vera illius amoris. Quia ita est, et quia "conjugium" in sensu spirituali significat conjugium boni et veri, ut supra dictum est, inde constare potest quid in eodem sensu significatur per "aperturam uteri," seu "primogenitum masculum:" per "aperturam uteri," seu per "primogenitum masculum," significatur id quod primum nascitur ex amore caelesti et perceptione boni et veri; quod hoc sit verum ex bono, quod loco principii est reliquis, patet; hoc in sua essentia est bonum spirituale, nam hoc bonum in sua forma est verum ex bono; seu, quod idem est, verum ex

bono in sua essentia est bonum spirituale. Hoc significatur per "aperturam uteri," "primogenitum masculum," ex causa quia uterus correspondet intimo amori conjugiali, qui in sua essentia est amor caelestis; et ex hoc amore producitur bonum spirituale, quod in sua forma est verum ex bono, ac in specie id verum ex bono quod principii loco est reliquis; quod principii loco est, id in succedentibus est omne quoad essentiale illorum, quia id in his est regnans. Quoniam hoc significatur per "aperturam uteri," seu "primogenitum masculum," ideo id sanctificatum est Jehovae, et per id etiam sanctificati fuerunt omnes fetus sequentes. Sciendum est quod bona caeli et ecclesiae trium graduum sint; bonum intimi gradus, ita quoque intimi caeli, vocatur bonum amoris caelestis; bonum inferioris gradus, quod etiam est bonum medii caeli, vocatur bonum amoris spiritualis; et bonum infimi gradus, quod etiam est bonum ultimi caeli, vocatur bonum naturale: haec bona sicut ordine sequuntur ita quoque ordine nascuntur; bonum amoris naturalis nascitur ex bono amoris spiritualis, et bonum amoris spiritualis nascitur ex bono amoris caelestis; inde est, quod per "aperturam uteri," "primogenitum masculum," significetur bonum amoris spiritualis natum [1]ex bono amoris caelestis. Quoniam per "bestias" significantur affectiones, per "bestias ex armento" affectiones exteriores, et per "bestias ex grege" affectiones interiores, ideo etiam illarum primogenita sanctificata sunt. Quod ita sit etiam constare potest ex eo, quod Levitae loco omnium primogenitorum recepti sint, per "Levin" enim et inde per "Levitam" significatur bonum spirituale ex bono caelesti; inde etiam sacerdotium, per quod significatur bonum caeleste, datum est Aharoni et filiis ejus, ac ministerium hujus [2]boni, per quod significatur verum ex bono, datum est Levitis. (Quod illa per "tribum Levi" significata fuerint, videatur supra, n. 444.) Quod statutum de primogenitis datum sit filiis Israelis, quia occisa sunt omnia primogenita in Aegypto, erat quia per "primogenita" ibi significantur falsa ex malo contraria seu opposita veris ex bono, ita malum infernale contrarium seu oppositum bono spirituali; et quia cum illa falsa ex malo apud hominem sunt occisa, hoc est, remota, tunc primum vera ex bono, seu bonum spirituale, a Domino influit, et ab homine reci-

pitur. Ex his constare potest quid per id statutum repraesentatum est, et in sensu spirituali significatum. Quid significatum est per

> **Quod Deus clauserit omnem uterum domus Abimelechi propter Saram, uxorem Abrahami; et postquam Abraham oraverat pro illis, Deus sanaverit Abimelechum, uxorem ejus, et ancillas eorum, ut pepererint (*Gen.* xx. 17, 18),**

videatur in *Arcanis Caelestibus*, ubi illa explicata sunt.

711. ***"Clamavit parturiens, et cruciata parere."***—Quod significet *non receptionem ab illis qui in ecclesia naturales et sensuales sunt, et resistentiam illorum*, constat ex significatione "clamare parturiens" et "cruciari pariendo," cum de doctrina veri nascente ex amore caelesti, quae per "masculum" quem peperit, intelligitur, quod sit non receptio ejus, et quoque resistentia; quod sit ab illis qui in ecclesia naturales et sensuales sunt, est quia illi intelliguntur per "draconem," de quo sequitur. Quod "parturire" et "parere" sit parturire et parere talia quae ecclesiae sunt, hic quae doctrinae veri et boni, constare potest ex illis quae in antecedente articulo de "utero" et ejus apertura, et de "partu," ostensa sunt, et quoque in sequentibus hujus capitis, ubi "parere" dicitur. Interim licet hoc modo memorare quod per "masculum, quem mulier peperit," intelligitur doctrina Novae Hierosolymae, quae a Domino e caelo data est; quod dracones tunc circumsteterint, ac vehementer et obnixe obstiterint, et hoc usque ad clamorem et cruciatum illorum qui pro illa doctrina erant, testari possum: quod etiam similes in mundo obstituri sint ne recipiatur, inde constare potest. Quinam illi sunt, dicetur in sequentibus, ubi de "dracone" et de "bestiis." Quid autem in specie significatur [per] "clamare parturiens" et "cruciari pariendo" in Verbo alibi, videatur infra (in articulo [1]721), ubi explicatur quid "parturire" et "parere" significat, quae videantur.

VERSUS 3, 4.

712. ***"Et visum est aliud signum in caelo; et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem, et super capitibus suis diademata septem. Et cauda sua traxit tertiam partem stellarum caeli, et projecit illas in terram; et draco stetit coram muliere futura parere, ut postquam peperit, fetum ejus devoraret."***

3. ***"Et visum est aliud signum in caelo,"*** significat *revelationem Divinam de impugnatione doctrinae quae pro nova ecclesia, et a quibus* [n. 713];

"**et ecce draco magnus rufus,**" significat *omnes qui mere naturales et sensuales sunt ex amore sui et mundi, et usque sciunt plura aut pauciora ex Verbo, ex doctrina inde, et praedicatione, et putant per solam scientiam absque vita salvari* [n. 714]; "**habens capita septem,**" significat *scientiam sanctorum Verbi, quae adulteraverunt* [n. 715]; "**et cornua decem,**" significat *multam potentiam* [n. 716]; "**et super capitibus suis diademata septem,**" significat *Divina vera in ultimo ordinis, quae sunt vera sensus litterae Verbi, adulterata et profanata* [n. 717].

4. "**Et cauda sua traxit tertiam partem stellarum caeli,**" significat *falsificationem et adulterationem omnium veritatum Verbi* [n. 718, 719]: "**et projecit illas in terram,**" significat *exstinctionem et destructionem illarum* [n. 720]; "**et draco stetit coram muliere futura parere,**" significat *odium illorum qui per "draconem" intelliguntur, contra ecclesiam apud illos qui in doctrina et inde vita amoris et charitatis a Domino erunt* [n. 721]; "**ut postquam peperit, fetum ejus devoraret,**" significat *ut destruerent doctrinam illius ecclesiae in primo ejus ortu* [n. 722].

713. [*Vers.* 3.] "**Et visum est aliud signum in caelo.**"—Quod significet *revelationem Divinam de impugnatione doctrinae quae pro nova ecclesia, et a quibus*, constat ex significatione "signi magni," quod sit revelatio, manifestatio et testificatio Divina (de qua supra, n. 706): quod sit de impugnatione doctrinae quae pro nova ecclesia, et a quibus, constat ex sequentibus, in quibus describitur hoc signum; illi qui impugnaturi doctrinam intelliguntur per "draconem magnum rufum, serpentem antiquum," et ipsa impugnatio describitur per quod "draco ille steterit coram muliere paritura, ut devoraret fetum ejus," et postea per "pugnam draconis cum Michaele," et dein per quod "persecutus sit mulierem in desertum, et ibi post illam ejecerit aquam sicut flumen," et porro in sequentibus. Quinam autem per "draconem" intelliguntur, in sequenti articulo dicetur; hic solum quod sint illi qui communicationem cum angelis caeli habent, sed modo per externa, non autem per interna; nam dicitur quod draco ille visus sit "in caelo;" nam qui nullam communicationem cum caelo habent, non possunt ibi videri, sunt enim in inferno; qui sunt qui negant Deum, imprimis Dominum, qui Verbum nihili pendunt et blasphemant, quique nullam fidem de vita aeterna habent; verbo, omnes illi qui super omnia amant semet et mundum, ac in inimicitiis, odiis, vindictis et dolis vitam agunt, et in illis jucundum sentiunt. Haec dicta sunt ut sciatur quod per "draconem" non intelligantur tales, sed qui dum in mundo vivunt communicationem externam cum caelo

habent, quae communicatio illis est ex lectione Verbi, ex praedicatione inde, et ex cultu externo secundum ecclesiae suae statuta, sed usque non in aliqua vita secundum praecepta Domini sunt; inde est quod tales quidem communicationem, sed non internam cum caelo habeant: unde est quod illi dicantur "diabolus et satanas," in sequentibus etiam dicetur.

714[a]. *"Et ecce draco magnus rufus."*—Quod significet *omnes qui mere naturales et sensuales sunt ex amore sui, et usque sciunt plura aut pauciora ex Verbo, ex doctrina inde, aut ex praedicatione, ac putant per solam scientiam absque vita salvari,* constat ex significatione "draconis," quod sit mere naturalis et sensualis homo, et tamen in scientia rerum in se spiritualium, sive haec sit ex Verbo, sive ex praedicatione, sive ex religione (de qua sequitur); et ex significatione "magni rufi," quod sit esse in amore sui et in ejus malis, "magnum" enim in Verbo dicitur de bono, et in opposito sensu de malo, sicut "multum" de veris, et in opposito sensu de falsis (videatur supra, n. 336, 337, 424); et "rufus" dicitur de amore in utroque sensu, nempe de amore caelesti, qui est amor in Dominum, et in opposito sensu de amore diabolico, qui est amor sui (de qua re etiam videatur supra, n. 364); ex his constare potest quod per "draconem magnum rufum" intelligantur omnes qui mere naturales et sensuales sunt ex amore sui, et usque sciunt plura et pauciora ex Verbo, vel ex doctrina inde, vel ex praedicatione, et putant per solam scientiam absque vita charitatis salvari; quod iidem putent se per solam scientiam absque vita charitatis salvari, est quia omnes illi fiunt mere naturales et sensuales qui vivunt corpori et mundo, et non Deo et caelo; nam quisque secundum vitam suam interius formatur, et vivere corpori et mundo est vivere naturalis et sensualis, at vivere Deo et caelo est vivere spiritualis. Unusquisque homo a parentibus nascitur sensualis, ac per vitam in mundo fit naturalis interius et interius, hoc est, rationalis, secundum vitam moralem et civilem, et inde comparatum lumen; at postea fit ille homo spiritualis per vera ex Verbo aut ex doctrina ex Verbo, ac per vitam secundum illa: inde constare potest quod qui scit illa quae Verbum, aut quae doctrina, aut quae praedicator docet, et non vivit secundum illa, utcunque doctus et eruditus appa-

reat, non usque sit spiritualis, sed naturalis, immo sensualis; nam scientia et facultas ratiocinandi non facit spiritualem hominem, sed ipsa vita. Causa quod ita sit, est quia scientia et inde facultas ratiocinandi est modo naturalis; quare etiam dabilis est apud malos, immo apud pessimos; at vera ex Verbo una cum vita secundum illa faciunt hominem spiritualem, nam vita est velle vera ac facere illa ex amore illorum; hoc non dabile est ex solo naturali homine, sed ex spirituali, et ex hujus influxu in naturalem; nam amare vera, et ex amore velle illa, et ex ea voluntate facere illa, est ex caelo, hoc est, per caelum a Domino, et est in sua natura caeleste et Divinum; hoc non influere potest immediate in mentem naturalem, sed mediate per mentem spiritualem, quae aperiri et formari potest ad receptionem lucis et caloris caelestis, hoc est, ad receptionem Divini Veri ac Divini Boni. Causa quod haec non immediate influere possint in mentem naturalem, est quia in hac mente resident mala hereditaria hominis, quae sunt amoris sui et mundi; inde naturalis homo in se spectatus non amat nisi semet et mundum, et ex amore vult illa, et ex velle facit illa; et haec sunt quae obstant quin e caelo illuc aliquid influere possit et ibi recipi; quapropter provisum est a Domino ut haec possint removeri, et sic possit dari locus pro veris et bonis amoris spiritualis, nempe per aperitionem et formationem mentis spiritualis, quae supra mentem naturalem est, ac per influxum inde caeli a Domino per illam in mentem naturalem. Haec dicta sunt ut sciatur quod scire illa quae Verbi sunt, ac quae doctrinae ecclesiae, non faciat hominem spiritualem, sed quod vita secundum illa quae Dominus in Verbo praecepit; proinde tametsi sciunt multa ex Verbo, quod usque naturales et sensuales maneant. Hi itaque sunt qui per "draconem" in Verbo significantur. Quod illi sint qui significantur per "draconem," est quia draco est genus serpentis, qui non modo repit humi, sed etiam volat, et inde apparet in caelo; ille volatus et haec apparentia est, ex quibus illi qui in scientia veritatum ex Verbo sunt, et non in vita secundum illas, intelligantur per "draconem:" per "serpentes" enim in genere significantur sensualia hominis (videatur supra, n. 581); inde quoque est quod draco (in hujus capitis versu 9, et quoque cap. xx. vers. 2) dicatur "serpens antiquus."

[*b*.] Quoniam in sequentibus hujus capitis, et quoque postea, agitur de "dracone," dicetur quinam in genere et in specie per illum significantur. In genere per illum significantur qui naturales sunt plus et minus, et usque in scientia rerum spiritualium ex Verbo sunt; in specie autem significantur qui se confirmaverunt in fide separata a charitate, doctrina et vita: hi caput ejus constituunt; qui autem ex propria intelligentia excluserunt sibi dogmata ex Verbo, hi corpus draconis faciunt; qui vero absque doctrina student Verbo, illi externa draconis formant. Hi omnes etiam falsificant et adulterant Verbum, quoniam in amore sui et inde in fastu propriae intelligentiae sunt, ex quo mere naturales, immo sensuales facti sunt; et sensualis homo non videre potest vera genuina Verbi, propter fallacias, propter obscurum perceptionis, et propter mala corporis ibi residentia; sensuale enim adhaeret corpori, unde talia sunt.

(i.) Quod *primum*, nempe quod per "draconem" in genere intelligantur qui naturales sunt magis et minus, et usque in scientia rerum spiritualium ex Verbo, est quia per "serpentes" in genere [1]significantur sensualia hominis, et inde sensuales homines; quare per "draconem," qui est serpens volans, significatur sensualis homo, qui usque versus caelum volat, per id quod loquatur et cogitet ex Verbo, aut ex doctrina e Verbo; ipsum Verbum enim est spirituale, quia est in se Divinum, et inde est in caelo: at quia sola scientia spiritualium ex Verbo non facit hominem spiritualem, sed vita secundum illa quae in Verbo sunt, inde omnes ex illis qui in scientia ex Verbo sunt, et non in vita secundum illam, naturales sunt, immo sensuales. Sensuales, qui per "draconem" intelliguntur, sunt illi qui nihil vident ex luce caeli, sed modo ex luce mundi, et qui ex hac sola luce possunt loqui de Divinis, et quoque acute et alacriter ratiocinari, excitante igne amoris sui ac inde fastu; sed usque non possunt videre num vera sint vel non vera, dicentes id verum esse quod ex pueritia hauserunt ex magistro aut praedicatore, et dein ex doctrina, ac postea confirmarunt ex aliquibus locis ex Verbo non interius intellectis. Hi quia nihil vident ex luce caeli, non vident vera, sed loco illorum falsa, quae vocant vera; nam ipsa vera non possunt videri nisi in luce caeli, et non

in luce mundi, nisi haec illustrata sit ab illa. Illi, quia tales sunt, non aliam vitam amant quam corpoream et mundanam; et quia voluptates et concupiscentiae hujus vitae resident in naturali homine, inde interiora eorum sunt foeda, et omnis generis malis obstipata, quae claudunt omnem viam pro influxu lucis et caloris caeli; inde sunt interius diaboli et satanae, utcunque appareant ex loquelis ac simulatis gestibus sicut spirituales et Christiani. Tales non sunt nisi quam sensuales; nam exterius loqui possunt de sanctis ecclesiae, et interius usque nihil credunt; et qui putant se credere, est historicum et inde persuasivum ex magistro aut ex propria intelligentia, in se falsum, quod creditur; cui tamen fides habetur quia inservit pro medio ad famam, honorem et lucrum. Tales in genere sunt dracones. Sunt autem plures in specie qui per "draconem" significantur; sunt enim qui referunt ejus caput, qui ejus corpus, et qui ejus externa.

(ii.) Qui in specie referunt draconis caput sunt qui in sola fide, quae est fides separata a charitate, se confirmaverunt doctrina et vita; quod illi caput draconis referant, est quia plerique eorum sunt eruditi, et creduntur docti; confirmaverunt enim se quod per solum cogitare illa quae ecclesia docet, quod vocant credere, salventur: sed dicetur qualis est doctrina illorum, et qualis est vita illorum. Doctrina illorum est quod Deus Pater miserit Filium suum ab aeterno natum in mundum ut fieret homo, ut impleret omnia Legis, portaret omnium iniquitates, ac pateretur crucem; et quod per id Deus Pater reconciliaretur, et commoveretur misericordia, et quod reciperentur illi in caelum qui in fide de illis ex fiducia essent, et quod fiducia illius fidei una cum Domino intercederet et salvaret: proinde quod illa fides detur generi humano separato a Deo Patre, ut medium receptionis et salutis, quia homo postquam Adamus comederat ex arbore scientiae non amplius in statu faciendi bonum ex se esset, perdiderat enim inde cum imagine Dei liberum arbitrium; denique quod supradicta sint meritum Domini, per quod homo unice potest salvari. Haec sunt primaria fidei apud illos qui in fide sola sunt, quoad doctrinam. Quod nemo possit ex aliquo visu spirituali, qui est intellectus, quicquam ex illis percipere, et sic credere, sed modo talia ex memoria,

absque intellectu, scire et inde loqui, sic ut illi doctrinae nihil intelligentiae insit, alibi, volente Domino, exponetur et illustrabitur. Quales autem iidem sunt quoad vitam, etiam dicetur. Docent quod homo per solam fidem ducatur a Deo usque ad conatum faciendi bonum, et quod ipsum bonum actu nihil faciat ad salutem, sed sola fides; et quod tunc nihil mali condemnet illum, quia est in gratia, ac justificatus. Excogitarunt etiam gradus, quos vocant progressiones solius fidei ad justificationis ultimum: primus est informatio in talibus quae fidei sunt, imprimis in illis quae supramemorata sunt: secundus est confirmatio ex Verbo, aut ex praedicatione: tertius est inquisitio mentalis, annon ita sit; et quia tunc influit dubitatio et inde vacillatio, quae est tentatio, quod confirmaturus sit se ex Verbo de fidei operatione, unde ei fit fiducia, quae est victoria; adjiciunt quod cavendum sit ne tunc intellectus ultra confirmationes ex Verbo de justificatione per solam fidem vadat; si ultra, et si intellectus non captivetur sub obedientia fidei, quod succumbat: quartus et ultimus gradus est conatus ad faciendum bonum, et quod is sit influxus a Deo, et nihil ab homine, et quod sit fructus fidei; dicentes quod, quando homo ita plene justificatus est, postea nihil mali condemnet illum, et nihil boni salvet, sed solum fides. Ex his constare potest quales illi sunt quoad vitam; quod nempe vivant sibi et non Deo, et mundo et non caelo; hoc enim sequitur ex fide quod mala non condemnent, et bona non salvent: nec sciunt quod fides absque vita charitatis non sit fides, et quod homo debeat mala fugere et bona facere sicut a se, et usque credere quod a Domino, et quod alioqui mala non queant discuti, nec bona appropriari: sed de his quoque alibi plura. Illa doctrina et haec vita est apud illos qui formant caput draconis, qui sunt quoad plurimam partem eruditi antistites, pauci autem ex vulgo: causa est quia illi reputant ea sicut abdita theologiae, quae a vulgo propter negotia non capi possunt. Quod illi sint dracones quoad caput, est quoque quia pervertunt et falsificant omnia Verbi, quae docent amorem, charitatem et vitam; nam Verbum in se spectatum est modo doctrina amoris in Dominum et charitatis erga proximum, ac nullibi doctrina fidei separatae: falsificant illa per id, quod illa vocent

vel fidem, vel fructum talem, quem, quia nihil cogitant de facere, non comedunt; proinde illo fructu se non nutriunt: praeterea nec admittunt illa principia ultra quam in memoriam, et inde in cogitationem ei proximam, quae est cogitatio sensualis, in qua nihil spirituale, quae cogitatio non explorat num verum sit; quare cavent ne aliquid intret visum interiorem, qui est intellectus; non volentes scire quod omnia illa quae de fide illorum dicta sunt, contra intellectum illustratum sint, sicut sunt contra genuinum sensum Verbi. Inde quoque est quod illis qui caput draconis constituunt, non aliquod genuinum verum sit; non enim ex falso principio, quod est sola fides, profluere possunt nisi falsa in continua serie; est enim sola fides non dabilis, nam fides absque charitate non est fides; anima enim fidei est charitas; quare dicere solam fidem, est dicere quod absque anima, ita absque vita est, quod in se est mortuum.

(iii.) Quod illi qui ex propria intelligentia excluserunt sibi dogmata ex Verbo corpus draconis constituant, constare potest ex eo, quod omnes ex illis, qui student Verbo ac in amore sui sunt, etiam in fastu propriae intelligentiae sint; et omnes qui in hoc fastu sunt, et simul ingenio ex naturali lumine pollent, illi excludunt sibi dogmata inde; ex hac origine sunt omnes haereses, et omnes falsitates in orbe Christiano. Dicendum est quid intelligentia ex proprio, et quid intelligentia ex non proprio. Intelligentia ex proprio est ex semet, at intelligentia ex non proprio est a Domino. Intelligentia ex proprio est omnibus illis qui in amore sui sunt, nam amor sui est ipsum proprium hominis, et illi in amore sui sunt qui legunt Verbum et inde colligunt dogmata propter famam, gloriam et honores; et quia illi non aliqua vera possunt videre, sed modo falsa, ideo in draconis corpore sunt; colligunt enim et excludunt talia ex Verbo quae favent amoribus illorum, ac inde scaturientibus malis; ac illa quae dogmatibus illorum contrariantur, quae sunt vera ex bono, vel non vident, vel pervertunt. Intelligentia autem ex Domino est omnibus illis qui in affectione veri spirituali sunt; hoc est, qui amant verum quia est verum, et quia inservit vitae aeternae, ac vitae animarum hominum. Dicitur quod intelligentia eorum non sit ex proprio sed ex Domino,

quia hi elevantur a suo proprio dum legunt Verbum, et hoc usque in lucem caeli, ac illustrantur; in hac luce apparet verum ex ipso vero, quia lux caeli est Divinum Verum. At qui in amore sui sunt, et inde in fastu propriae intelligentiae, non elevari ex suo proprio possunt; spectant enim se continue, ita in singulis quae faciunt: inde quoque est, quod hi in fide suorum dogmatum ponant omne salutis, ita in scire et cogitare, et non simul in vita, ita non simul in velle et facere; ex his itaque est corpus draconis. Cor hujus corporis est amor sui; et anima respirationis, seu spiritus ejus, est fastus propriae intelligentiae: ex his duobus draco dictus est "magnus rufus," ac "rufus" in textu originali Graeco dicitur ex flammeo, ita ex amore et fastu.

(iv.) Quod illi qui absque doctrina student Verbo, et simul in amore sui sunt, externa corporis draconiaci faciant. Externa sunt quae ab interioribus procedunt, et haec involvunt, claudunt et continent, ut sunt cutes, squamae, prominentiae ab undequaque: quod illi externa corporis draconis faciant, est quia absque intelligentia spiritualium Verbi sunt; sciunt enim Verbum quoad sensum litterae ejus, qui talis est ut, si non doctrina praeluceat, ducat in errores et falsa omnis generis; consequenter quod illi qui absque doctrina student Verbo, quotcunque volunt haereses, queant confirmare, et quoque amplecti, et quoque patrocinari amoribus sui et mundi, et inde oriundis malis: nam sensus litterae Verbi est ultimus sensus Divini Veri, ita pro naturali et sensuali homine, ad ejus captum, et saepe in ejus favorem; quare nisi ille legatur et spectetur ex doctrina, ut ex lucerna, fert mentes in tenebras de multis quae caeli et ecclesiae sunt: et usque illi se credunt prae omnibus sapere, cum tamen nihil sapiunt.

(v.) Quod omnes illi qui draconem constituunt, adorent Deum Patrem, et Dominum videant sicut hominem sui similem, et non ut Deum,—si ut Deum, quod spectent Divinum Ipsius supra Humanum Ipsius, et non intra illud,—in sequentibus, ubi agitur de pugna draconis cum Michaele, illustrabitur.

(vi.) Ex his nunc constare potest quod per "caudam draconis" intelligatur falsificatio et adulteratio Verbi, ex

illis qui caput ejus, qui corpus ejus, et qui [1]extrema ejus constituunt; cauda enim, sicut caudae cujusvis animalis, est continuatio spinae, quae protenditur a cerebris; et sic movetur, flectitur et vibratur secundum capitis et corporis appetitus, concupiscentias et voluptates, quibus quasi adblanditur: et quoniam omnes illi qui draconem constituunt, quia naturales et sensuales sunt ex amore sui, et inde in fastu propriae intelligentiae, falsificant et adulterant Verbum, ideo dicitur quod "draco cauda sua traxerit tertiam partem stellarum caeli, et projecerit illas in terram:" per "stellas caeli" significantur cognitiones veri et boni ex Verbo, inde vera ex bono inde; et per "projicere in terram" significatur pervertere ac adulterare illa, et sic destruere. Quod illi qui supra memorati sunt constituant draconem, et quod adulteratio et destructio veritatum Verbi intelligatur per "caudam" ejus, bis et ter datum est mihi videre in mundo spirituali; in hoc enim mundo omnia quae apparent sunt repraesentativa spiritualium. Quando tales visi sunt in luce caeli, visi sunt sicut dracones cum longa cauda; et quando plures tales, visa est cauda extensa a meridie per occidentem in septentrionem; et quoque visa est cauda illa e caelo detraxisse sicut stellas, et illas projecisse in terram.

[*c.*] Quoniam supradicti per "draconem" intelliguntur, ac falsificatio et adulteratio Verbi per "caudam" ejus, inde per "habitaculum" et "cubile draconum" in Verbo significatur ubi mere falsum et malum est, ut in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Erit aridus locus in stagnum, et siticulosus in scaturigines aquarum; in habitaculo draconum cubile ejus, gramen pro calamo et junco" (xxxv. 7):

haec de adventu Domini, et de instauratione novae ecclesiae apud gentes ab Ipso; et per illa verba intelligitur quod vera et bona ecclesiae erunt ubi non prius, immo ubi falsa et mala; ubi falsa et mala prius, significatur per "locum aridum et siticulosum," et per "habitaculum draconum," tum per "calamum et juncum;" vera autem et bona quae illis erunt, significantur per "stagnum," per "scaturigines aquarum," per "cubile ubi prius dracones," tum per "gramen." Apud *Jeremiam*,

"**Dabo Hierosolymam in acervos, habitaculum draconum: et urbes Jehudae redigam in vastitatem, ut non sit habitator" (ix. [1]10 [*B. A.* 11]);**

et apud eundem,

"**Vox strepitus, ecce venit tumultus magnus e terra septentrionis, ad redigendum urbes Jehudae in vastitatem, habitaculum draconum" (x. 22):**

per "Hierosolymam" intelligitur ecclesia quoad doctrinam; et per "urbes Jehudae" doctrinalia, quae sunt vera ex Verbo; falsificatio veri et adulteratio boni, ex quibus mere falsa et mala, significantur per "dare Hierosolymam in acervos," ac per "redigere urbes Jehudae in vastitatem, habitaculum draconum;" nam falsificatum verum est mere falsum, ac adulteratum bonum est mere malum: "vox strepitus" et "tumultus magnus e terra septentrionis" significat falsa pugnantia contra vera, et mala contra bona; "terra septentrionis" est ubi illi qui in falsis mali sunt. Apud eundem,

"**Fiet Chazor in habitaculum draconum, desolationem usque in saeculum, non habitabit ibi vir, nec commorabitur ibi filius hominis" (xlix. 33):**

per "Chazorem" significantur thesauri spirituales, qui sunt cognitiones veri et boni e Verbo; devastatio earum usque ut non sint, sed loco earum falsa et mala, significatur per quod "Chazor erit in habitaculum draconum, desolationem usque in saeculum;" quod non aliquod verum ecclesiae residuum erit, significatur per quod "non habitabit ibi vir, nec commorabitur in ea filius hominis;" "filius hominis" est verum ecclesiae. Apud *Esaiam*,

"**Ascendent palatia ejus spinis, carduus et sentis in munitionibus ejus, ut sit habitaculum draconum, atrium filiabus noctuae" (xxxiv. 13):**

haec de Edomo ac de gentibus, per quas intelliguntur illi qui in falsis et malis sunt; falsa et mala, in quibus sunt, significantur per "spinas," "carduum" et "sentin;" dogmata eos tutantia significantur per "palatia" et per "munitiones;" devastatio omnis boni et veri significatur per "domicilium draconum," et per "atrium filiarum noctuae;" "noctuae" sunt qui pro veris vident falsa, et "filiae" earum sunt concupiscentiae falsificandi vera. Apud eundem,

"**Respondebunt ijim in palatiis ejus, et dracones in templis" (xiii. 22):**

haec de Babele, per quam significatur adulteratio et profanatio boni et veri; per "palatia" ejus in quibus ijim, et per "templa" in quibus dracones, significantur bona et vera Verbi et ecclesiae quae adulterata et profanata; per "ijim" adulterata et profanata vera, et per "dracones" adulterata et profanata bona. Apud *Micham*,

> "Super hoc plangam et ejulabo, ibo spoliatus et nudus, faciam planctum sicut dracones, et luctum sicut filiae noctuae" (i. [1]8):

haec de vastatione Samariae, per quam significatur ecclesia spiritualis quoad doctrinam, hic illa vastata: devastatio quoad verum et bonum significatur per "ire spoliatus et nudus;" lamentatio super id, significatur per "plangere et ejulare;" lamentatio super devastatum bonum, per "facere planctum sicut dracones," et super devastatum verum, per "facere luctum sicut filiae noctuae:" dicuntur "dracones" et "filiae noctuae" repraesentative, quod similis illis esset quoad planctum et luctum; sicut etiam quod "iret spoliatus et nudus;" "spoliatus" significat quod absque bonis esset, simile quod "draco;" et "nudus" quod absque veris, simile quod "filia noctuae." Apud *Jeremiam*,

> "Nebuchadnezar rex Babelis constituit me vas vacuum, deglutivit me sicut cetus, implevit ventrem ex deliciis meis, dispulit me:....sit Babel acervus, habitaculum draconum, in sibilum et stuporem, nec habitator" (li. 34, 37):

etiam hic per "Babelem" et per "Nebuchadnezarem" significatur adulteratio et profanatio boni et veri: dispersio omnis veri et destructio omnis boni inde, significatur per quod "constituit me vas vacuum, deglutivit me sicut cetus, implevit ventrem ex deliciis meis, dispulit me;" per "cetum" simile significatur quod per "draconem," etiam eadem vox utrique est in lingua originali: devastatio omnis veri et boni ex adulteratione et profanatione eorum, significatur per quod "Babel erit acervus, habitaculum draconum, in sibilum et stuporem, non habitator;" "non habitator" significat non bonum apud aliquem. Apud *Hiobum*,

> "Ater ambulavi sine sole, steti in congregatione, clamavi, frater factus sum draconibus, et socius filiabus ululae" (xxx. 28, 29):

hoc de statu ejus in tentationibus, in quibus homo putat se damnatum esse; quare "ater ambulare sine sole" significat sicut diabolus absque bono amoris; "stare in congre-

gatione et clamare" significat inter vera et usque in falsis; "frater fieri draconibus, et socius filiabus ululae," significat in conjunctione esse et unus cum illis qui in malis absque bono sunt, et qui in falsis absque veris; "dracones" sunt qui adulteraverunt bona et perverterunt illa in mala, et "filiae ululae" sunt qui simul vera. Apud *Davidem*,

> "Non recessit retro cor nostrum, et declinavit gressus noster a via tua, nam contrivisti nos in loco draconum, et obduxisti super nos umbram mortis" (Ps. xliv. 19, 20 [*B. A.* 18, 19]):

haec quoque de tentationibus: quod tunc seclusus ab influxu e caelo, sicut sensualis homo, non perceperit quid bonum et quid verum, significatur per quod "Deus contriverit eum in loco draconum, et obduxerit super eum umbram mortis;" "locus draconum" est ubi sunt illi qui dracones sunt in inferno, nempe qui omne bonum apud se destruxerunt; falsum, in quo iidem sunt, vocatur "umbra mortis." Apud eundem,

> "Super leonem et aspidem calcabis, [1]conculcabis leonem et draconem; quia Me desiderat, eripiam eum, exaltabo eum, quia novit nomen meum" (Ps. xci. 13, 14):

destruere falsa interiora et exteriora vastantia vera ecclesiae, significatur per "calcare leonem et aspidem;" ac destruere falsa interiora et exteriora vastantia bona ecclesiae, significatur per "conculcare leonem et draconem:" abducere a falsis, et ducere ad interiora vera et bona illum qui in doctrina ex Verbo est, significatur per "eripere eum, exaltare eum, [2]quia novit nomen meum; "eripere" est abducere a falsis, "exaltare" est ducere ad interiora vera, et "nosse nomen meum" est in doctrina ex Verbo esse. Apud [3]*Malachiam*,

> "Esavum odio habui, et posui montes ejus vastitatem, et hereditatem ejus draconibus deserti" (i. 3):

per "Esavum" intelliguntur qui in bono sunt quoad naturalem hominem, hic qui in malo sunt quoad illum; quare dicitur "Esavum odio habui:" quod destruentur bona amoris naturalis hominis, significatur per "Posui montes ejus in vastitatem;" quod destruentur vera illius boni per falsa sensualis hominis, significatur per "Posui hereditatem ejus draconibus deserti." Apud *Ezechielem*,

> "Ecce contra te, Pharao, rex Aegypti, draco (vel cete) magne, qui cubat

in medio fluviorum suorum; qui dixit, Meus fluvius meus, et ego feci me" (xxix. 3, 4; cap. xxxii. 2):

describitur hic fastus propriae intelligentiae, qui est naturali et sensuali homini; "Pharao rex Aegypti" significat naturalem et sensualem hominem; "draco" seu "cetus" eundem quoad scientifica quae falsa seu falsificata sunt ex fastu propriae intelligentiae. (Sed haec supra, n. 513[a], explicata videantur.) Apud *Mosen*,

"De vite Sodomae vitis eorum, et de [1]agris Gomorrhae; uvae ejus uvae fellis, botri amaritudinum [2]illis; venenum draconum vinum eorum, et fel aspidum crudele" (*Deutr.* xxxii. 32, 33):

de his videatur supra (n. 519[b]), ubi explicata sunt; ibi etiam quod "vinum eorum," quod vocatur "venenum draconum," et "fel aspidum crudele," [3]significet quod verum ecclesiae apud posteros Jacobi esset externum, in quo interius mala et falsa infernalia: "dracones" et "aspides" significant sensualia, quae ultima naturalis hominis plena nefandis malis et ea confirmantibus falsis; causa est quia naturale nihil recipit per spiritualem mentem a Domino; quare quod recipit, est ex inferno.

[*d.*] Quod per "draconem" talia quae supra memorata sunt, significentur, plenius constare potest ex sequentibus in hoc capite, nempe ex ejus inimicitia contra mulierem parituram et fugientem in desertum, tum ex pugna ejus cum Michaele; et porro in cap. xvi. 13–15, cap. xx. 2, 7, 8, 10, 14, ubi dicitur de eo quod "vinctus sit mille annis, et postquam solutus exiverit ad seducendum gentes, et ad congregandum Gogum et Magogum in bellum contra sanctos," at quod "postea conjectus sit in stagnum ignis et sulphuris; ex quibus omnibus constare potest quod per "draconem" intelligantur illi qui non aliquod bonum charitatis et amoris possident, ex eo quod id non agnoverint ut aliquod medium inserviens saluti, sed aliquod scientificum quod ex persuasione vocant fidem: et cum bonum charitatis et amoris non ex vita hominis implantatum est, est malum loco ejus; et ubi malum ibi falsum. Quoniam per "serpentes" significantur sensualia, quae ultima naturalis hominis sunt, et illa non sunt mala nisi apud illos qui mali sunt, et quia dracones eadem voce in lingua Hebraea nominantur qua serpentes non venenati, inde est, quod per "dracones," cum per illos intel-

liguntur tales serpentes, in Verbo significentur sensualia non mala; seu applicate ad personas, homines sensuales non mali. Quod eadem voce in lingua Hebraea nominentur dracones qua tales serpentes, constare potest apud *Mosen*,

Cum ei mandatum est e rubo projicere baculum suum in terram, et quod cum versus est in serpentem, Moses prehenderet caudam ejus ex quo facto serpens reversus est in baculum (*Exod.* iv. 3, 4);

et postea,

Quod Moses sumpserit baculum, et projecerit eum ante Pharaonem, quod factus sit in serpentem (draconem), et quod magi simile cum suis baculis fecerint; sed quod baculus Mosis, tunc serpens (draco), deglutiverit baculos serpentes (dracones) magorum (*Exod.* vii. 9–12):

serpens in priori loco alia voce in lingua originali nominatur quam in posteriore; in priori loco nominatur serpens communi voce qua alibi in Verbo serpens, sed in posteriore loco voce qua nominatur draco; sic ut interpretari etiam liceat, quod baculus Mosis projectus coram Pharaone conversus sit in draconem: ex eo sequitur quod per "draconem" aeque ac per "serpentem" in bono sensu significetur sensuale, quod est ultimum naturalis hominis, non malum seu non malitiosum. In mitiori hoc sensu etiam nominantur "dracones" apud *Esaiam*,

"Honorabit Me fera agri, dracones et filiae noctuae, eo quod dederim in deserto aquas, fluvios in solitudine, ad potandum populum meum electum" (xliii. 20);

et apud *Jeremiam*,

"Cerva in agro peperit, sed relinquendo quia non fuit gramen; et onagri steterunt super collibus, anhelarunt ventum sicut dracones, consumpti sunt oculi eorum, quod non herba" (xiv. [5,] 6):

in his locis "dracones" eadem voce nominantur qua "serpentes" in genere, et quoque eadem voce nominantur "ceti" in mari, per quos etiam simile significatur, nempe naturale hominis in communi, quod est sensuale; quare in posteriori loco etiam interpretari licet, "Anhelarunt ventum sicut ceti."

(Similiter apud *Esaiam*, cap. li. 9; apud *Jeremiam*, cap. li. 34; apud *Ezechielem*, cap. xxix. 3, 4; et apud *Davidem*, Ps. lxxiv. [1]13, 14.)

Sunt etiam homines mere sensuales qui boni.

715. *"Habens capita septem."*—Quod significet *scientiam sanctorum Verbi, quae adulteraverunt, et inde insaniam, at usque astutiam*, constat ex significatione "capitis," quod sit intelligentia et sapientia, ac in opposito sensu insania et stultitia (de qua supra, n. 553, [1]577); quod etiam sit astutia (n. [1]577): et ex significatione "septem," quod sint omnes et omnia, ac dicantur de sanctis (de qua supra, n. 257), hic itaque de sanctis Verbi, quae adulteraverunt: "septem" quia dicuntur de sanctis, etiam in opposito sensu dicuntur de illis adulteratis et profanatis; unumquodvis in Verbo etiam oppositum sensum habet, et oppositum sancto est profanum. Ex his patet quod per "capita septem," quae habere visus est draco, non intelligantur capita, nec septem, sed scientia sanctorum Verbi, quae adulteraverunt, et inde insania, at usque astutia. Quod insania per "caput draconis" significetur, est quia intelligentia homini ecclesiae est ex genuinis veris quae ex Verbo; intellectus vere humanus formatur et perficitur per vera naturalia, civilia, moralia, et spiritualia; intellectus interior per vera spiritualia, exterior autem per vera moralia et civilia: inde qualia sunt vera, talis est intellectus ex quibus. Omnia vera spiritualia sunt ex Verbo, ac unum cum bono amoris [2]et charitatis faciunt. Si itaque homo omne ecclesiae et caeli ponit in fide, et ex illa separat bonum charitatis et amoris, (ut faciunt illi qui "caput draconis" constituunt, ut in articulo proxime praecedente dictum est,) tunc intellectus interior non formari potest; inde illis pro intelligentia in spiritualibus est insania; ex principio enim falso fluunt falsa in continua serie, et ex separatione boni charitatis non illis dari potest aliquod genuinum verum, quoniam omne verum est boni, immo est bonum in forma: exinde patet quod per "caput draconis" significetur insania in spiritualibus. Quod per "caput draconis" etiam significetur astutia, est quia omnes illi qui "caput" ejus constituunt, sunt mere naturales et sensuales, qui si simul studuerunt Verbo ac doctrinae ecclesiae, ac pro veris captaverunt falsa, et haec scientifice etiam confirmaverunt, illi prae reliquis astuti sunt; sed astutia illa non ita se manifestat in mundo sicut postea cum spiritus facti sunt, nam in mundo obvelaverunt astutiam externa pietate et ficta moralitate quae astutiam abscondunt; at quia illa in

spiritu eorum residet, patet illa manifeste quando externa removentur, ut fit in mundo spirituali. At sciendum est quod astutia quae per "draconis caput" significatur, sit astutia pervertendi vera et bona Verbi per ratiocinia ex fallaciis et ex sophisticis, tum ex persuasivis, per quae intellectus fascinatur, sic inducendo falsis species sicut essent vera. Quod ita sit, constare etiam potest ex serpente ex quo primi parentes seducti sunt, de quo dicitur,

Quod factus sit "astutus prae omni fera agri" (*Gen.* iii. 1):

per illum "serpentem" simile intelligitur quod per "draconem;" quare hic etiam vocatur "serpens antiquus... seducens universum orbem," versu 9 hujus capitis.

716. ***"Et cornua decem."***—Quod significet *multam potentiam*, constat ex significatione "cornus," quod sit potentia veri contra falsum et malum, ac in opposito sensu potentia falsi contra verum et bonum (de qua supra, n. 316, 567); et ex significatione "decem," quod sint omnes et omnia, tum multi et multa (de qua etiam supra, n. 675); inde constat quod per "cornua decem" significetur potentia multa. Quod "draconi" multa potentia fuerit, constat ex sequentibus, nempe quod propter illam "filius masculus, quem peperit mulier, raptus sit ad Deum;" quod "cauda sua detraxerit e caelo tertiam partem stellarum;" tum quod "pugnaverit cum Michaele et cum angelis ejus;" et postea quod "in bellum contra sanctos excitaverit Gogum et Magogum, et gentes ingenti numero." Quod "draconi" talis potentia fuerit, erat quia per illum intelliguntur qui fidem separaverunt a bonis charitatis, quae sunt opera, et confirmarunt id per sensum litterae Verbi, quem sic a genuino suo sensu retorserunt et sicut ex caelo detraxerunt; ac in fine ecclesiae, de quo in *Libro Apocalypseos* agitur, nulla est charitas; inde tunc draconi est potentia: quisque enim in fine ecclesiae vult vivere sibi, mundo et genio, et pauci Domino, caelo et vitae aeternae; ac principium de sola fide, quae est fides separata a charitate, favet illi vitae, et sicut vena fluminis trahens aufert omnes ad id credendum et ad sic vivendum; inde est quod "draconi," per quem tales et talia intelliguntur, apparuerint "decem cornua." Dictum est prius quod falsis ex malo prorsus nulla potentia sit; sed sciendum est quod falsis

ex malis nulla potentia sit contra verum ex bono, verum enim ex bono est a Domino, ac Domino est omnis potentia per Divinum suum Verum: quod autem falsis ex malo sit potentia, quae significatur per "decem cornua draconis," est quia falsa ex malo valent contra illos qui in falsis ex malo sunt, unum enim agunt; ac homo in malo est et inde in falsis hereditario ex parentibus, et dein ex actuali vita, imprimis in fine ecclesiae; et illa falsa ex malo non possunt ex homine expelli momento, sed paullatim; si enim momento, homo exspiraret, vitam enim ejus faciunt; et quia status hominis talis est in fine ecclesiae, ideo falsa mali valent, tametsi prorsus nihil contra verum ex bono. Potuisset Dominus per Divinum suum Verum falsa mali quae sunt apud hominem illico rejicere, sed hoc foret hominem illico in infernum conjicere; nam prius removenda sunt; et quantum removentur, tantum datur locus implantandis veris ex bono, et homo reformatur. Iidem qui hic per "draconem," etiam intelliguntur per "hircum" qui pugnavit cum "ariete," apud *Danielem*, cap. viii.; et quoque per "hircos" apud *Matthaeum*, cap. xxv.; nam per "hircos" ibi significantur qui in fide separata a charitate sunt, ac per "arietem" et per "oves" qui in charitate sunt.

717[*a*]. *"Et super capitibus suis diademata septem."*—Quod significet *Divina vera in ultimo ordinis, quae sunt vera sensus litterae Verbi, hic illa adulterata et profanata*, constat ex significatione "capitum draconis," quod sint vera scientifica Verbi, quae adulterata et profanata sunt; quod significent insaniam in spiritualibus, at usque astutiam fallendi et seducendi, videatur supra (n. 714[*d*]); ex significatione "diadematum," seu lapidum pretiosorum, quod sint Divina vera in ultimo ordinis, quae sunt vera sensus litterae Verbi (de qua sequitur); et ex significatione "septem," quod sint omnia, et dicantur de sanctis, ac in opposito sensu de profanis (de qua supra, n. 715); hic de profanis, quia de veris Verbi adulteratis et sic profanatis: inde patet quod "diademata septem super capitibus draconis" significent Divina vera in ultimo ordinis, hic illa adulterata et profanata. Quod "lapides pretiosi," qui sunt "diademata," significent Divina vera in ultimo ordinis, quae sunt vera sensus litterae Verbi, est quia "lapis" significat verum; inde "lapides pretiosi" significant Divina vera: quod sint

Divina vera in ultimo ordinis, quae sunt vera sensus litterae Verbi, est quia illa translucent; est enim in illis sensus spiritualis, et in hoc sensu est lux caeli, ex qua omnia sensus litterae Verbi pellucent; et quoque secundum series in sensu spirituali variegantur; unde modificationes lucis caelestis, quae sistunt colores quales apparent in caelis, et inde in lapidibus pretiosis variorum generum. Quod "diademata super septem capitibus draconis" visa sint, est quia vera sensus litterae Verbi lucent, ubicunque sunt, tam apud malos quam apud bonos; lux enim spiritualis, quae illis inest, non exstinguitur quia apud malos sunt, nam caelum usque in illa vera influit: at quia mali adulterant illa, et inde non vident aliquid lucis caeli in illis, sed usque quia credunt sancta esse, ex eo, quod applicent illa ad confirmandum falsa suae religionis, inde ex fide sanctitatis apud illos usque coram illis lucent: et quia ita est, et per illa vera communicationem sibi comparant cum caelis, ideo tandem deprivantur illis, ac relinquuntur suis falsis, in quibus non aliqua lux est, quod fit quando in infernum demittuntur. Quod vera sensus litterae Verbi appareant sicut diademata, constare potest ex diadematibus in mundo spirituali: in angelorum palatiis in caelo fulgent plura ex lapidibus pretiosis; et quoque lapides pretiosi inde quandoque demittuntur in inferiora, ac dono dantur illis qui aliquid boni fecerunt; immo etiam ibi venduntur sicut in mundo, imprimis a Judaeis, qui cum illis etiam ibi negotiantur; quod Judaei cum illis in mundo spirituali sicut in mundo naturali negotientur, datum et concessum est, quia sensum litterae Verbi sanctum habent: inde quoque est, quod nobiles feminae infra caelos etiam se ornent diadematibus, similiter ut in mundo: et cum inquisitum est unde illa diademata in caelo, et inde in inferioribus, dictum est quod sint a Domino, et a luce spirituali quae ab Ipso, et quod sint ultima illius lucis, quae vocantur effectus; ac quod sint formae repraesentativae affectionum veri ex bono; ita quod sint Divina vera in ultimo ordinis, qualia sunt vera sensus litterae Verbi. Quia inde sunt lapides pretiosi, ideo quoque aliquibus in mundo spirituum licet formare diademata per insitiones quarundam veritatum ex sensu litterae Verbi; sed haec diademata non sunt genuina, duritie sicut crystalli, quia arte facta. Ex his nunc con-

stare potest quid per "diademata" seu per "lapides pretiosos" in sequentibus locis significatur:—Apud *Esaiam*,

"Afflicta et procellis jactata, nec consolationem nacta, ecce Ego dispono cum stibio lapides tuos, et fundamenta tua..in sapphiris, et ponam carbunculum soles tuos, et portas tuas in lapides pyropi, et omnem finem tuum in lapides desiderii, et omnes filii tui docti a Jehovah" (liv. 11–13):

haec dicta sunt de "sterili quae non peperit," cui multi filii erunt, per quam significantur gentes, quibus non fuerunt Divina vera quia non fuit Verbum; inde dicitur "Afflicta et procellis jactata, nec consolationem nacta;" "afflicta esse et procellis jactari" dicitur a falsis, a quibus infestatur et quaquaversum fertur; quod Dominus, quando venturus, Divina vera illis revelaturus sit et illos instructurus, significatur per quod "disponet cum stibio lapides ejus, fundamenta in sapphiris, soles in carbunculum, portas in lapides pyropi, ac fines in lapides desiderii;" quod per "lapides" hos pretiosos, qui nominantur, intelligantur Divina vera in ultimo ordinis, qualia sunt vera sensus litterae Verbi, in quibus vera interna, quae sunt vera qualia in sensu spirituali Verbi, patet; nam per "fundamenta," et per "portas" et per "fines," quos ponet ex lapidibus illis pretiosis, significantur ultima; inde sequitur quod ibi per "lapides" in genere, et per "sapphiros," "carbunculos" et "lapides pyropi," significentur talia vera qualia in sensu litterae Verbi sunt, quae ultima sunt quia pro naturali et sensuali homine: quia instructio gentium in Divinis veris per illa intelligitur, ideo sequitur, "Et omnes filii tui docti a Jehovah." Quid autem "sapphirus," "carbunculus" et "pyropus" in specie significant, non hujus loci est dicere; modo quod "lapides pretiosi" in genere significent vera ultima.

[*b*.] Quoniam "civitas Novae Hierosolymae" significat doctrinam Novae Ecclesiae, et "fundamenta muri ejus" Divina vera ultima, ac "portae" Divina vera introducentia, ideo describuntur fundamenta per "duodecim lapides pretiosos," ac portae per "margaritas," in *Apocalypsi*,

"Fundamenta muri civitatis" Novae Hierosolymae "omni lapide pretioso exornata; fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonyx, sextum sardius, septimum chrysolithus, octavum beryllus, nonum topazius, decimum chrysoprasus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethystus. Duodecim portae duodecim margaritae, una-

quaevis porta erat margarita [una]. Et platea civitatis aurum purum, quasi vitrum pellucidum" ([1]xxi. 19–21):

per hos "duodecim lapides pretiosos" ex quibus fundamenta, et per "duodecim margaritas" ex quibus portae, significantur Divina vera ultima, quae sunt vera sensus litterae Verbi, super quibus doctrina illius ecclesiae fundatur, et per quae homo sicut per portas introducitur: quod "fundamenta ex lapidibus pretiosis," et "portae ex margaritis," dicantur esse, est quia sensus litterae Verbi in se continet sensum spiritualem, ita lucem caeli, e qua sensus litterae Verbi pellucet, sicut lapides illi a luce et ab igne; sed de his in sequentibus, ubi singula explicanda sunt. Similia significantur per "lapides pretiosos" qui pectorale judicii "Urim et Thummim" vocatum, quod super ephodi Aharonis, faciebant, et quoque qui super humeris ephodi positi erant, apud *Mosen*,

"Facient ephodum auro, hyacinthino, purpura, coccineo dibapho, et byssino contexto, opere excogitatoris:....accipies duos lapides schoham, et sculpes super illis nomina filiorum Israelis,....opere opificis lapidis, sculpturis sigilli sculpes duos lapides super nominibus filiorum Israelis, circumdatos fundis auri facies illos: et pones duos lapides super humeris ephodi. ....Et facies pectorale judicii opere excogitatoris, sicut opus ephodi facies illud,....et opplebis illud oppletura lapidum; quatuor ordines lapidum erunt: primus ordo rubinus, topazius, carbunculus; secundus ordo chrysoprasus, sapphirus et adamas; tertius ordo cyanus, achates et amethistus: et quartus ordo tharschish, schoham et jaspis:....lapides erunt super nominibus filiorum Israelis, duodecim super nominibus illorum, sculpturae sigilli cuique super nomine ejus, erunt duodecim tribubus:"....hoc pectorale judicii, Urim et Thummim (*Exod.* xxviii. 6–30):

quid haec involvunt, nemo scire potest, nisi sciat quid Aharon repraesentabat, et quid inde "vestes" ejus significabant, et quid in specie "ephodum;" vestes enim ejus, ex eo quod significaverint, dictae sunt "vestes sanctitatis:" tum quid "pectorale" super ephodo, quod vocatur "pectorale judicii, Urim et Thummim;" tum etiam quid "duodecim tribus Israelis," et quid "duodecim lapides super nominibus eorum." Quod ipsum Aharonem attinet, ille repraesentabat Dominum quoad sacerdotium, quod est regnum caeleste Ipsius; "vestes" autem ejus in genere repraesentabant regnum spirituale, hoc enim in caelis investit regnum caeleste: sunt enim duo regna in quae caeli distincti sunt, regnum caeleste et regnum spirituale;

regnum caeleste dicitur ubi recipitur Divinum Bonum procedens a Domino, et regnum spirituale ubi recipitur Divinum Verum; quare Divinum Verum per "vestes Aharonis" in genere significatur, ac per "ephodum" Divinum Verum in ultimis, quoniam erat amictus ultimus. Quod "vestes" in genere significent vera, ac "vestes Domini" quae apparuerunt sicut lux candidae quando coram tribus discipulis transformatus fuit, significaverint Divinum Verum procedens ab Ipso, ac similiter "vestes Domini a militibus divisae," videatur supra (n. 64, 65, 195, 271, 395, 475[a], 476, 637): inde constare potest quod per "duodecim lapides in pectorali ephodi" significata sint Divina vera in ultimis, similiter ac per "duodecim filios Israelis" et per "duodecim tribus;" quod per hos et illos in Verbo significentur vera ecclesiae in omni complexu, videatur supra (n. 431, 657). Quod pectorale illud ex lapidibus pretiosis, sub quibus nomina duodecim filiorum Israelis erant, confectum fuerit, erat ut per id responsa e caelo ferrent, quae sistebantur in pectorali et ex illo per variegationes colorum ex lapidibus illis effulgentium: secundum repraesentationes Divinorum verorum in caelis, ubi Divina vera, quae a Domino per caelos versus inferiora defluunt, sistuntur per colorum variegationes; ex quibus constare potest quod per "lapides illos pretiosos" etiam significata sint Divina vera in ultimis. (Sed haec plene explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 9856-[1]9909: et de "binis lapidibus schoham," qui super humeris ephodi, n. 9831-9855. Quod "ephodum" significaverit externum regni spiritualis, quod est Divinum Verum in ultimis, n. 9824. Quid autem in specie significavit "rubinus," "topazius" et "carbunculus," n. 9865; quid "chrysoprasus," "sapphirus" et "adamas," n. 9868: quid "cyanus," "achates" et "amethistus," n. 9870: et quid "tharschisch," "schoham" et "jaspis," n. 9872.)

[c.] Similia etiam significantur per "lapides pretiosos" per quos describitur scientia cognitionum veri et boni et inde intelligentia regis Tyri, apud *Ezechielem*,

> Rex Tyri, "tu plenus sapientia, et perfectus pulchritudine, in Eden horto Dei fuisti; omnis lapis pretiosus tegumentum tuum, rubinus, topazius et adamas, tharschisch, sardonyx et jaspis, sapphirus, chrysoprasus et smaragdus, et aurum. . . . Tu cherubus, expansio contegentis, et posui te, in monte sanctitatis Dei fuisti, in medio lapidum ignis ambulasti" (xxviii. 12, 13[, 14]):

quoniam per "regem Tyri" significantur cognitiones veri ecclesiae ex Verbo, et quidem ex sensu litterali ejus, inde dicitur quod "in Eden horto Dei fuerit;" per "Eden hor-

tum Dei" significatur intelligentia per Verbum ex Domino, nam "Eden" sicut "oriens" est Dominus, et "hortus Dei" est intelligentia ab Ipso; et quia vera intelligentia unice comparatur, hoc est, datur, per cognitiones veri et boni ex Verbo secundum genuinum suum sensum intellectas, inde dicitur "Omnis lapis pretiosus tegumentum tuum;" "omnis lapis pretiosus" significat cognitiones veri et boni, et "tegumentum" significat externum Verbi quod tegit internum ejus; externum Verbi est sensus litterae ejus contegens internum quod est sensus spiritualis ejus. Quia sapientia et intelligentia inde est homini, ideo dicitur, Rex Tyri, "tu plenus sapientia et perfectus pulchritudine;" "pulchritudo" significat intelligentiam, quia omnis pulchritudo in caelis est secundum illam. Etiam sensus litterae Verbi intelligitur per "cherubum, expansionem contegentis," nam "cherubi" significant tutelam ne adeatur Dominus nisi quam per bonum amoris; et sensus litterae Verbi, quia contegit interiora ejus, tutatur. "Mons sanctitatis" significat ecclesiam quoad doctrinam amoris et charitatis, et "lapides ignis," in quorum medio ambulavit, significant vera ex bono amoris secundum quae vita. Quod per "lapides pretiosos" hic significentur vera pellucentia ex luce caeli, quae est Divinum Verum, manifeste constare potest ex eo, quod per "Tyrum" in Verbo significentur cognitiones veri et boni, quae cognitiones sunt vera ultima, qualia sunt sensus litterae Verbi. (Quod "Tyrus" cognitiones veri et boni significet, videatur supra, n. 514[a,b].) Apud eundem,

"Syria negotiatrix tua ob multitudinem operum tuorum, cum chrysopraso purpuram et acupictum, et byssum et ramoth et pyropum dederunt in negotiationibus tuis:....negotiatores Schebae et Raamae, hi negotiatores tui per primarium omnis aromatis, et per omnem lapidem pretiosum, et aurum" (xxvii. 16, 22):

etiam haec de Tyro, per quam significantur cognitiones veri et boni ecclesiae ex Verbo (ut supra); quia per "Syriam," et per "Schebam" et "Raamam" similiter significantur cognitiones veri et boni, et per "negotiationes" significantur acquisitiones illarum, ideo dicitur quod illae regiones dederint "lapides pretiosos in negotiationibus suis:" cognitiones veri et boni sunt vera in ultimis, qualia sunt vera sensus litterae et litteralis Verbi. Apud *Hiobum*,

"Locus sapphiri lapides ejus, et pulveres auri illi;....sapientia unde invenitur? et quis est locus intelligentiae?....Non datur aurum prae

ea, et non appenditur argentum pretium ejus; non aequiparatur auro Ophir, onyche pretioso et sapphiro; non certabit cum ea aurum et adamas,....ramoth et gabish non commemorabitur, et electio sapientiae prae margaritis; non certabit cum ea topazius Aethiopiae;....en timor Domini est sapientia, et recedere a malo est [1]intelligentia" (xxviii. 6, 12, 13, 15-19, 28):

quoniam per Divina vera ultima spiritualiter intellecta omnis sapientia et intelligentia est, et quia per "lapides pretiosos" ibi nominatos, "onychen," "sapphirum," "adamantem," "topazium," et per "margaritas," illa vera significantur, et hi lapides quatenus lapides ex terrestri materia, ac pro pretiosis habiti in mundo, nihili sunt ad intelligentiam et sapientiam, ideo dicitur quod "lapides illi non intelligentiae et sapientiae aequiparandi sint, nec aurum et argentum;" comparationes fiunt cum illis, quia etiam significant, et quod alioqui nihil sint respective. Apud *Davidem*,

"Tu," Jehovah "surges et misereberis Zionis,....quia desiderant servi tui lapides ejus" (Ps. cii. 14, 15 [*B. A.* 13, 14]):

per "lapides Zionis," quos desiderant servi Jehovae, intelliguntur Divina vera; nam per "Zionem," cujus miserebitur Jehovah, intelligitur ecclesia quae in caelesti amore est. Apud *Sachariam*,

"Ecce lapis quem dedi coram" sacerdote magno "Jehoschua, super lapide uno septem oculi; ecce Ego sculpens sculpturam ejus:.... in die illo...clamabitis vir ad socium suum, sub vitem et sub ficum" (iii. 9, 10):

haec de adventu Domini; et per "lapidem," datum coram Jehoschua sacerdote, significatur Divinum Verum, quod est Verbum: "septem oculi in uno lapide" significant Divinam sapientiam et intelligentiam, quae sunt Divini Veri, ita Verbi; "septem" dicuntur de sanctis Verbi et ecclesiae, et "oculi" significant intelligentiam et sapientiam: "sculpere sculpturam" significat repraesentativum et significativum ejus: per "vitem" et per "ficum," sub quas venturi, significatur ecclesia et doctrina ex veris internis et ex veris externis; vera interna sunt quae vocantur spiritualia, et vera externa sunt quae vocantur naturalia; haec per "ficum" et illa per "vitem" significantur. Apud *Mosen*,

"Viderunt Deum Israelis, et sub pedibus Ipsius sicut opus lapidis sapphiri, sicut substantia caeli quoad munditiem" (*Exod.* xxiv. 10):

per "Deum Israelis" intelligitur Dominus; per "opus lapidis sapphiri sub pedibus Ipsius" intelligitur Divinum Verum in ultimis, quale est Verbum in littera, "planta" enim "pedis" significat ultimum, quod solum gens Judaica videre potuit, nam in externis Verbi, ecclesiae et cultus fuerunt, et non in internis: "sapphirus" significat translucidum a veris internis: "sicut substantia caeli quoad munditiem" significat translucentiam caeli angelici. (Sed haec in *Arcanis Caelestibus*, n. 9406–9408, explicata sunt.) Quoniam "lapis pretiosus" significat Divinum Verum in ultimis translucens a veris interioribus, ideo describitur luminare civitatis Novae Hierosolymae, in *Apocalypsi*,

> Quod esset "simile lapidi pretioso, sicut lapidi jaspidi instar crystalli splendenti" ([1]xxi. 11).

Et quoniam per "equum album" ibi significatur intellectus Verbi, et per "insidentem illi equo" Dominus quoad Verbum, ideo

> Visum est, quod super capite insidentis illi equo essent diademata multa, et quod appelletur nomen Ipsius Verbum Dei (*Apoc.* xix. 12, 13).

[*d.*] Haec de lapidibus pretiosis apud illos qui in Divinis veris sunt; nunc aliquid de lapidibus pretiosis apud illos qui in falsis infernalibus sunt: apud hos, dum in mundo vivunt, aeque dantur lapides pretiosi, quia aeque cognitiones veri et boni ex Verbi sensu naturali, qui est sensus litterae; inde est quod illis aeque addicentur lapides pretiosi seu diademata, sicut hic "draconi," super cujus capitibus visa sunt "septem diademata;" causa est quia Verbum usque est Verbum, ac vera ejus usque sunt vera in se, sive sint apud malos sive sint apud bonos; quod mali pervertant et falsificent vera Verbi, usque id non mutat essentiam eorum. Exinde est quod in sequentibus in *Apocalypsi* similia visa sint super "muliere sedente super bestia coccinea," per quam Babylon describitur: de qua haec,

> Mulier sedens super bestia coccinea plena nominibus blasphemiae, "et habebat capita septem, et cornua decem; erat..induta purpura et coccino, et inaurata auro et lapide pretioso et margaritis,....et super fronte nomen scriptum..Babylon magna" (*Apoc.* xvii. 3–5);

sed de his in sequentibus. Similiter alibi in *Apocalypsi*,

> "Mercatores terrae flebunt et plangent super" Babylone magna, "quod merces ejus nemo emat amplius, merces auri et argenti et lapidis pretiosi, et margaritae et byssi, et purpurae et serici et coccini:.... et mercatores....dicent, Vae, vae urbs magna, quae induta fuit bysso et purpura et coccino, inaurata auro, lapide pretioso et margaritis" (xviii. 11, 12, [15,] 16).

Quia per "lapides pretiosos," perque "purpuram et byssum," significantur cognitiones veri et boni ex Verbo, ideo dicitur de homine divite,

> Quod indutus esset purpura et bysso, ad cujus vestibulum projectus est Lazarus (*Luc.* xvi. 19, 20):

per "divitem" intelligitur gens Judaica; quae quia habebat Verbum, in quo Divina vera sunt, dicitur de eo quod "purpura et bysso indutus esset:" et per "Lazarum" pauperem intelliguntur gentes, quae non Verbum, et inde non vera habebant: inde patet quod diviti, tametsi malus, et postea projectus in infernum, fuerint "vestes ex purpura et bysso." Talia etiam dicuntur de "rege septentrionis," qui bellum gessit contra regem meridiei, apud *Danielem*,

> Rex septentrionis "tantum deum, munitiones super statione sua honorabit, deum quem non noverunt patres ejus, honorabit auro, argento, et lapide pretioso et desiderabilibus; faciet munimenta munitionum cum deo alieno; qui agnoverit magno afficietur honore" (xi. 38, 39):

agitur in eo capite de bello regis septentrionis cum rege meridiei; et per "regem septentrionis" intelliguntur illi qui in scientia ex Verbo sunt, et tamen non in vita, ita quoque qui in sola fide ita dicta, et usque non in charitate, hanc rejiciendo sicut ad salutem non conducens: per "regem" autem "meridiei" intelliguntur qui in intelligentia ex Verbo sunt, quia in charitate; hi sunt "rex meridiei" seu "regis meridiei," quia "meridies" significat lucem et lux intelligentiam, et lux intelligentiae est ex Verbo illis qui in charitate sunt, quae est vita fidei: quod autem supradicti sint "rex septentrionis," seu "regis septentrionis," est quia "septentrio" significat noctem, et quoque lucem frigidam, qualis est lux hieme, ex qua, quia non inest calor, nulla fructificatio est; "calor" enim spiritualis est charitas, et ex calore per lucem est omnis germinatio. De bello inter eos reges agitur, quia de ultimo tempore ecclesiae, quando omne salutis ponitur in scientia ex Verbo, et nihil in vita; apud gentem Judaicam in tra-

ditionibus, per quas falsificaverunt Verbum; et Verbi vera fiunt traditiones quando vita charitatis nulla est; similiter vera Verbi fiunt falsa quando fides separatur a charitate. Ex his constare potest quod per "regem septentrionis" etiam intelligantur qui in sola fide sunt, hoc est, qui in fide absque charitate sunt. Iidem apud *Danielem* etiam intelliguntur per "hircum" qui pugnavit cum ariete: iidem etiam per draconem" in hoc capite, cum differentia quod per "draconem" proprie intelligantur eruditi qui se doctrina et vita confirmaverunt in fide separata a charitate, hi enim venenum habent, sicut dracones, quod charitatem necat: inde est quod apud *Danielem* etiam angelus Michael nominetur (cap. xii. 1). Quod illi pervertant et falsificent vera Verbi qui omne ecclesiae ponunt in scientia cognitionum inde, et nihil in vita, intelligitur per quod "rex septentrionis honoraverit deum alienum, quem non noverunt patres eorum," et quod "illum honoraverit auro, argento, lapide pretioso et [1]margaritis;" per "deum" ejus intelliguntur vera Verbi falsificata; quoniam ubi dicitur in Verbo "Deus," intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, ita quoque Divinum Verum procedens a Domino, et ubi dicitur "Jehovah," intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum, ita quoque Divinum Bonum procedens a Domino; quare per "deum alienum, quem non noverunt patres," intelliguntur vera Verbi falsificata, quae in se sunt falsa, et non agnita ab illis qui prius ab ecclesia fuerunt: ipsa illa vera et bona Verbi, tametsi falsificata, significantur per "lapides pretiosos" et per "desiderabilia," tum per "argentum et aurum," vera enim Verbi non mutant essentiam ex eo quod sint apud malos: per "munitiones super statione," et per "munimenta munitionum," significantur illa quae sunt propriae intelligentiae confirmata per sensum litterae Verbi, qui talis est, si non interius intelligitur, ut trahi possit ad quascunque haereses confirmandas. Ex his nunc constare potest quid per "diademata septem super capitibus draconis" significatur.

718. [*Vers.* 4.] ***"Et cauda sua traxit tertiam partem stellarum caeli."***—Quod significet *falsificationem et adulterationem omnium veritatum Verbi*, constare ex significatione "cauda trahere," cum de "dracone," quod sit falsificatio et adulteratio (de qua sequitur); ex significatione "tertiae partis," quod

sit omne, et dicatur de veris (de qua supra, n. 384, 506); et ex significatione "stellarum caeli," quod sint cognitiones veri et boni ex Verbo (de qua etiam supra, n. 72, 402), ita quoque vera, nam cognitiones veri et boni sunt vera naturalis hominis, ex quibus intelligentia rationali et spirituali homini: ex quibus constare potest quod per "cauda trahere tertiam partem stellarum caeli," cum de "dracone," significetur falsificare et adulterare vera Verbi. Quod id significetur, est quia per "draconem" in genere intelliguntur omnes qui agnoscunt Verbum, ac legunt illud, et usque non vivunt secundum illud; et hoc quia separant vitam quae est charitas a fide, et credunt quod satis sit cogitare illa quae in Verbo sunt, et sibi persuadere quod salventur si quaedam inde ex fiducia et confidentia cogitent et loquantur, et quod sola fides justificet et salvet, et non aliquid vitae seu operis; (quod hi sint qui per "draconem" [1]intelliguntur, videatur supra, n. 714): quia illi ad confirmandum sua dogmata ex Verbo, adducunt loca ubi "fides" nominatur et ubi "fides" dicitur; at ubi "charitas" et "amor" nominatur et "facere" dicitur, per applicationem ad solam fidem pervertunt, et sic Verbum, quod a principio ad finem est doctrina amoris in Dominum et amoris erga proximum, falsificant: haec falsificatio et adulteratio [2]veritatum Verbi intelligitur per "detrahere cauda tertiam partem [stellarum] caeli;" quod id per ea verba intelligatur, est quia cauda est continuatio cerebri per spinam dorsi, cujus est appendix, et cauda sic agitur ex capite et ex corpore secundum desideria et appetitus naturalis hominis; quare caudae motiones sunt effectus fluentes ex jucundis amorum in quibus est sensualis homo, et amores sensualis hominis vera Verbi falsificant et adulterant. (Quod "cauda" significet sensuale, quod est naturalis hominis ultimum, videatur supra, n. 559.) Sive dicas quod amores sensualis hominis falsificent et adulterant vera Verbi, sive dicas quod sensuale id faciat, idem est, nam sensuale amat vivere corpori et mundo, ita genio, et illam vitam sentit, non autem interiorem, quare eam negat.

719. Dictum est quod sensuale vera Verbi falsificet et adulteret; ut vero sciatur quomodo id potest vera Verbi falsificare et adulterare [interest]; nam qui non scit quomodo id fit, et quale Verbum est, potest credere quod vera Verbi quia sunt vera, et in sensu litterae ejus exstant, non possint falsa fieri: at inserviat pro illustratione exemplum

in Natura, et inde perceptibile naturali homini: nempe, coram oculis apparet sicut sol quovis die circum tellurem feratur, et quoque semel quotannis; inde in Verbo dicitur quod sol oriatur et occidat, quod faciat diem, meridiem, vesperam et noctem, immo tempora veris, aestatis, autumni et hiemis, et sic dies et annos; cum tamen sol immotus stat, et tellus circumvolvitur quotidie et circumfertur quotannis, et quod sit solum apparentia et inde fallacia quod sol ita progrediatur: cum itaque illa veritas nota est et accepta, quod sol non moveatur sed tellus, tunc utrumque fit verum, nempe, quod sol in centro sui mundi stet immotus, et quoque quod progrediatur; quod stet immotus fit verum pro rationali homine, et quod progrediatur pro sensuali; ita fit utrumque verum, actualiter pro rationali homine, et apparenter pro sensuali: si autem id phaenomenon non illustratum est a rationali homine, tunc creditur falsum, nempe quod sol actualiter progrediatur, et sic falsificatur id verum quod sol non moveatur e loco, sed tellus, at non falsificatur quando rationale illustrat illud. Simile est cum singulis Verbi in sensu ejus litterae; hic sensus, quia est ultimus, est naturalis et adaequatus captui sensualis hominis, ita infantum et simplicium; quare pleraque ibi sunt apparentiae veri, quae nisi simul intellectu spirituali, hoc est, intellectu illustrato percipiuntur, fiunt falsa, nam creduntur tunc sicut forent vera actualiter et non apparenter; aliter cum simul intellectualiter et spiritualiter percipiuntur; tunc fiunt omnia Verbi vera, in sensu genuino vera actualiter, et in sensu litterae vera apparenter, ut supra de sole dictum est. Ex his constare potest quomodo innumerabilia in Verbo falsificantur et adulterantur; sicut quod Deus tentet, quod irascatur, quod malum faciat, quod in infernum conjiciat; similiter quod die ultimi judicii Dominus venturus sit in nubibus caeli, quod tunc sol et luna amittent luces suas, quodque stellae cadent de caelis, tum quod mundus cum terra periturus, et e novo creatio omnium exstitura; praeter alia, quae sunt vera sensus litterae Verbi, quae falsa fiunt si non simul intellectu illustrato percipiuntur. In sequentibus autem dicetur quomodo sola fides, quae est fides separata a charitate, falsificet omnia Verbi.

720. ***"Et projecit illas in terram."***—Quod significet *exstinctionem et destructionem illarum*, constat ex significatione "projicere in terram," cum de "stellis," per quas significantur cognitiones veri et boni ex Verbo, sic veritates, quod sit illas exstinguere et destruere, quoniam vera exstinguuntur et destruuntur quando falsificantur et adulterantur. Vera falsificata et adulterata sunt falsa prae falsis ex alia origine; nam falsa ex alia origine non ita exstinguunt et destruunt vera, dant enim aliquem locum veris in se vel juxta se: per falsa ex alia origine intelliguntur praecipue falsa ex ignorantia, ex fallaciis, et ex religione apud illos quibus non est Verbum. Sciendum est quod [1]illis qui male vivunt, et usque dicunt se salvari quia fidem habent, vix aliquod genuinum verum sit, utcunque plura ex sensu litterae sciunt et depromunt; sensus enim litterae Verbi talis est, ut si non interius comprehendatur, diversimode explicari possit; et si ille sensus non ex genuinis veris spectatur, creditur secundum litteram, et falsificatur, secundum illa quae in mox praecedente articulo per comparationem de solis progressione et statione ostensa sunt. Quod vix aliquod genuinum verum illis sit, compertum est apud quosdam in mundo spirituali, qui solam fidem confirmaverunt doctrina et vita, quod ne quidem unum genuinum verum sciverint et agnoverint; angeli id exploraverunt et mirati sunt. Inde patuit quod vera Verbi apud se exstinxerint et destruxerint. Hoc itaque significatur per quod "draco cauda sua detraxerit tertiam partem stellarum caeli, et projecerit illas in terram;" sicut etiam "hircus caprarum" apud *Danielem*,

> Cornu hirci caprarum "crevit usque ad exercitum caelorum, et dejecit in terram de exercitu, et de stellis, et conculcavit ea;. . . .et projecit veritatem in terram" (viii. 10, 12):

per "exercitum caelorum" intelliguntur omnia vera et bona caeli et ecclesiae.

(Simile significatur per stellas quae cadent de caelo, *Matth.* xxiv. [2]29.)

721[*a*]. ***"Et draco stetit coram muliere futura parere."***—Quod significet *odium illorum qui per "draconem" intelliguntur, contra ecclesiam apud illos qui in doctrina et inde vita amoris et charitatis a Domino erunt*, constat ex significatione "draconis," quod sint qui in scientia cognitionum veri ex

sensu litterae Verbi sunt, et non in vita secundum illam (de qua supra, n. 714); ex significatione "mulieris," quod sit ecclesia quae in doctrina et inde vita amoris in Dominum et charitatis erga proximum est (de qua supra, n. 707); quod sit odium illorum qui per "draconem" significantur, contra illam ecclesiam et ejus doctrinam, intelligitur per "stare coram muliere paritura, et velle devorare partum:" et ex significatione "parere," quod sit producere talia quae ecclesiae sunt, quae sunt doctrinalia, hic de amore in Dominum et de charitate erga proximum; per "filium" enim "masculum," quem mulier peperit, significatur doctrina illius ecclesiae. Quod talia per "parere" significentur, est quia per "generationes," "partus" et "nativitates" in Verbo intelliguntur generationes, partus et nativitates spirituales, quae fiunt per vera et per vitam secundum illa; inde est, quod ubi in Verbo agitur de generatione spirituali, quae vocatur regeneratio, describatur illa per generationem et partum naturalem:—Ut apud *Johannem*,

> Jesus dixit Nicodemo, "Nisi quis generetur denuo, non potest videre regnum Dei; dixit...Nicodemus, Quomodo potest homo generari cum senex est? num potest in uterum matris suae secundum ingredi et generari? Respondit Jesus, Amen, amen dico tibi, nisi quis generatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest ingredi in regnum Dei; quod natum est carne caro est, sed quod generatum est a spiritu spiritus est" (iii. 3–6):

quoniam Nicodemus non intellexit spiritualem sensum verborum Domini, quod "oporteret ut homo denuo generetur," explicavit Dominus quod per "generari" intelligatur "generari aqua et spiritu," ita regenerari, nempe per vera ex Verbo et per vitam secundum illa, "aqua" enim significat vera, et "spiritus" vitam secundum illa. At alibi in Verbo, ubi dicitur "parturire," "parere," "gignere," et "generare," non explicatur; et usque per illa intelligitur parturitio, partus, nativitas et generatio spiritualis, quoniam Verbum in littera est naturale, in sinu autem est spirituale: quod "parere" significet spiritualiter parere, est quia homo qui regeneratur, similiter quasi concipitur, gestatur in utero, nascitur et educatur, sicut homo ex patre conceptus, aque matre gestatus et natus, ac postea educatus. Ad confirmandum quod per "partus" et "nativitates" in Verbo intelligantur partus et nativitates spirituales, velim aliqua loca inde adducere:—Apud *Esaiam*,

"Erubesce Zidon; dixit mare, munimentum maris, dicendo, Non parturivi, non peperi, et non educavi juvenes, adolescere feci virgines; cum fama Aegypto, dolore corripientur, sicut ad famam Tyri" (xxiii. 4, 5):

per "Zidonem" et "Tyrum" significantur cognitiones boni et veri ex Verbo; quod ecclesia non aliquid intelligentiae et sapientiae sibi per illas comparaverit, ac usus fecerit, significatur per "Non parturivi, non peperi, non educavi juvenes, adolescere feci virgines;" "juvenes" sunt vera ecclesiae, et "virgines" sunt bona ejus. (Sed haec videantur supra, n. 275[a], explicata.) Apud eundem,

"Castigatio tua illis, sicut gravida appropinquat ad pariendum,..clamat in doloribus suis; sic [1]fuimus coram Te Jehovah; concepimus, parturivimus, quasi peperimus ventum, salutes non fecimus terrae, [2]nec ceciderunt habitatores orbis, vivent mortui tui" (xxvi. 16–19):

haec de ultimis temporibus ecclesiae, quando falsa et mala in tantum succrescunt ut non reformari et regenerari possint; ille status intelligitur per "castigationem Jehovae illis:" quod tunc cum difficultate aliquod verum percipi et comparari posset, significatur per "sicut gravida appropinquat ad pariendum, clamat in doloribus suis;" quod loco veritatum hauriant vanitates in quibus non vera, significatur per "Concepimus, parturivimus et peperimus ventum;" "ventus" significat tales vanitates: quod ex illis nihil usus vitae, significatur per "salutes non fecimus" [3]Jehovae: quod usque a Domino, cum venturus est in mundum, docendi, et regenerandi sint per vera ab Ipso, significatur per "Vivent mortui tui," et per illa quae ibi sequuntur. Apud eundem,

"Canta sterilis, quae non peperit, persona cantu et jubila, non parturivit, quia multi filii desolatae prae filiis maritatae" (liv. 1):

haec de adventu Domini, et de nova ecclesia ab Ipso instauranda apud gentes; hae significantur per "sterilem" quae non peperit, et per "desolatam" cui erunt multi filii; "steriles" dicuntur, quia non noverunt Dominum, nec habuerunt Verbum ubi vera, et propterea non regenerari potuerunt; "filii" sunt vera a Domino per Verbum: ecclesia, cui est Verbum, ex quo Dominus est notus, intelligitur per "maritatam," cui non filii: gaudium eorum qui e nova ecclesia, cui non prius vera, significatur per "Persona cantu et jubila, quae non parturivit;" "parturire" est in

utero habere. In *Libro Primo Samuelis*,

> "Qui impulsi sunt robur circumcinxerunt, saturi pro pane conducti sunt, ac famelici cessarunt, usque dum sterilis peperit septem, et multiprolis defecit" (ii. [4,] 5);

propheticum Channae matris Samuelis: per "impulsos robore circumcingendos" intelliguntur gentes, apud quas futura ecclesia; qui "impulsi" dicuntur ex defectu cognitionum veri, et inde ab illis qui ab ecclesia, tunc Judaica, rejecti: "robore circumcingi" significat quod illis vera ex bono, et inde potentia: per "saturos pro pane conductos," et per "famelicos qui cessarunt," intelliguntur illi qui ab Ecclesia Judaica, qui "saturi" dicuntur ex eo quod illis vera in abundantia, et "conducti pro pane" ex eo quod non adduci ad discendum et ad faciendum illa possent, nisi sicut mercenarii: quod nec desiderent scire illa, significatur per quod "famelici cessarunt;" eadem etiam ecclesia per "multiprolem quae defecit" intelligitur: at gentes quae agniturae Dominum et recepturae Verbum, et inde se in ecclesiam regenerari passurae sunt, intelliguntur per "sterilem quae pariet septem;" "septem" significant omnia et multa, ac praedicantur de sanctis ecclesiae. Apud *Jeremiam*,

> "Elanguescet quae pepererat septem, exspirabit animam suam, occidet sol ejus cum adhuc dies" (xv. 9):

quod ecclesia, cui omnia vera sunt quia ei Verbum, peritura sit usque ut nihil veri et nihil boni supersit, significatur per illa verba: per "parere septem" significatur donari omnibus veris ex Verbo; per "elanguescere" et "occidere solem," significatur successive et tandem prorsus perire; per "exspirare animam" significatur perire quoad omnia vera, et per "occidere solem" quoad omnia bona amoris: "cum adhuc dies" significat dum adhuc agnoscitur Verbum. Apud *Esaiam*,

> "Antequam parturivit, parit; antequam veniat dolor illi, enixa est masculum; quis audivit sicut hoc? quis vidit sicut hoc? num parturivit terra die uno? num generabitur gens vice una? [quod] parturivit etiamque peperit Zion filios suos: num Ego frangam et non generem? inquit Jehovah, generari faciens et concluserim?....gaudete cum Hierosoyma, exultate in ea omnes amantes eam,....ut sugatis et saturemini ex ubere consolationum ejus" (lxvi. 7–10[, 11]):

haec quoque de adventu Domini, ac de instauratione eccle-

siae apud gentes: reformatio et regeneratio earum describitur per "parturire," "parere," "eniti masculum," et per "frangere matricem" et "generare;" nam, ut supra dictum est, homo qui e novo generatur, similiter quasi concipitur, gestatur in utero, nascitur, educatur, et adolescit, sicut a patre et matre: per "Zionem" et per "Hierosolymam" intelligitur ecclesia et doctrina ejus; et per "sugere et saturari ex ubere consolationum ejus" significatur ad plenum instrui in veris ex bono ex jucundo amoris, ad desiderium: per "diem unum" quo illa fient, significatur adventus Domini. Apud *Davidem*,

"A coram Domino parturis, terra, a coram Deo [1]Jacobi" (Ps. cxiv. 7):

per "Parturis, terra," significatur instauratio ecclesiae, seu reformatio illorum qui ab ecclesia erunt; "parturire" est recipere vera ac reformari, et "terra" est ecclesia: dicitur "a coram Domino" et "a coram Deo Jacobi," quia intelligitur reformatio quoad bonum et quoad verum, Dominus enim dicitur "Dominus" a bono, ac "Deus" a vero.

[*b.*] Apud *Jeremiam*,

"Ecce adducens eos e terra septentrionis, et congregabo eos a lateribus terrae; inter eos caecus et claudus, gravida et pariens simul, coetus magnus revertentur huc" (xxxi. 8);

etiam haec de restauratione ecclesiae apud gentes a Domino: gentes quae in falsis et quae in veri apparentiis, quales sunt vera Verbi in sensu litterae ejus, intelliguntur per "terram septentrionis" et per "latera terrae;" "septentrio" significat falsa, et "latera terrae" significant ultima vera talia: inde etiam dicitur, "inter eos caecus et claudus, gravida et pariens;" "caecus" est qui non in veris, et "claudus" qui non in bonis, "gravida" quae recepit vera, et "pariens" qui facit illa: quod ex illis instauranda sit ecclesia, significatur per "Ecce Ego adducens eos, congregabo eos, et coetus magnus revertentur huc." Apud *Esaiam*,

"Respicite ad petram ex qua excisi estis, et ad effossionem foveae ex qua effossi estis; respicite ad Abrahamum patrem vestrum, et ad Saram quae parturivit vos; nam unicum vocavi eum, et benedicam illi, et multiplicabo eum; nam consolabitur Jehovah Zionem, consolabitur omnes vastitates ejus, et ponet desertum ejus sicut Eden, et solitudinem ejus sicut hortum Jehovae" (li. 1–3):

haec quoque de Domino, et de nova ecclesia ab Ipso;

Dominus quoad Divinum Verum et quoad doctrinam veri intelligitur per "petram ex qua excisi sunt," et per "foveam ex qua effossi" (videatur supra, n. 411); Dominus autem quoad Divinum, ex quo reformatio, intelligitur per "Abrahamum" ad quem respicient, et ad Saram quae parturivit eos; nam quod per "Abrahamum," "Isacum" et "Jacobum" in Verbo non intelligantur illi, sed Dominus quoad Ipsum Divinum ac Divinum Humanum, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 1893, 2833, 2836, 3245, 3251, 3305, 3439, 3703, 4615, 6098, 6185, 6276, 6804, 6847); conjugium autem caeleste, quod est Divini Boni et Divini Veri, ex quo omnis reformatio et inde ecclesia, significatur per "Abrahamum" et "Saram quae parturivit;" quia Dominus per "Abrahamum" intelligitur, ideo dicitur, "Unice vocavi eum, et benedicam illi, et multiplicabo eum," et postea quod "consolabitur Jehovah Zionem, consolabitur omnes vastitates ejus;" per "Zionem" intelligitur nova ecclesia, per "vastitates" intelliguntur vera deperdita, et per "consolari" intelligitur restaurare ecclesiam: quod illi qui ab ecclesia illa erunt, Dominum agnituri, et amorem in Ipsum recepturi sint, et inde sapientiam, significatur per quod "ponetur desertum sicut Eden, et solitudo sicut hortus Jehovae;" "Eden" significat amorem in Dominum, et "hortus Jehovae" sapientiam inde. Apud *Micham*,

> "Clive filiae Zionis, ad te veniet et redibit regnum.., regnum filiae Hierosolymae: nunc quare vociferaris vociferatione? num rex non in te? num consiliarius tuus periit, quod apprehendat te dolor sicut parturientem? Parturi et educ, filia Zionis,...jam exibis ex urbe et habitabis in agro" (iv. 8–10):

agitur ibi de captivitate spirituali, in qua sunt fideles quando in ecclesia, ubi non amplius verum et bonum est, morantur; lamentatio eorum quod in ea ecclesia sint, significatur per "Quare vociferaris vociferatione;" tum per "[1]quod apprehendat te dolor sicut parturientem;" cum tamen vera doctrinae illis sint, et quoque intellectus eorum, significatur per "Num rex non in te? num consiliarius tuus periit?" "rex" significat verum doctrinae ex Verbo, et "consiliarius" intellectum ejus: quod apud illos erit ecclesia qui in bono charitatis sunt et inde in veris doctrinae, significatur per "filiam Zionis" ad quam veniet regnum, et per "filiam Hierosolymae;" "regnum" etiam

significat ecclesiam: instauratio ecclesiae et reformatio eorum qui ab ecclesia, intelligitur per "Parturi, educ, filia Zionis:" "jam exibis ex urbe, et habitabis in agro," significat quod recedent a doctrina in qua non amplius verum et bonum, et quod moraturi ubi illa in copia sunt; "urbs" est doctrina e qua recedent, "ager" est ubi vera et bona in copia sunt, et "exire" est recedere, nempe ab illa doctrina, et sic liberari a captivitate spirituali. Apud *Davidem*,

> Jehovah "erigit e pulvere attritum, e sterquilinio exaltat egenum, ad collocandum cum principibus, cum principibus populi sui; qui habitare facit sterilem domum, matrem filiorum laetam" (Ps. cxiii. 7-9):

quod illi qui in falsis ex ignorantia, et inde non in bonis sunt, instruendi sint a Domino in veris, significatur per quod Jehovah "erigit e pulvere attritum, et e sterquilinio exaltat egenum;" "attriti" et "egeni" sunt qui in falsis ex ignorantia et inde non in bonis; primaria vera ecclesiae in quibus instruendi sunt, significantur per "principes, principes populi," cum quibus collocandi: quod vita ex conjugio veri et boni futura apud quos non prius, significatur per "habitare facere sterilem domum, matrem filiorum laetam;" "habitare" significat vivere, "sterilis domus" ubi non conjugium veri et boni, "mater filiorum laeta" est ecclesia ubi vera ex bono nascentia. Apud *Hoscheam*,

> "Quoad Ephraimum, sicut avis avolabit gloria ejus, a partu et a ventre et a conceptione" (ix. 11):

quod per haec significetur quod periturus omnis intellectus veri ab ultimis ad prima, videatur supra (n. 710[a]), ubi illa explicata sunt. Apud *Lucam*,

> "Vae in ventre gestantibus et lactantibus in diebus illis, erit namque angustia magna..., et ira in populo hoc" (xxi. 23);

et apud eundem,

> "Ecce venient dies, in quibus dicent, Beatae steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quae non lactarunt" (xxiii. 29: similiter *Matth.* xxiv. 19; *Marc.* xiii. 17):

quod haec de illis qui in fine ecclesiae, quando non aliqua genuina vera quin falsificentur recipi possunt, dicta sint, videatur etiam supra (n. 710[a]). Apud *Jeremiam*,

> "Perdix colligit sed non parit, faciens divitias sed non cum judicio, in

medio dierum suorum deserit illas, et in postremitate sua fiet stultus" (xvii. 11):

per "perdicem" intelliguntur qui plura ex Verbo et ex doctrinis ecclesiae discunt, sed non propter usus vitae; "parere" est usus facere, ita vivere, et sic reformari: per "divitias" quas non cum judicio facit, significantur divitiae spirituales, quae sunt cognitiones veri et boni; illas sibi comparare non propter usus vitae est "facere divitias non cum judicio:" quod cognitiones illae, quae non factae sunt vitae, pereant, significatur per quod "in medio dierum suorum deseret illas:" quod tandem illis non sint cognitiones veri nisi falsificatae, significatur per quod "in postremitate sua fiet stultus." Quoniam "mater" significabat ecclesiam, ac "filii et filiae" vera et bona ejus, et quoniam in Ecclesiis Antiquis, et dein in Ecclesia Judaica omnia erant repraesentativa et inde significativa, ideo opprobrium et ignominia erat mulieribus steriles esse: quare

Rachel succensuit Jacobo quod non pareret, et dixit cum peperit Josephum, "Collegit Deus opprobrium meum" (*Gen.* xxx. 1, 23):

propter eandem causam

Elizabeth, postquam concepit, dixit, "Sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit ad auferendum ignominiam meam inter homines" (*Luc.* i. 24, 25):

inde quoque patet quod "parturire," "parere" et "generare" significent procreare talia quae ecclesiae sunt. Apud *Esaiam*,

"Vae dicenti patri, Quid generas? aut mulieri, Quid parturis?" (xlv. 10;)

haec quoque dicta sunt de reformatione hominis, quod illa sit a Domino, et non ab homine. Apud eundem,

Dixit rex Hiskias, cum audivit verba Rabschakes, "Dies angustiae et objurgationis et contumeliae, dies hic, et venerunt filii ad os matricis, nec vires ad pariendum" (xxxvii. 3):

quod audiantur et sciantur vera ex Verbo, et tamen per illa non fiat reformatio, significatur per quod "venerint filii ad matricem, nec vires ad pariendum;" "parere" significat fructificare vera per facere, unde reformatio: quod id esset dolor cordis et animi, et quod contumeliosum ecclesiae, significatur per "diem angustiae, objurgationis et contumeliae." Apud *Ezechielem*,

"Effundam excandescentiam meam super Sin robur Aegypti, et exscindam multitudinem No: dabo ignem in Aegypto,..parturiet Sin, et [1]non erit ad perrumpendum" (xxx. 15, 16):

per "Aegyptum," "Sin" et "No" significantur scientifica et fallaciae quae naturalis hominis, quae obstant quin homo per vera ex Verbo reformetur; quod haec scituri sint, sed usque non recepturi vita, et sic non reformari possint, significatur per "parturiendo pariet Sin, et [1]non erit ad perrumpendum," nempe matricem.

[*c.*] Quoniam per "parturire" significatur recipere auditu aut lectu vera Verbi, et per "parere" significatur fructificare et actu producere illa, quod est vivere secundum illa, et sic reformari, ideo haec quando fiunt cum angustia et difficultate propter falsa et mala quae regnant in ecclesia, quae inhibent et quae pervertunt vera et bona ejus, tunc dicitur quod "prehendantur dolore sicut parturientis:" hoc quia fit in fine ecclesiae, ideo id in Verbo dicitur de illis qui eo tempore vivunt, sicut in hoc capite *Apocalypseos*, quod "mulier in utero habens clamaverit parturiens, et cruciata parere" (vers. 2); per quod significatur quod vera et bona spiritualia, quae ex Verbo, non nisi cum maxima difficultate et cum angustia recipi possent, obstantibus malis et falsis quae tunc in ecclesia, et quae animos religioni addictos occupaverunt. Hoc quoque significatur per "dolores sicut parturientis" apud *Jeremiam*,

"Vocem quasi aegrotantis audivi,..quasi primogenitum parturientis, vocem filiae Zionis, suspirat, expandit manus suas, Vae jam mihi, quia desolata est anima mea ab occisoribus" (iv. 31):

per "filiam Zionis" intelligitur ecclesia quae in veris doctrinae ex bono amoris est; haec dicitur "suspirare, et expandere manus, quia delassata est anima ejus ab occisoribus;" "occisores" sunt qui vitam spiritualem hominis per falsa et mala destruunt: et quia propter hoc non nisi quam cum angustia et difficultate recipi vera et bona spiritualia possunt, ideo fit lamentum sicut "aegrotantis et primogenitum parturientis;" per "primogenitum" significatur primum ecclesiae, ex quo reliqua sicut ex suo principio sequuntur. Apud eundem,

"Audivimus famam" populi venientis e terra septentrionis, "remissae sunt manus nostrae, angustia prehendit nos, dolor sicut parturientis: ne exite in agrum, et in viam ne abite, quia gladius hosti, terror circumquaque" (vi. 24, 25):

per "populum venientem e terra septentrionis" intelliguntur illi qui in falsis mali sunt, et abstracte falsa mali quae in ecclesia tunc vastata: quod tunc vera fide et amore aegerrime recipiantur, obstantibus falsis mali, et quod inde cruciatus et dolor animi et cordis, significatur per quod "remissae sint manus, angustia prehendat, dolor sicut parturientis:" quod tunc non consulenda sint quae ecclesiae et quae doctrinae ejus sunt, ad consulendum sibi, significatur per "Ne exite in agrum, et in viam ne abite;" "ager" est ecclesia, et "via" est doctrina: causa quia falsum ab inferno invadit, ex quo falsificatur et exstinguitur verum, significatur per quod "gladius hosti, terror circumquaque;" "gladius" est falsum destruens verum, "hostis" est infernum, et "terror" est mors spiritualis. Ex his constare potest quid intelligitur per Domini verba apud *Matthaeum*,

> "Tunc qui super domo est, ne descendat ad tollendum quid e domo.., et qui in agro ne revertatur retro....: vae in utero gestantibus et lactantibus in diebus illis;.....erit tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque nunc" (xxiv. 17–19, 21):

haec quoque dicta sunt de statu ecclesiae circa finem ejus, quando falsa mali et mala falsi regnant, et vera Verbi non recipiuntur nisi falsificata et adulterata; hoc intelligitur per "Vae in utero gestantibus et lactantibus in diebus illis," et quoque per "afflictionem magnam." (Sed haec cum reliquis illius capitis videantur in *Arcanis Caelestibus* ordine explicata.) Apud *Jeremiam*,

> "Interrogate et videte, num pariens mas; quare video omnem virum, manus ejus super lumbis ejus, sicut parientis, et conversae sunt omnes facies in pallorem? quia magnus dies ille, ut non sit sicut ille" (xxx. 6, 7):

hoc quoque de ultimo statu ecclesiae, quando ultimum judicium: "magnus dies" est adventus Domini, et tunc ab Ipso judicium; per "interrogare et videre num pariens mas," significatur num verum Verbi absque bono vitae aliquid ecclesiae producere possit, quoniam omne ecclesiae producitur ex conjugio boni et veri; "mas" significat ecclesiae verum, et "uxor" ecclesiae bonum: "quare video omnem virum, manus ejus super lumbis ejus sicut parientis?" significat cur putatur sicut verum absque bono producat talia quae ecclesiae sunt; "lumbi" significant

conjugium, in spirituali sensu conjugium veri et boni; "lumbi" autem "viri sicut parientis" significant sicut esset conjugium solius veri absque bono: "conversae sunt omnes facies in pallorem" significat quod nihil boni, quia nihil amoris et charitatis; "facies" significat affectiones quae sunt amoris boni, inde "pallor" illas exstinctas. Apud *Esaiam*,

> "Impleti sunt lumbi mei dolore magno, dolores apprehendunt me, sicut dolores parturientis" (xxi. 3):

haec quoque dicta sunt de ultimo statu ecclesiae, quando vera et bona ejus propter mala et falsa quae tunc obstant, non nisi cum maximo doloris nisu recipi possunt; "lumbi," qui impleti dolore dicuntur, significant conjugium boni et veri, ex quo caelum et ecclesia, qui "dolore impleti" dicuntur, quando verum cum bono non potest conjungi; illa itaque significantur per "dolores sicut parturientis," qui apprehendunt. Quod "dolor sicut parturientis" etiam dicatur de illis qui propter falsa conjuncta malis vitae non vera amplius recipere possunt, quae tamen recipere volunt, cum exitium imminet, imprimis in mundo spirituali quando ultimum judicium, sed quod frustraneo conatu et nisu, significatur per "dolores parturientis" in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Ejulate, quia propinquus est dies Jehovae;....propterea omnes manus remittuntur, et omne cor hominis liquescit, et perterriti, tormina et dolores apprehendunt, sicut pariens parturiunt, vir erga socium suum [1]obstupescit, facies flammarum facies illorum" (xiii. 6-8):

"dies Jehovae," qui propinquus, significat ultimum judicium, quod a Domino cum fuit in mundo; terror illorum tunc propter exitium imminens, significatur per quod "omnes manus remittantur, et omne cor liquescat, ac [2]perterriti sint;" quod frustra tunc recipere possint vera et bona caeli et ecclesiae, propter falsa mali in quibus fuerunt et tunc sunt, significatur per "tormina et dolores apprehendunt, sicut pariens parturiunt;" quod illis mala odii et irae, significatur per quod "facies flammarum facies illorum." Apud *Jeremiam*,

> "Habitans in Libano, nidum habens in cedris, quantum gratiae invenies, cum venerint [tibi dolores], dolor sicut parturientis;.....dabo te in manum quaerentium animam tuam" (xxii. 23[, 25]);

haec de illis apud quos est Verbum, et inde sunt vera et eorum intellectus; hi sunt qui dicuntur "habitare in Libano, et nidum habere in cedris;" exitium illorum quando ultimum judicium, et tunc conatus recipiendi vera, sed frustra ex obstantibus falsis mali, significatur per "quantum gratiae invenies, cum venerint tibi dolores, dolor sicut parturientis;" quod tunc falsa mali quae ex inferno auferent illos, significatur per "Dabo te in manum quaerentium animam tuam." Apud eundem,

> "Remissa facta est Damascus, convertit se ad fugiendum, et horror apprehendit eam, angustia et dolores arripuit eam sicut parturientem" (xlix. 24);

apud eundem,

> "Audivit rex Babelis famam" populi venientis e septentrione; "inde remissae factae sunt manus ejus, angustia apprehendit eum, dolor sicut parturientis" (l. 43);

apud *Mosen*,

> "Audiverunt populi,..dolor parturientium apprehendit habitatores Philisthaeae" (*Exod.* xv. 14):

per "dolores parturientis" in his locis similia significantur quae supra. Apud *Hoscheam*,

> "Dolores parturientis venient" Ephraimo; "ille filius non sapiens, quia tempus non stat in utero filiorum" (xiii. 13):

haec explicata videantur supra (n. 710[b]). Apud *Mosen*,

> Dixit Jehovah Deus ad mulierem, "Multiplicando multiplicabo dolorem tuum, et conceptum tuum; in dolore paries filios, et ad virum tuum obedientia tua, et hic dominabitur tibi" (*Gen.* iii. 16):

per haec non intelligitur quod mulieres parituræ sint filios in dolore, sed per "mulierem" intelligitur ecclesia, quae a caelesti naturalis facta est; "esus ex arbore scientiae" hoc significat: quod homo ecclesiae aegre possit regenerari per vera et per vitam secundum illa, et quod tentationes subiturus sit ut vera implantentur et conjungantur bono, significatur per quod "multiplicabitur dolor et conceptus," et per quod "in dolore pariet filios;" "conceptus" significat receptionem veri quod ex bono, et "parere filios" significat producere vera ex conjugio veri et boni: quoniam naturali homini sunt concupiscentiae ex amore sui et mundi, et illae non removeri possunt quam per vera, ideo dicitur quod "ad virum erit obedientia ejus, et is

dominabitur illi;" per "virum" significatur hic ut alibi in Verbo verum ecclesiae; quod per vera et per vitam secundum illa homo reformetur et regeneretur, supra ostensum est. Ex his nunc constare potest quod per "conceptus," "partus," "nativitates" et "generationes" in Verbo significentur conceptus, partus, nativitates et generationes spirituales.

722. *"Ut postquam pepererit, fetum ejus devoraret."*— Quod significet ***ut destruerent doctrinam illius ecclesiae in primo ejus ortu***, constat ex significatione "fetus," quem mulier paritura esset, quod sit doctrina ecclesiae; quod haec intelligatur per "filium masculum" quem peperit, videbitur in articulo mox sequente: et ex significatione "devorare," quod sit destruere; praedicata enim sequuntur sua subjecta; quum "draco" est subjectum, tunc praedicatum ejus est "devorare," at cum doctrina ecclesiae est subjectum, tunc praedicatum ejus est destruere; inde est quod destruere hic per "devorare" significetur; quod significetur destruere in primo ejus ortu, est quia dicitur quod "postquam mulier pepererit, fetum ejus devoraret." Quod "devorare" et "comedere" etiam alibi significet destruere, quando dicitur de "feris," per quas significantur falsa et mala, constat apud *Ezechielem*,

> "Surrexit unus de catulis" leonis, qui "juvenis leo factus est," qui "didicit rapere rapinam, hominem devoravit" (xix. 3, 6):

"hominem devorare" significat intellectum veri ac intelligentiam destruere. Apud *Hoscheam*,

> "Occurram illis sicut ursus orbatus,.....et comedam eos..sicut immanis leo, fera agri diffindet eos" (xiii. 8);

apud *Danielem*,

> "Ecce bestia...similis urso," cui "tres costae in ore inter dentes," cui dictum, "Surge, devora carnem multam" (vii. 5).

Praeterea in lingua Hebraea multis in locis dicitur "comedere" pro consumere, perdere et destruere:—Ut apud *Jeremiam*,

> "Comederunt Jacobum, comederunt eum, et consumpserunt eum, et habitationes ejus devastarunt" (x. 25; et alibi).

VERSUS 5.

723. *"Et peperit filium masculum, qui futurus pascere omnes gentes virga ferrea; et raptus est fetus ejus ad Deum et thronum Ipsius."*

5. ***"Et peperit filium masculum,"*** significat *doctrinam veri quae ecclesiae, quae Nova Hierosolyma vocatur* [n. 724, 725]; ***"qui futurus pascere omnes gentes virga ferrea,"*** significat *quae potentia veri naturalis ex spirituali convincet et arguet illos qui in falsis et malis sunt, et tamen in ecclesia ubi Verbum* [n. 726, 727]; ***"et raptus est fetus ejus ad Deum et thronum Ipsius,"*** significat *tutationem doctrinae a Domino quia pro Nova Ecclesia* [n. 728].

724[*a*]. [*Vers.* 5.] ***"Et peperit filium masculum."***—Quod significet *doctrinam veri quae pro nova ecclesia, quae Nova Hierosolyma vocatur*, constat ex significatione "filii," quod sit verum, et "filii masculi" quod sit genuinum verum ecclesiae; inde quoque doctrina ejus, nam verum ecclesiae ex Verbo [1]est doctrina ejus, haec enim continet vera quae pro ecclesia: at genuina doctrina ecclesiae est doctrina boni, ita doctrina vitae, quae est amoris in Dominum et charitatis erga proximum; at usque est doctrina veri, nam doctrina docet vitam, amorem et charitatem, et quatenus docet est verum; nam cum homo scit et intelligit quid bonum, quid vita, quid amor et quid charitas, tunc scit et intelligit illa ut vera, scit enim et intelligit quale est bonum, quomodo vivendum, quidque amor et charitas, et qualis homo cui vita amoris et charitatis est; et quamdiu haec sunt scientiae et intellectus, non sunt nisi quam vera et inde doctrinae; ast ut primum illa a scientia et ex intellectu transeunt in voluntatem et inde in actum, non amplius sunt vera sed sunt bona; homo enim interius non aliud vult quam quod amat, et quod amat hoc ei bonum est. Ex his constare potest quod omnis doctrina ecclesiae sit doctrina veri; et quod verum doctrinae fiat bonum, ac fiat amoris et charitatis, dum a doctrina transit in vitam. Haec doctrina, quae hic per "filium masculum" significatur, est praecipue doctrina amoris in Dominum, et charitatis erga proximum; ita doctrina boni vitae, quae tamen usque est doctrina veri. Quod doctrina boni amoris et inde vitae significetur hic per "filium masculum," constare potest ex eo, quod "mulier," quae peperit filium, visa sit "circumdata sole, et super capite ejus corona stellarum duodecim," et per "solem" significatur amor in Dominum, et per "coronam stellarum duodecim" significantur cognitiones

boni et veri; et ex muliere tali et matre non aliud generatur quam quod est amoris et boni, ita doctrina de illis; hoc itaque est "filius masculus." Quod illa [1]doctrina sit pro nova ecclesia, quae Nova Hierosolyma vocatur, est quia haec "mulier," de qua in hoc capite agitur, est quae vocatur "sponsa, Agni uxor," quae fuit "civitas sancta Hierosolyma descendens e caelo a Deo" (cap. xxi. 9, 10); inde est quod visa sit "circumdata sole," per "solem" enim intelligitur Dominus quoad Divinum Amorem (videatur supra, n. 401, 525, 527, 708). Quod "filius masculus" significet doctrinam ecclesiae, est quoque quia "filius" in Verbo significat verum, et doctrina ecclesiae est verum in omni complexu. Quod "filius" in Verbo significet verum, constare potest ex illis quae prius de "muliere," de "utero" et de "parere" dicta sunt; nempe quod "mulier" significet ecclesiam, "uterus" intimum amoris ac receptionem veri ex bono, ac "parere" productionem et fructificationem eorum; (de "muliere" videatur supra, n. 707, de "utero," n. 710, et de "parere," n. 721;) inde sequitur quod per "filios" et "filias," quia sunt partus, significentur vera et bona ecclesiae, per "filios" vera, et per "filias" bona ejus; verbo, quod per omnia nomina quae sunt conjugii, et inde procreationis in terra, significentur talia quae sunt conjugii boni et veri; ita per "patrem," "matrem," "filios," "filias," "generos," "nurus," "nepotes," et per plura, significentur bona et vera procreantia, ac bona et vera procreata, et porro bona et vera ordine derivata. Sed sciendum est quod bona et vera procreantia sint in spirituali homine, et quod bona et vera procreata in naturali; et quod illa quae in spirituali homine sunt, sint sicut pater et mater; et quod ea quae in naturali homine sunt, quia inde, sint sicut fratres et sorores; et quod dein vera et bona quae e novo procreantur sicut ex filiis maritatis intra affinitatem, et ex filiabus nuptis etiam intra eandem, sint in naturali homine, postquam illa ut parentes elevata sunt in spiritualem; ibi enim fit omnis conceptio et omnis parturitio seu gestatio in utero, sed ipse partus fit in naturali homine: inde spiritualis homo, per elevationem verorum et bonorum, quae sicut parentes procreabunt nova, e naturali homine illuc, locupletatur continue, ubi omnia consociantur sicut societates caeli, secundum affectiones veri et boni, et earum

propinquitates et affinitates. Inde patet quod procreationes illae spirituales, sicut procreationes naturales ex patre et matre, multiplicentur sicut familiae et domus in terris; et sicut ex seminibus fructificantur arbores, unde horti, qui paradisi dicuntur in spirituali homine, at luci et nemora in naturali, at silvae umbrosae in sensuali.

[*b*.] Sed quia in Verbo permultis in locis dicuntur "filii," et nondum notum est quod per illos significentur vera ecclesiae et doctrinae, velim ex multis modo sequentia loca confirmationis causa inde adducere:—Apud *Evangelistas*,

> Jesus dixit, "Qui relinquit domos, fratres, sorores, patrem, matrem, uxorem, liberos, agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitae aeternae hereditatem sortietur" (*Matth.* xix. 29; *Marc.* x. 29, 30);
>
> "Omnis qui ad Me venit, et non odit suum patrem, matrem, uxorem, liberos, fratres et sorores, immo animam suam, non" est "meus discipulus" (*Luc.* xiv. 26):

quis non videre potest quod non pater, mater, uxor, liberi, fratres, et sorores, nec domus et agri hic intelligantur? sed quod talia quae sunt ipsius hominis, et ejus propria vocantur; haec enim homo relicturus est et odio habiturus, si velit colere Dominum et "Ejus discipulus esse," ac "centuplum recipere," et "vitae aeternae hereditatem sortiri:" propria hominis sunt ejus amoris et inde ejus vitae in quam natus est, proinde sunt mala et falsa omnis generis; et quia illa sunt ejus amoris et vitae, ideo dicitur quod etiam "odisse debeat animam suam:" haec mala et falsa significantur per "patrem et matrem, uxorem, liberos, fratres et sorores;" nam omnia quae sunt amoris et vitae hominis, seu quae sunt affectionis et inde cogitationis, seu quae sunt voluntatis et inde intellectus ejus, illa formata et conjuncta sunt, sicut generationes descendentes ex uno patre et una matre, et quoque distincta sicut in familias et domos; amor sui et inde amor mundi sunt eorum "pater et mater," et cupiditates inde oriundae, ac earum mala et falsa, sunt "liberi," qui "fratres" et "sorores:" quod haec intelligantur, manifeste constare potest ex eo, quod Dominus non velit ut aliquis odio habeat patrem et matrem, nec uxorem, nec liberos, nec fratres et sorores, quia id foret contra amorem spiritualem cuivis e caelo insitum, qui est parentum erga liberos ac liberorum erga parentes,

tum contra amorem conjugialem, qui est mariti erga uxorem et uxoris erga maritum, ut et contra amorem mutuum, qui est fratrum et sororum inter se; immo docet Dominus quod nec inimici odio habendi sint, sed amandi. Ex his patet quod per nomina consanguineorum, affinitatum et propinquorum in Verbo intelligantur consanguinei, affines et propinqui in sensu spirituali. Apud eosdem,

> Jesus dixit discipulis, "Tradet frater fratrem in mortem, pater filium, et insurgent liberi contra parentes, et morti dabunt eos" (*Matth.* x. 21; *Marc.* xiii. 12);
>
> "Dividetur pater contra filium, et filius contra patrem, mater contra filiam et filia contra matrem, socrus contra nurum, et nurus contra socrum" (*Luc.* xii. 53):

quod neque haec intelligenda sint secundum litteram, constat ex praecedentibus ibi, ubi Jesus dicit quod "non venerit ad dandum pacem super terra, sed divisionem," sed quod "erunt quinque in una domo divisi, tres contra duos et duo contra tres," per quae significatur quod pugnatura sint falsa et mala contra vera et bona, ac vicissim, quod fit quando homo in tentationes venit et reformatur; illa pugna per "divisionem" et "insurrectionem" significatur: quod "pater dividetur contra filium et filius contra patrem" significat quod malum pugnaturum sit contra verum, et verum contra malum; ibi "pater" est malum quod est proprium hominis, et "filius" est verum quod est homini a Domino: quod cupiditas falsi pugnatura sit contra affectionem veri, et affectio veri contra cupiditatem falsi, significatur per quod "dividetur mater contra filiam, et filia contra matrem;" "mater" ibi est cupiditas falsi, et "filia" est affectio veri; et sic porro: quod ita sit, etiam constare potest ex eo, quod Dominus alibi dicat (ut *Joh.* xiv. 27; cap. xvi. 33), quod in Ipso "pacem habituri sint," ita non divisionem. Apud *Lucam*,

> Angelus dixit ad Sachariam de Johanne, "Praecedet coram" Domino "in spiritu et virtute Eliae, ad convertendum corda patrum ad filios" (i. 17);

et apud *Malachiam*,

> "Mittam vobis Eliam prophetam, antequam venit dies Jehovae magnus et terribilis, ut convertat cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, ne veniam et percutiam terram anathemate" (iii. 23, 24 [*B. A.* iv. 5, 6]):

quod Johannes Baptista praemissus sit ad praeparandum

populum ad receptionem Domini, erat per baptismum; baptismus enim repraesentabat et significabat purificationem a malis et falsis, et quoque regenerationem per Verbum a Domino; quae repraesentatio nisi praecesserit, Dominus non potuisset in Judaea et in Hierosolyma Se manifestare, docere, et commorari, quia Dominus fuit Deus caeli et Deus terrae sub forma Humana, qui non una potuit esse cum gente quae in meris falsis quoad doctrinam, et in meris malis quoad vitam fuit; quare nisi repraesentativum purificationis a falsis et malis per baptisma praeparaverit illam gentem ad receptionem Domini, gens illa a praesentia Ipsius Divini morbis omnis generis periisset; hoc ergo est quod significatur per "ne veniam et percutiam terram anathemate." Quod ita sit, in mundo spirituali notissimum est; ibi enim illi qui in falsis et malis sunt, ad praesentiam Domini dire cruciantur et spiritualiter moriuntur. Quod baptisma Johannis illum effectum potuisset producere, erat quia Ecclesia Judaica fuit ecclesia repraesentativa, et omnis conjunctio caeli cum illis fuit per repraesentativa; ut quoque constare potest ex lavationibus ibi mandatis; ut quod omnes immundi facti lavarent se et vestes, et inde pro mundis habiti sunt; similiter quod sacerdotes et Levitae lavarent se, antequam intrarent Tentorium conventus, et tunc Templum, ac fungerentur officiis sanctis; similiter quod Naaman mundatus sit a lepra per lavationem in Jordane; ipsa lavatio et baptizatio non quidem purificabat illos a falsis et malis, sed modo repraesentabat et inde significabat purificationem ab illis, quod tamen in caelo acceptum erat sicut ipsi purificati essent: ita caelum fuit conjunctum cum populo illius ecclesiae per baptisma Johannis; et quando caelum ita fuit conjunctum illis, potuit Dominus, qui erat Deus caeli, ibi Se manifestare, docere et commorari.

Quod ad Johannem "exiverit Hierosolyma et universa Judaea, et universa confinia Jordanis, et baptizati sint ab illo in Jordane, confitentes peccata sua," constare potest apud *Matthaeum* (cap. iii. 5, 6);

Et quod dixerit illis, "Progenies viperarum, quisnam monstravit vobis effugere a futura ira?" (*Luc.* iii. 7.)

Quod conjunctio caeli cum Judaeis et cum Israelitis fuerit per repraesentativa, videatur in *Doctrina Novae Hierosoly-*

mae (n. 248). Haec nunc fuit causa cur Johannes praemissus fuit ad parandum viam Domino, et ad praeparandum Ipsi populum. Ex his concludi potest quid significatur per "convertere cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres;" nempe, quod sit inducere repraesentationem conjunctionis bonorum spiritualium cum veris, et vicissim, ita regenerationis per Verbum a Domino; nam regeneratio est conjunctio illorum, ac Dominus est qui regenerat, et Verbum docet. Quod de Johanne illo dicatur, quod "praecederet coram Domino in spiritu et virtute Eliae," et quod "esset Elias," erat causa, quia Johannes ille sicut Elias repraesentabat Dominum quoad Verbum, et inde significabat Verbum quod a Domino; et quia in Verbo est Divina sapientia et Divina potentia, est ea quae intelligitur per "spiritum et virtutem Eliae." (De Verbo quod tale, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 303-310; et in opusculo *De Equo Albo*.)

[*c*.] Quod "filii" significent vera ex Verbo, constare etiam potest ex sequentibus locis:—Apud *Davidem*,

> "Ecce hereditas Jehovae filii, merces fructus ventris; sicut tela in manu potentis, sic filii adolescentiae; beatus vir qui implevit pharetram ex illis; non pudefient cum loquentur cum hostibus in porta" (Ps. cxxvii. 3-5):

per "filios" qui hereditas Jehovae, et per "fructum ventris" qui merces, intelliguntur vera et bona ecclesiae; per "filios" vera et per "fructum ventris" bona; nam haec et illa sunt merces et hereditas Jehovae, hoc est, caelum, quod est ex veris et bonis, nempe ex receptione illorum; per "filios adolescentiae" qui sicut tela in manu potentis, significantur vera Ecclesiae Antiquae, quae vera naturalia ex spirituali erant; haec ecclesia intelligitur per "adolescentiam;" et quia omnis potentia est illis veris contra falsa et mala, ideo dicitur, "sicut tela in manu potentis;" "tela" significant vera destruentia falsa: doctrina ex veris significatur per "pharetram" quia per "arcum;" et quia illi qui in doctrina ex illis veris sunt, nihil timent a falsis, dicitur, "Beatus vir qui ex illis implevit pharetram; non pudefient cum loquentur cum hostibus in porta;" "non pudefieri" est non vinci, et "hostes in porta" sunt falsa mali quae ex inferno. Apud eundem,

> "Eripe me e manu filiorum alienigenae, quorum os loquitur vanitatem, et dextra eorum dextra mendacii; nam filii nostri sicut plantae

magnae factae in adolescentia eorum, filiae nostrae sicut anguli excisi figura palatii" (Ps. cxliv. 11, 12):

quod hic per "filios alienigenae" intelligantur falsa, patet, nam dicitur, "quorum os loquitur vanitatem, et dextra eorum dextra mendacii;" et quod per "filios nostros" significentur vera, etiam patet, nam dicitur quod "sint sicut plantae factae in adolescentia;" "plantae" sunt etiam vera, et "adolescentia" est hic, ut supra, Ecclesia Antiqua, cui genuina vera fuerunt: per "filias nostras" significantur affectiones veri, quae ideo comparantur "angulis excisis figura palatii," quia "palatium" est repraesentativum intellectus, in quo veritates in pulchra forma sunt, et in pulchra forma sunt quando ex affectione veri. Apud *Micham*,

"Calvitiem induc, et tonde te, propter filios deliciarum tuarum; dilata calvitiem tuam sicut aquila, quia migrarunt a te" (i. 16):

luctus propter vera ecclesiae deperdita describitur per "calvitiem inducere" ac "dilatare," ac per "tondere se;" "crines" enim significant vera in ultimis, et qui absque veris in ultimis sunt, etiam absque veris internis sunt; inde est quod in mundo spirituali appareant calvi qui in nullis veris ex bono sunt: quod vera sint deperdita, significatur per quod "filii deliciarum migraverint a te;" "filii deliciarum" dicuntur ex amore illorum et inde jucundis. Apud *Sachariam*,

Vidit duas oleas "juxta dextram candelabri et juxta sinistram;....et dixit, Hae sunt duo filii oleae stantes juxta Dominum totius terrae" (iv. 11, 14);

per "duas oleas" significantur binae ecclesiae, ecclesia caelestis et ecclesia spiritualis, illa quae "ad dextram candelabri," haec quae "ad sinistram;" per "filios oleae" significantur vera illarum, quae sunt doctrinalia. Apud eundem,

"Tendam Mihi Jehudam, arcu implebo Ephraimum, et excitabo filios tuos, Zion, cum filiis tuis, Javan; et ponam te sicut gladium potentis" (ix. 13):

per "filios Zionis" et per "filios Javanis" significantur vera Verbi interna et externa, per "filios Zionis" vera interna, et per "filios Javanis" vera externa; (**quid reliqua significant, videatur supra, n. 357[a], 443[b], ubi explicata sunt:**) quia per

"filios" significantur vera, dicitur quod "ponentur sicut gladius potentis;" "gladius potentis" significat verum potenter destruens falsum. Apud *Esaiam*,

> "Excitabo contra illos Medum,....quorum arcus juvenes allident, et fructus ventris non miserebuntur, filiis non parcet oculus illorum" (xiii. 17, 18):

quoniam per "Medum" intelliguntur qui nihili faciunt vera et bona ecclesiae, ideo etiam dicitur, "Filiis non parcet oculus eorum," "filii" namque sunt vera Verbi et ecclesiae. (Sed haec videantur supra, n. 710[c], explicata.) Apud *Jeremiam*,

> "Tentorium meum devastatum est, et omnes funes mei evulsi, filii mei exiverunt a Me, et non illi" (x. 20):

per "tentorium" quod devastatum significatur ecclesia quoad bonum amoris et ex eo cultum, omnis enim cultus antiquitus peractus est in tentoriis, et postea in Tentorio conventus, in quorum memoriam institutum est Festum Tentoriorum seu Tabernaculorum; "omnes funes mei evulsi" significat quod non conjunctio veri cum bono, nec veritatum inter se, quae sic dilapsae, et inde non conjunctio caeli cum ecclesia; "filii mei exiverunt a Me, et non illi," significat quod vera ecclesiae ex Verbo dissipata sint, et quod sic homo se removerit a Domino. Apud eundem,

> "Ecce Ego reducens captivitatem tentoriorum Jacobi, et habitaculorum ejus miserebor, ut aedificetur urbs super tumulo suo, et palatium juxta morem suum habitabitur;....et erunt filii ejus sicut olim, et congregatio ejus coram Me constabit" (xxx. 18, 20):

per "tentoria Jacobi" et "habitacula" ejus significantur omnia ecclesiae et ejus doctrinae, per "tentoria" bona ejus, et per "habitacula" vera ejus: per "captivitatem" illorum significatur captivitas spiritualis, quae est cum propter falsa, quae regnant, vera et bona Verbi non possunt percipi: falsa discutere et vera docere, significatur per "reducere captivitatem:" "ut aedificetur urbs super tumulo suo," significat doctrinam ex veris per falsa collapsam; "urbs" est doctrina: "et palatium juxta morem suum habitabitur" significat intellectum spiritualem veritatum, sicut apud antiquos; "palatium" est intellectus veritatum spiritualium, nam in intellectu sunt veritates spirituales in suis formis, quae apparent, cum ita sistuntur videndae, sicut palatia: "erunt filii ejus sicut olim, et

congregatio ejus coram Me constabit," significat quod vera ecclesiae futura sicut apud antiquos, et quod formae eorum in sarta conjunctione, sicut apud illos mansurae sint; "filii" ibi sunt vera, et "congregatio" est conjunctio eorum et dispositio in formas, qualis est apud hominem ecclesiae in intellectu, unde ei intelligentia; "secundum morem" et "[sicut] olim" est sicut apud antiquos. In *Threnis*,

> **"Oculus meus descendit aquis, quia procul est a me consiliarius recreans animam meam; facti sunt filii mei devastati, eo quod invaluerit hostis" (i. 16):**

luctus propter quod devastata sit ecclesia, intelligitur per quod "oculus meus descendat aquis;" devastatio ejus quoad vera significatur per quod "filii facti sint devastati:" quod id per falsa mali, significatur per quod "invaluerit hostis;" "hostis" est falsum mali, ac infernum unde illud.

[**d.**] Apud *Esaiam*,

> **"Excitare, excitare, surge Hierosolyma, quae bibisti e manu Jehovae calicem irae ejus, faeces calicis trepidationis..exsuxisti; non qui ducit eam de omnibus filiis quos peperit, nec qui apprehendit manum ejus de omnibus filiis quos educavit;....filii tui defecerunt, jacuerunt in capite omnium platearum" (li. 17, 18, [1]20):**

restauratio ecclesiae quae in mere falsa mali lapsa est, significatur per "Excitare, excitare, surge Hierosolyma, quae bibisti e manu Jehovae calicem irae ejus, faeces calicis trepidationis exsuxisti;" "Hierosolyma" est ecclesia quoad doctrinam; "excitare" et "surgere" est restauratio ejus, "bibere calicem irae" est falsum, "faeces calicis" sunt mere falsa ex quibus mala, illa attrahere significatur per "bibere" et "exsugere:" "non qui ducit eam de omnibus filiis quos peperit, nec qui apprehendit manum de omnibus filiis quos educavit," significat quod nulla vera ex Verbo quae didicit et hausit a falsis illam abducat; "filii" ibi sunt vera: "filii tui defecerunt, jacuerunt in capite omnium platearum," significat quod vera dissipata sint per omnis generis falsa; quia "filii" sunt vera, per "deficere" significatur dissipari, et per "jacere in capite omnium platearum" significatur per falsa omnis generis, "plateae" enim "urbis" significant doctrinalia vera, hic doctrinalia falsa. Apud eundem,

> **"Ne timeto," Jacob,...."ab oriente adducam semen tuum, et ab occi-**

dente colligam te; dicam septentrioni, Da, et meridiei, Ne inhibe; adduc filios meos e longinquo, et filias meas ab extremitate terrae" (xliii. 5[, 6]):

haec non de Jacobi posteris, sed de gentibus, a quibus ecclesia formanda est, dicta sunt: per "Jacobum" [et] ejus semen intelliguntur qui ab illa ecclesia futuri sunt; quod formanda sit ab illis qui in falsis ex ignorantia sunt, et inde in obscuro quoad vera, significatur per "Ab occidente colligam te, et dicam septentrioni, Da;" et quod ab illis qui in bono amoris et in veris doctrinae ex claro sunt, non repellendi sint, sed acceptandi, significatur per "Ab oriente adducam semen tuum, et dicam meridiei, Ne inhibe;" "oriens" enim significat bonum amoris in claro, "meridies" verum doctrinae in claro, "occidens" bonum amoris in obscuro, et "septentrio" verum doctrinae in obscuro, quale est illis qui ex ignorantia veri in falsis sunt, et usque desiderant vera; haec enim significantur per illas plagas, quia in mundo spirituali omnes habitant distincte in plagis illis secundum lucem veri et affectionem boni. Per illa significentur similia cum his apud *Matthaeum*, quod "congregandi sint electi a quatuor ventis, a terminis caelorum usque ad terminos illorum" (xxiv. 31). Quod omnes qui in falsis ex ignorantia sunt, et tamen in desiderio veri, ad ecclesiam illam adducendi sint, significatur per "Adduc filios meos e longinquo, et filias ab extremitate terrae;" "filii" significant illos qui in veris, et "filiae" illos qui in affectione illorum, et inde quoque abstracte a personis significant vera et affectiones illorum; ac "longinquum" et "extremitas terrae" significant remotionem a luce veri, quia in falsis ex ignorantia, ex eo quod illis non fuerit Verbum, vel quia non intellectus sensus Verbi. Apud eundem,

"Festinabunt [1]filios tuos, destructores tui et devastatores tui ex te exibunt;....ecce tollam erga gentes manum meam, et erga populos attollam signum meum, ut adferant filios tuos in sinu, et filias tuas super humero apportent" (xlix. 17, 22):

etiam haec de instauratione novae ecclesiae a Domino; et per "filios" quos festinabunt et quos adferent in sinu, et per "filias" quas super humero apportabunt, intelliguntur omnes qui in veris et in affectione illorum sunt, et abstracte a personis ipsa vera et affectiones illorum apud

illos qui e nova ecclesia erunt; "destructores et devastatores" significant falsa mali; quod haec removenda sint, significatur per "ex te exibunt." Apud eundem,

"Mihi insulae confident, et naves Tharschisch in principio, ad adducendum filios tuos e longinquo, argentum eorum et aurum eorum cum illis" (lx. 9):

haec quoque de Ecclesia Gentium, et per "filios" qui adducentur, significantur qui recepturi sunt vera. (Reliqua videantur explicata supra, n. 50, 406[*c*], 514[*b*].) Apud *Hoscheam*,

"Non perdam Ephraimum;....post Jehovam ibunt, sicut leo rugiet, quia ille rugiet, et cum honore accedent filii a mari; cum honore advenient, sicut avis ex Aegypto, et sicut columba e terra Assyriae, et habitare faciam eos in domibus suis" (xi. 9–11):

per "filios e mari" significantur vera scientifica et vera rationalia; quare dicitur quod "advenient sicut avis ex Aegypto, et sicut columba e terra Assyriae;" per "Aegyptum" significatur naturale, et per "Assyriam" rationale, utrumque quoad vera. (Sed haec quoque explicata sunt supra, n. 275[*b*], 601[*a*], 654[*e*].) Apud *Davidem*,

"Audite hoc, omnes populi; aure percipite, omnes habitatores saeculi; tam filii hominis quam filii viri, una dives et egenus; os meum loquetur sapientias, et meditatio cordis mei intelligentias" (Ps. xlix. 2–4 [*B. A.* 1–3]):

per "filios hominis" significantur vera spiritualia quae a Domino per Verbum, quae sunt doctrinalia; et per "filios viri" significantur vera rationalia et naturalia, quae sunt ex intellectu, ita intellectus Verbi: per "divitem et egenum" significantur qui ex illis multa et qui ex illis pauca sapiunt. Apud eundem,

Jehovah "revertere, respice e caelis, et vide et visita vitem hanc, et surculum quem plantavit dextra tua, et super filium quem confortaveras Tibi;....sit manus tua pro viro dextrae tuae, pro filio hominis quem confortasti Tibi" (Ps. lxxx. 15, 16, 18 [*B. A.* 14, 15, 17]):

haec David de ecclesia et de se dixit, quod est sensus litterae, se enim intellexit per "surculum" et per "filium;" sed in sensu spirituali per "vitem" et per "surculum" quem plantavit Jehovah significatur ecclesia spiritualis repraesentata per filios Israelis; per "filium" super quem confortaverat Sibi, significatur verum doctrinae ex Verbo; per "virum dextrae" pro quo manus, et per "filium homi-

nis" super quem confortaverat Sibi, significatur verum Verbi in sensu naturali, qui est sensus litterae, et verum Verbi in sensu spirituali, qui est sensus internus. Apud *Ezechielem*,

> "Ecce profanaturus sum sanctuarium meum, magnificentiam roboris [1]mei, desiderium oculorum vestrorum, et indulgentiam animae vestrae; ac filii vestri et filiae vestrae, quos reliquistis, gladio cadent" (xxiv. 21, 25):

ita describitur devastatio omnis veri quod illis qui ab ecclesia; per "sanctuarium" quod profanabit, significatur Verbum ex quo ecclesia, hoc enim est ipsum Sanctuarium, quia est Divinum Verum; ex potentia ejus contra falsa et mala quae ab inferno, vocatur id "magnificentia roboris" Jehovae; ex intelligentia et vita caelesti inde, vocatur "desiderium oculorum vestrorum, et indulgentia animae vestrae:" quod omnia vera cum affectione illorum per falsa peritura sint, significatur per quod "filii vestri et filiae vestrae gladio cadent;" "filii" sunt vera, "filiae" affectiones veri, et "gladius" falsum destruens verum.

[*e.*] Apud *Mosen*,

> "Cum hereditatem daret Altissimus gentibus, cum separaret filios hominis, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israelis" (*Deutr.* xxxii. 8):

haec de Antiquis Ecclesiis, quae ante Israeliticam fuerunt, et de earum instauratione a Domino, dicta sunt; per "gentes" intelliguntur qui in bono amoris fuerunt, et per "filios hominis" qui in veris doctrinae ex illo bono; quod illis omnia vera et bona fuerint, significatur per "Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israelis;" quod "duodecim filii Israelis," seu "duodecim tribus," repraesentaverint et inde significaverint ecclesiam quoad omnia vera et bona, videatur supra (n. 39, 430, 657). Apud *Jeremiam*,

> "Pudor comedit laborem patrum nostrorum a pueritia nostra, pecora eorum et armenta eorum, filios eorum et filias eorum; jacemus in pudore nostro, et operit nos ignominia nostra" (iii. 24, 25);

et apud eundem,

> "Ecce Ego adducens super vos gentem e longinquo, domus Israelis, ...quae comedet messem tuam, et panem tuum, comedet filios tuos et filias tuas, comedet gregem tuum et armentum tuum, comedet vitem tuam et ficum tuam, depauperabit [urbes] munimentorum tuorum, quibus tu confidis, gladio" (v. [15,] 17):

per haec in sensu spirituali describitur devastatio omnium Ecclesiae apud Israelitas; per "gentem e longinquo" intelligitur falsum mali, quod est falsum sensualis hominis, vera destruens; per "messem," "panem," "filios," "filias," "gregem," "armentum," "vitem" et "ficum," quae gens illa comedet, significantur omnia ecclesiae; per "messem et panem" vera et bona ejus quoad nutritionem, per "filios et filias" vera et bona ejus quoad generationem, per "gregem et armentum" vera et bona spiritualia et naturalia, per "vitem et ficum" ecclesia spiritualis interna et externa ex illis. Apud *Ezechielem*,

> "Si tres viri, Noach, Daniel et Hiob....in medio ejus, vivus Ego,....si filios aut si filias eripuerint, illi soli eripientur, et terra fiet desolatio;....adducam gladium super terram,....et exscindam ex ea hominem et bestiam" (xiv. [14,] 16–18, 20):

per haec quoque describitur devastatio ecclesiae quoad omnia vera boni et bona veri, praeter apud illos qui per vera ex Verbo et per tentationes reformantur; hi significantur per "Noachum," "Danielem" et "Hiobum:" quod apud reliquos peritura sint omnia vera boni et bona veri, significatur per quod "non filios aut filias eriperent," sed quod "illi soli eriperentur:" devastatio ecclesiae per falsa significatur per quod "terra fiet desolatio," et per "Adducam gladium super terram;" "terra" est ecclesia, et "gladius" est falsum destruens verum: quod destruetur omne verum spirituale et naturale, et quod inde peritura omnis intelligentia et scientia veri, significatur per quod "exscindam ex ea hominem et bestiam." Apud eundem,

> "Patres comedent filios in medio tui, et filii comedent patres suos; faciam in te judicia, et dispergam omnes reliquias tuas in omnem ventum" (v. 10);

apud *Mosen*,

> Quod ederent carnem filiorum et filiarum, inter maledictiones (*Levit.* xxvi. 29):

per quod "patres comedent filios, et filii patres," significatur quod mala destructura sint vera, et quod falsa bona; "patres" sunt mala et bona, ac "filii" sunt falsa et vera; et quia sic omne vitae spiritualis apud hominem perit, dicitur quod "facturus judicia, et dispersurus reliquias in omnem ventum;" "reliquiae" sunt vera et bona apud

hominem ab infantia et pueritia a Domino recondita. Etiam legitur quod "traduxerint filios suos idolis ad devorandum," "inque cibum," et "per ignem," in sequentibus:— Apud *Ezechielem*,

"Tu sumpsisti filios tuos [et filias tuas], quos peperisti Mihi, et sacrificasti..iis ad devorandum: num hoc parum de scortationibus tuis? Mactasti..filios meos, et tradidisti eos, dum transire fecisti eis illos: ....filia matris tuae,....et soror tu sororum,..fastidiverunt maritos suos et filios suos" (xvi. 20, [1]21, 45):

haec de abominationibus Hierosolymae: ac per "sacrificare filios et filias idolis ad devorandum" significatur destruere et consumere omnia vera et bona ecclesiae; similiter vera ex Verbo, per "mactare filios," et "transire facere eis illos;" quod destruxerint vera et bona Verbi per falsificationes et adulterationes, significatur per "scortationes" ibi et alibi in eo capite. Apud eundem,

"Polluam illos cum donis illorum, eo quod traduxerint omnem aperturam uteri, ut devastem illos:....quare offertis dona.., cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluti per omnia idola vestra" (xx. 26, 31):

destruere vera per mala amoris sui, et per cupiditates ex proprio, significatur per "traducere filios per ignem;" ac per falsa, significatur per "pollui idolis." (Quod "idola" significent falsa doctrinae et cultus quae ex propria intelligentia, videatur supra, n. 587.) Apud eundem,

Ohola et Oholiba "scortatae sunt, et sanguis in manibus illarum, et cum idolis suis scortatae sunt; etiamque filios suos, quos genuerunt Mihi, traduxerunt illis in cibum" (xxiii. 37):

per "Oholam" et "Oholibam" intelliguntur Samaria et Hierosolyma, et per "Samariam" intelligitur ecclesia spiritualis, ac per "Hierosolymam" ecclesia caelestis, utraque quoad doctrinam; falsificationes et adulterationes Verbi significantur per quod "scortatae sint," et quod "sanguis in manibus illarum;" falsa inde ex propria intelligentia significantur per quod "cum idolis suis scortatae sint;" inde patet quid significatur per quod "filios suos idolis traduxerint in cibum," nempe quod vera ex Verbo destruxerint per falsa. Quoniam "filii" significant vera, ideo

"Semina quae ceciderunt in bonam terram" vocantur a Domino "Filii regni;" ac "zizania" quae sunt falsa, "Filii mali" (*Matth.* xiii.[2]38);
Tum qui in veris sunt, vocantur "Filii lucis" (*Joh.* xii. 36);
Qui in conjugio veri et boni a Domino, "Filii nuptiarum" (*Marc.* ii.[3]19);
Et qui regenerati sunt, "Filii Dei" (*Joh.* i. 11–13).

Quia per "lapides" in Verbo significantur vera, dixit Johannes Baptista

"Quod Deus possit ex lapidibus his suscitare filios Abrahamo" (*Luc.* iii. 8).

(Quod per "lapides" significentur vera, super quibus fundantur vera interiora, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 643, 1298, 3720, 6426, 8609, 10376.) Sicut per "filios" significantur vera, ita etiam per illos in opposito sensu significantur falsa, ut in quibusdam locis supra allatis; [tum quoque in hoc] apud *Esaiam*,

"Parate filiis ejus mactationem ob iniquitatem patrum eorum, ut non resurgant et possideant terram, et impleantur facies terrae urbibus: surgam contra eos,...et exscindam Babeli nomen et residuum, et filium et nepotem,...et ponam eam in hereditatem anatariae, et in stagna aquarum, et everram eam scopis perdendo" (xiv. 21–23):

haec de Babele, per quam significatur adulteratio Verbi et profanatio; hic agitur de totali vastatione veri apud illos qui per "Babelem" intelliguntur; quod prorsus destructa sint vera apud illos per adulterationem Verbi, significatur per "Parate filiis ejus mactationem, ut non resurgant et possideant terram, et impleantur facies terrae urbibus;" per "terram" intelligitur ecclesia in qua vera, et per "urbes" intelliguntur doctrinalia ex meris falsis; quod peritura sint omnia vera a primis ad ultima, significatur per quod "exscindetur Babeli nomen et residuum, filius et nepos;" quod prorsus nihil veri remansurum sit, significatur per "Everretur scopis perdendo." Sciendum est quod per "filios" in locis supra allatis significentur illi qui in veris aut qui in falsis sunt; at quia sensus spiritualis Verbi non aliquid commune habet cum personis, ideo in eo sensu per "filios" significantur vera aut falsa abstracte ab idea personae; quod sensus spiritualis talis sit, est quia idea personae finit cogitationem et ejus extensionem in caelum quaquaversum; omnis enim cogitatio, quae ex affectione veri procedit, vadit per caelum undequaque, nec terminatur nisi sicut lux in umbram; at cum cogitatur simul persona, tunc terminatur idea ubi persona est, et cum illa etiam intelligentia: haec causa est quod per "filios" in sensu spirituali significentur vera aut falsa abstracte.

725[*a*]. Quod "filius masculus" significet doctrinam veri pro ecclesia quae Nova Hierosolyma vocatur, est quia per "filium" significatur verum (ut nunc supra ostensum est), et per "filium masculum" significatur verum doctrinae ex

Verbo, proinde doctrina genuini veri quae pro ecclesia; quod sit doctrina pro ecclesia quae Nova Hierosolyma vocatur, est quia per "mulierem quae peperit filium masculum" intelligitur illa ecclesia (ut quoque supra ostensum est). Doctrina veri quae pro ecclesia, etiam per "masculum" significatur in sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

"Creavit Deus hominem in imaginem Ipsius, in imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit illos" (*Gen.* i. 27);

"Masculum et feminam creavit illos, et benedixit illis, et vocavit nomen illorum Homo, die quo creati sunt" (*Gen.* v. 2):

quid illa, quae in primis capitibus *Geneseos*, de creatione caeli et terrae, de paradiso, de esu ex arbore scientiae memorantur, involvunt, nemo scire potest nisi ex sensu spirituali, sunt enim historica illa historica facta, sed usque sancta, quia singula intus ac in sinu spiritualia sunt. Describitur per illa instauratio Ecclesiae Antiquissimae, quae fuit omnium praestantissima in hac tellure; ejus instauratio per "creationem caeli et terrae," ejus intelligentia et sapientia per "hortum in Edene," et ejus decrescentia et lapsus per "esum ex arbore scientiae." Inde patet quod per "Hominem," qui vocatus est "Adam et Chavah," intelligatur illa ecclesia; nam dicitur, "Masculum et feminam creavit illos, et vocavit nomen illorum Homo:" et quia ecclesia illa per utrumque intelligitur, sequitur quod per "masculum" intelligatur verum ejus et per "feminam" bonum ejus; ita quoque per "masculum" doctrina, et per "feminam" vita; quoniam doctrina veri est quoque doctrina amoris et charitatis, ita doctrina vitae, et vita boni est quoque vita amoris et charitatis, ita vita doctrinae, hoc est, vita secundum doctrinam. Haec duo intelliguntur per "masculum [et feminam]," et simul sumpti ac conjugio conjuncti vocantur "Homo," et quoque faciunt ecclesiam, quae per "Hominem" (ut supra dictum est) intelligitur. Ideo quoque Adam dictus est ab *humo;* et "humus," ex receptione seminum, significat ecclesiam quoad vera doctrinae, "semina" enim in Verbo significant vera; et Chavah dicta est a *vita,*

"Quia futura est mater omnis viventis" (ut dicitur, *Gen.* iii. 20).

Quod illae duae, nempe doctrina et vita, simul sumptae, et conjugio quasi conjunctae, dicantur "Homo," et quoque

faciant ecclesiam, est quia homo est homo ex intellectu veri et ex voluntate boni; proinde ex doctrina vitae quia haec intellectus est, et ex vita doctrinae quia haec voluntatis est: simile est cum ecclesia; est enim ecclesia in homine, et est ipse homo. Quod illa duo, quae significantur per "masculum et feminam," non erunt duo, sed unum, docet Dominus apud *Evangelistas*,

> "Jesus dixit, Nonne legistis quod is qui fecit ab initio creationis, masculum et feminam fecerit illos,....et erunt duo in carnem unam? Quare non amplius sunt duo sed una caro" (*Matth.* xix. 4-6; *Marc.* x. 6[, 8]):

haec quoque, prout singula Verbi, non solum naturaliter sed etiam spiritualiter intelligenda sunt; et si non etiam spiritualiter, nemo scit quid significat quod "masculus et femina," seu maritus et uxor, "non amplius sint duo, sed una caro" (ut quoque dicitur *Gen.* ii. 24): per "masculum et feminam" in spirituali sensu significatur hic, ut supra, verum et bonum; proinde etiam doctrina veri, quae est doctrina vitae, et vita veri, quae est vita doctrinae; haec non duo erunt sed unum, quoniam verum non fit verum apud hominem absque bono vitae, nec bonum fit bonum apud aliquem absque vero doctrinae; nam bonum non fit bonum spirituale nisi per vera, ac bonum spirituale est bonum, non autem bonum naturale absque illo: quando illa unum sunt, tunc verum est boni, et bonum est veri; hoc unum intelligitur per "unam carnem:" simile est cum doctrina et vita; hae quoque faciunt unum hominem ecclesiae quando doctrina vitae ac vita doctrinae apud illum conjunctae sunt; doctrina enim docet quomodo vivendum et faciendum, ac vita vivit illud et facit illud. Ex his quoque constare potest quod per "filium masculum" significetur doctrina amoris et charitatis, proinde doctrina vitae.

[*b*.] Quoniam verum doctrinae seu doctrina veri significatur per "masculum," ideo lex lata est

> Quod omnis masculus aperiens uterum, sanctum Jehovae esset (*Exod.* xiii. 12, 15; *Deutr.* xv. 19; *Luc.* ii. 23);

ex conjugio enim veri et boni, quod in sensu spirituali intelligitur per conjugium viri et mulieris, ut supra dictum est, nascuntur vera et bona, quae inde in eo sensu significantur per "filios et filias," vera per "filios" et bona per

"filias;" et quia omnis homo reformatur et regeneratur per vera, nam absque veris homo non scit quid et quale bonum est, ita non scit viam ad caelum, inde est quod verum, primo natum ex conjugio veri et boni, sanctificatum sit Jehovae; verum primo natum est quoque doctrina veri, nam id quod primum est, in sequentibus est omne, ita est omne verum, et omne verum est doctrina. At probe sciendum est quod per "primogenitum" significetur verum quod est boni charitatis, proinde bonum charitatis in sua forma et in suo quali, ita verum; nam forma boni et quale boni est verum: quod id per "primogenitum" significetur, est quia ex bono amoris, quod per "uterum" et "infantem" ibi significatur, non aliud potest nasci quam bonum charitatis; et hoc bonum non fit bonum nisi dum formatum et qualificatum est, ita nisi sit in forma, in qua suum quale habet; et forma ejus vocatur verum, sed usque est bonum in forma. Ex supradictis etiam constare potest quare mandatum est

> **Quod omnis masculus compareret tribus vicibus in anno ante faciem Domini Jehovae (*Exod.* xxiii. [1]17; cap. xxxiv. 23: *Deutr.* xvi. 16);**

nempe in tribus festis, per quae significabatur omne regenerationis a primo ejus ad ultimum; et quia omne regenerationis fit per vera doctrinae facta vitae a Domino, ideo "omnes masculi," per quos significabantur vera, se sisterent Domino, ut ab Ipso lustrentur et dein ducantur: per "tres vices in anno" etiam significatur jugiter, et per "faciem Jehovae" Divinus Amor, ex quo homo ducitur: etiam id factum est quia per "Hierosolymam" significabatur ecclesia quoad doctrinam, et inde quoque doctrina ecclesiae. Quoniam "holocausta et sacrificia" significabant caelestia et spiritualia, "holocausta" caelestia, et "sacrificia" spiritualia, ideo lex lata erat,

> **Ut holocausta fierent ex masculis integris, vel ex grege vel ex armento: at sacrificia vel ex masculis vel ex femellis (*Levit.* i. 2, 3; cap. iii. 1, 6):**

causae erant quia caelestia sunt quae amoris in Dominum, ita conjugii boni et veri; at spiritualia sunt quae charitatis erga proximum, ita non conjugii, sed consanguinitatis veri cum bono; in consanguinitate sunt vera et bona sicut sorores et fratres, in conjugio autem sunt vera et bona

sicut maritus et uxor; inde erat, quod holocausta essent "ex masculis integris," per quos significantur genuina vera ex Verbo, aut ex doctrina e Verbo, quae conjuncta erant bono amoris in Dominum, quod bonum per "altare" et ejus "ignem" significabatur: quod sacrificia fierent vel "ex masculis vel ex femellis," erat quia per "masculos" significabantur vera et per "femellas" bona, at non conjugio sed consanguinitate conjuncta; et quia utraque, sicut fratres et sorores, ex uno parente sunt, placuit cultus ex veris aeque ac ex bonis, hoc est, ex masculis aeque ac ex femellis. Quia omnis nutritio spiritualis fit ex veris quae a bono, ideo etiam lex lata est

> Quod masculus inter sacerdotes ederet sancta (*Levit.* vi. 11, 22 [*B. A.* 18, 29]; cap. vii. 6):

hoc statutum fuit quia per "masculos" significantur vera doctrinae, quae sunt doctrinalia (ut supra), et per "sacerdotes" bona amoris, quae sunt bona vitae, ac per "comessationes ex sanctis," quae erant Aharoni et filiis ejus, significabatur nutritio spiritualis. Apud *Mosen*,

> Cum accederent "ad urbem ad oppugnandum illam, invitabis eam ad pacem;" si non acceptat, "percuties omnem masculum ejus ore gladii, at mulieres, infantes, bestias et...praedam assumes" (*Deutr.* xx. 10–14):

causa quod omnis masculus in urbe, quae non acceptabat pacem, percuteretur ore gladii, non autem mulieres, infantes et bestiae, erat quia per "urbem" significatur doctrina, et per "urbem gentium in terra Canaane" doctrina falsi, similiter per "masculos" illius urbis; et per "non acceptare pacem" significatur non concordare cum veris et bonis ecclesiae, quae per "filios Israelis" significabantur: per "os gladii," quo percuterentur masculi, significatur verum destruens falsum: et quia falsa unice pugnant contra vera et bona, et ea destruunt, non autem mala absque falsis, ideo "mulieres," "infantes" et "bestiae," per quae apud gentes significabantur mala, non percutiebantur; mala enim per vera possunt domari, emendari, et reformari. Apud *Jeremiam*,

> "Maledictus vir qui evangelizavit patri suo, dicendo, Natus est tibi filius masculus; laetificando laetificavit eum: sit vir hic sicut urbes quas evertit Jehovah" (xx. 15, 16):

haec de illis qui in ecclesia devastata sunt, in qua non nisi quam falsa regnant et acceptantur; inde per "Maledictus vir qui evangelizavit patri suo, dicendo, Natus est tibi masculus," significatur qui falsum agnoscit et declarat pro vero, ita doctrinam falsi pro doctrina veri: per "laetificando laetificavit" significatur acceptatio ex affectione falsi: "sit vir hic sicut urbes quas evertit Jehovah" significat quod sit sicut cum doctrinis quae ex meris falsis sunt, quas Dominus ab ecclesia exterminavit, et sicut urbes in gente Canaane destruxit; comparatio fit cum urbibus, quia "urbes" etiam significant doctrinas. Apud *Ezechielem*,

> "Accepisti vasa ornatus tui ex auro meo, et ex argento meo, quod dederam tibi, et fecisti tibi imagines masculi, cum quibus scortareris" (xvi. 17):

haec de "abominationibus Hierosolymae," per quas significantur falsificationes et adulterationes Verbi, quae factae per applicationes ad cupiditates amorum corporeorum et terrestrium: "vasa ornatus ex auro et ex argento Domini" significant cognitiones boni et veri, quae sunt bona et vera sensus litterae Verbi; illa dicuntur "vasa" quia in se continent vera et bona spiritualia, et "vasa ornatus" quia sunt apparentiae et sic formae interiorum; illa quae "ex auro" significant quae ex bono, et "ex argento" quae ex vero: "fecisti tibi imagines masculi, cum quibus scortareris," significat falsa apparentia sicut vera doctrinae, quae falsificata; "imagines masculi" sunt apparentiae veri, et tamen falsa, et "scortari" est falsificare. Apud *Malachiam*,

> "Maledictus defraudans cujus in grege masculus, ac vovens et sacrificans corruptum Domino" (i. 14):

per "masculum in grege" significatur genuinum verum doctrinae ex Verbo; per "corruptum" significatur falsificatum; ac per "vovere et sacrificare" significatur colere, ita ex falsificatis, quando scitur verum: quod cultus ille, quia fraudulentus, infernalis sit, significatur per "maledictus defraudans." Ex his et illis, quae de significatione "masculi" et de significatione "filii" ex Verbo ostensa sunt, constare potest quod per "filium masculum," quem "peperit mulier circumdata sole, et super cujus capite corona stellarum duodecim," significetur doctrina veri; ita

doctrina amoris et charitatis pro ecclesia quae vocatur Nova Hierosolyma (de qua in cap. xxi. hujus Libri).

726. ***"Qui futurus pascere omnes gentes virga ferrea."***— Quod significet *quae potentia veri naturalis ex spirituali convincet et arguet illos qui in falsis et malis sunt, et tamen in ecclesia ubi Verbum*, constat ex significatione "pascere," quod sit docere (de qua supra, n. 482); hic autem convincere et arguere, quia dicitur quod "pasturus sit virga ferrea;" ex significatione "omnium gentium," quod sint qui in falsis et malis sunt (de qua etiam supra, n. 175, 331[b], 625); et ex significatione "virgae ferreae," quod sit potentia veri naturalis ex spirituali; per "virgam" enim seu "baculum" significatur potentia, et praedicatur de Divino Vero spirituali, et per "ferrum" verum in naturali homine: quod sit potentia veri naturalis hominis ex spirituali, quae significatur per "virgam ferream," est quia omnis potentia quae est veris in naturali homine, est ex influxu veri et boni e spirituali homine; hoc est, ex influxu Divini Veri a Domino per spiritualem hominem in naturalem; soli enim Domino est potentia, et Ipse illam exercet per Divinum Verum quod procedit ab Ipso. Sed ut haec clarius percipiantur, ostendendum est,

(i.) *Quod Domino sit infinita potentia.*
(ii.) *Quod illa sit Domino ex Se per Divinum suum Verum.*
(iii.) *Quod omnis potentia simul sit in ultimis, et quod inde infinita potentia sit Domino ex primis per ultima.*
(iv.) *Quod angeli et homines, quantum receptiones sint Divini Veri a Domino, tantum potentiae sint.*
(v.) *Quod potentia resideat in veris naturalis hominis, quantum is recipit influxum a Domino per spiritualem hominem.*
(vi.) *Quod vera naturalis hominis nihil potentiae habeant absque illo influxu.*

(i.) *Quod Domino sit infinita potentia*, constare potest ex eo, quod sit Deus caeli et Deus terrae; quod creaverit universum, tot innumerabilibus stellis, quae sunt soles, plenum; ac tot in illo mundos, et in mundis tellures, qui mundi et in illis tellures plura centena millia numero excedunt; et quod eadem, quia illa creavit, solus conservet et continue sustineat. Tum quod sicut mundos naturales, ita

quoque mundos spirituales supra illos creaverit, et hos perpetuo impleat angelis et spiritibus, ad numerum myriadum et myriadum: et quod sub illis abdiderit inferna, tot quoque numero quot caeli sunt: et quod omnibus et singulis qui in mundis Naturae, et in mundis supra Naturam sunt, solus det vitam; et quia solus dat vitam, quod nullus angelus, spiritus et homo movere possit manum et pedem nisi ab Ipso. Qualis infinita Domino potentia sit, imprimis patet ex eo, quod omnes qui ex tot terris in mundos spirituales veniunt, qui sunt aliquot myriades ex sola nostra tellure quavis septimana, et consequenter tot myriades ex tot millenis telluribus in universo, solus recipiat, et per millia Divinae Sapientiae arcana ducat, quemque ad locum suae vitae; fideles ad sua loca in caelis, ac infideles ad sua loca in infernis: et utrobivis omnium cogitationes, intentiones, et voluntates singulariter sicut universaliter regat; ac faciat ut omnes et singuli in caelis sua felicitate gaudeant; ac ut omnes et singuli in infernis in suis vinculis sint, usque adeo ut ne quidem unus ex illis hiscat levare manum, minus exsurgere, et alicui angelo damnum inferre: et quod omnes ita in ordine, et in vinculis, teneantur, utcunque multiplicantur caeli et inferna in aeternum. Haec et plura, quae propter copiam enumerari non possunt, non dari possunt nisi infinita Domino potentia sit. Quod Dominus solus regat omnia, docet Ipse apud *Matthaeum*,

> "Data est Mihi omnis potestas in caelo et in terra" (xxviii. 18):

et

> Quod Ipse sit vita (*Joh.* v. 26; cap. xi. 25, 26; cap. xiv. 6).

(ii.) *Quod infinita potentia sit Domino ex Se per Divinum suum Verum*, est quia Divinum Verum est Divinum procedens; et ex Divino quod procedit ex Domino, omnia quae supra de infinita potentia Domini dicta sunt, fiunt. Divinum Verum in se spectatum est Divina Sapientia, quae se quaquaversum extendit, sicut lux et calor in nostro mundo a sole; apparet enim Dominus in mundo spirituali, ubi sunt angeli et spiritus, ut Sol, ex Divino Amore; omne quod procedit ex illo Sole [1] vocatur Divinum Verum; et quod procedit hoc producit; quod procedit hoc quoque est Ipse, quia ex Ipso; quare Dominus in caelis est Divinum Verum. Ut tamen sciatur quod Domino sit infinita potentia per

Divinum Verum, aliquid dicetur de ejus essentia et existentia: hoc ex naturali homine et ejus lumine non comprehendi potest, nisi quam per talia quae procedunt ex sole mundi, ex quibus et per quae est illi omnis potentia in suo mundo, et in telluribus quae sub luce et calore ejus sunt. Ex sole mundi, ut ex suo fonte, exiverunt aurae et atmosphaerae, quae aetheres et aeres vocantur; unde proxime circum illum est purus aether, et remotius ab illo aetheres minus puri, et tandem aeres, sed hi et illi circum tellures. Illi aetheres et aeres volumatim actae dant calorem, at singillatim modificatae dant lucem; per haec exercet sol ille omnem suam potentiam, et producit omnem suum effectum extra se, ita per aetheres et per aeres medio calore et simul media luce. Ex his potest aliqua idea formari de infinita potentia Domini per Divinum Verum. Ex Ipso ut Sole emanaverunt similiter aurae et atmosphaerae, sed spirituales, quia ex Divino Amore, qui facit illum Solem: quod tales atmosphaerae in mundo spirituali sint, constare potest ex respiratione angelorum et spirituum. Aurae et atmosphaerae illae spirituales quae proximae Domino ut Soli sunt, purissimae sunt; at per gradus remotae sunt per gradus minus et minus purae: inde est quod tres caeli sint, intimum caelum in aura puriore, medium caelum in aura minus pura, et ultimum caelum in aura adhuc minus pura. Illae aurae seu atmosphaerae, quae spirituales sunt, quia ex Domino ut Sole exstiterunt, communiter actae sistunt calorem, et singillatim modificatae sistunt lucem; ille calor qui in sua essentia est amor, et illa lux quae in sua essentia est sapientia, in specie vocantur Divinum Verum, ac illa simul cum auris, quae quoque spirituales sunt, vocantur Divinum procedens. Ex his nunc caeli creati sunt, et quoque mundi; nam ex spirituali mundo omnia quae in naturali mundo existunt, producta sunt, sicut effectus ex suis causis efficientibus. Ex his nunc sicut in speculo naturali spectari potest creatio caeli et terrae per Divinum Verum procedens a Domino ut Sole, qui supra caelos angelicos est: et quoque aliquantum comprehendi potest quod Domino infinita potentia sit per Divinum procedens, quod in genere vocatur Divinum Verum. Hoc quoque intelligitur per haec verba [apud *Johannem*],

> "In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;....omnia per Ipsum facta sunt, et sine Ipso factum est nihil quod factum est:....et mundus per Ipsum factus est" (i.1, 3, 10):

et apud *Davidem*,

> "Per Verbum Jehovae caeli facti sunt" (Ps. xxxiii. 6):

"Verbum" significat Divinum Verum.

(iii.) *Quod omnis potentia simul sit in ultimis, et quod inde infinita potentia Domino sit ex primis per ultima.* Quid per *ultima* intelligitur, primum dicetur. Prima sunt quae in Domino, et quae proxime [1]procedunt ab Ipso; ultima sunt quae remotissima ab Ipso, quae in Natura sunt, et ultima ibi: haec ultima dicuntur, quia spiritualia, quae sunt priora, in illa desinunt, et super illis ut super basibus suis subsistunt et requiescunt; quare sunt immota: haec inde vocantur ultima ordinis Divini. Quod in ultimis sit omnis potentia est quia priora sunt in illis simul, coexistunt enim ibi in ordine, qui vocatur ordo simultaneus; est enim nexus omnium ab Ipso Domino per illa quae caeli sunt et quae mundi usque ad illa ultima; et quia in ultimis priora, quae successive procedunt, simul sunt, ut dictum est, sequitur quod in ultimis a primis sit ipsa potentia; sed potentia Divina est potentia per Divinum procedens, quod vocatur Divinum Verum, ut in mox superiori articulo ostensum est. Ex eo est quod humanum genus sit quasi basis columnae, aut quasi fundamentum est palatio, pro caelis; consequenter quod caeli ordine subsistant super illis quae ecclesiae sunt apud homines in mundo; ita super Divinis veris in ultimis, quae sunt Divina vera qualia sunt Verbi in sensu ejus litterae. Quale illis robur inest, non paucis describi potest; in illa ultima apud hominem influit Dominus a Se, ita a primis, ac regit, et in ordine inque nexu continet omnia quae in spirituali mundo sunt. Quia nunc ipsa Divina potentia in ultimis illis residet, ideo Ipse Dominus in mundum venit, et Homo factus est, ut in ultimis simul esset ut est in primis, ob finem ut per ultima ex primis omnia in ordinem, quae inordinata facta sunt, redigere potuisset, nempe omnia in infernis et quoque in caelis: haec causa adventus Domini fuit; nam proxime ante adventum Domini non fuit aliquod Divinum Verum in ultimis apud homines in mundo, et prorsus non

in ecclesia, quae tunc fuit apud gentem Judaicam, nisi falsificatum et perversum, ac inde nec fuit aliqua basis caelis; quare nisi Dominus in mundum venisset, et sic Ipse ultimum assumpsisset, translati fuissent caeli, qui ex incolis hujus telluris fuerunt, [1]aliunde, et omne genus humanum in hac tellure periisset morte aeterna. At nunc est Dominus in suo pleno, et sic in sua omnipotentia in terris sicut est in caelis, quia est in ultimis et in primis: ita salvare potest Dominus omnes qui in veris Divinis ex Verbo sunt, et in vita secundum illa; nam apud hos in ultimis veris ex Verbo potest praesens esse et habitare, quoniam ultima vera etiam Ipsius sunt, et sunt Ipse quia ab Ipso, secundum Ipsius verba apud *Johannem*,

> "Qui habet praecepta mea, et facit illa, ille est qui amat Me,....et Pater meus [2]amabit illum, et ad illum veniemus, et mansionem apud illum faciemus" (xiv. 21, 23).

(iv.) *Quod angeli et homines, quantum receptiones Divini Veri a Domino sunt, tantum potentiae sint*, constare potest ex illis quae nunc supra dictum sunt, quod nempe Domino sit infinita potentia, et Ipsi soli potentia per Divinum suum Verum; et ex eo, quod angeli non sint nisi quam formae recipientes Divini Veri, similiter homines; inde est quod per "angelos" in Verbo significentur Divina vera, et quod dicantur "dii:" ex eo sequitur quod quantum et qualiter recipiunt Divinum Verum a Domino, tantum et taliter potentiae sint.

(v.) *Quod potentia resideat in veris naturalis hominis, quantum is recipit influxum a Domino per spiritualem hominem*, consequitur ex illis quae praecedunt, quod nempe omnis potentia sit Divinis veris in ultimis ex primis, ac naturalis homo est receptaculum ultimorum. Sed ad naturalem mentem hominis sunt binae viae, una e caelo, altera e mundo; via e caelo ducit per spiritualem mentem in rationalem et per hanc in naturalem; et via e mundo per sensualem, quae proxime exstat mundo et adhaeret corpori: inde constare potest, quod Dominus cum Divino Vero non influat in naturalem hominem nisi per spiritualem, et quantum naturalis homo inde recipit influxum, tantum ibi potentia sit. Per potentiam ibi intelligitur potentia contra inferna, quae est potentia resistendi malis et falsis, et removendi illa; quae quantum resistuntur et

removentur, tantum homo in potentiam angelicam venit, et quoque in intelligentiam, et fit "filius regni." (De Potentia Angelorum, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 228–233; et De Intelligentia et Sapientia illorum, n. 265–275.)

(vi.) *Quod vera naturalis hominis nihil potentiae habeant absque illo influxu*, sequitur ut consequens ex mox dictis: vera naturalis hominis absque influxu per spiritualem hominem, nihil Domini in se habent, inde quoque nihil vitae; et vera absque vita non sunt vera, immo interius spectata sunt falsa; ac falsis prorsus nihil potentiae est, quia opposita sunt veris, quibus omnis potentia. Haec nunc allata sunt, ut sciatur quid intelligitur per potentiam veri naturalis ex spirituali, quae significatur per "virgam ferream," qua filius masculus ex muliere natus "omnes gentes pasturus est."

727[*a*]. Quod "virga" et "baculus" significent potentiam, et quidem potentiam Divini Veri, est praecipue inde, quia termites aut rami ex arboribus erant, et illi significabant cognitiones veri et boni, quae sunt vera naturalis hominis; et quia etiam suffulciebant corpus, significabant potentiam: et adhuc magis "virga ferrea," quia "ferrum" similiter significat verum naturalis hominis, et ex duritie potentiam, cui non resisti potest. Quod "virgae" et "baculi" inde trahant significationem potentiae Divini Veri, est ex correspondentia; ex eo est usus baculorum in mundo spirituali, (ubi omnia, quae apparent, correspondentiae sunt,) repraesentativus illorum potentiae; similiter in Ecclesia Judaica, quae, sicut Antiquae Ecclesiae, fuit ecclesia repraesentativa; inde est, quod miracula et signa in Aegypto et dein in deserto, a Mose per extensionem baculi facta sint: ut

Quod aquae percussae baculo versae sint in sanguinem (*Exod.* vii. 1–21);
Quod ex fluminibus et stagnis, super quae extensus est baculus, ascenderint ranae (*Exod.* viii. 1, seq.);
Quod ex pulvere percusso baculo facti sint pediculi (*Exod.* viii. 12, seq.);
Quod extenso baculo ad caelum facta sint tonitrua et grando (*Exod.* ix. 23, seq.);
Quod prodierint locustae (*Exod.* x. 12, seq.);
Quod Mare Suph, extenso baculo super illud, divisum sit, et postea reversum (*Exod.* xiv. 16, 21, 26);
Quod ex petra in Chorebo baculo percussa exiverint aquae (*Exod.* xvii. 5, seq.; *Num.* xx. 7–13);
Quod Joschua praevaluerit contra Amalekum cum Moses sustulit manum cum baculo, et quod praevaluerit Amalek cum Moses dimisit eam (*Exod.* xvii. 9–12);

Similiter quod ignis exiverit e petra, et consumpserit carnem et azyma quae Guideon obtulit, cum Angelus Jehovae extremitate baculi tetigit illa (*Judic.* vi. 21).

Quod illa miracula facta sint per extensionem baculi, erat quia "baculus" ex correspondentia significabat potentiam Domini per Divinum Verum (de qua potentia in mox praecedente articulo actum est). Quod Divinum Verum quoad potentiam etiam alibi in Verbo per "virgas" et "baculos" significetur, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Davidem*,

"Etiam cum ambulavero in valle umbrosa.., non timebo mihi malum, ...virga tua et baculus tuus consolabuntur me; dispones ante me mensam coram inimicis meis; et pinguefacies oleo caput, poculum meum abundabit" (Ps. xxiii. 4, 5):

"ambulare in valle umbrosa" in sensu spirituali significat intellectum obscurum, cui non apparent vera ex luce: "virga tua et baculus tuus consolabuntur me," significat quod Divinum Verum spirituale una cum Divino Vero naturali tutaturum sit, quia illis potentia; "virga" est Divinum Verum spirituale, "baculus" Divinum Verum naturale, utrumque simul quoad potentiam tutandi, nam "consolari" est tutari: quia "virga et baculus" significant Divinum Verum quoad potentiam, ideo sequitur, "Dispones ante me mensam, pinguefacies oleo caput, et poculum meum abundabit," per quae significatur nutritio spiritualis per Divinum Verum; nam per "disponere mensam" significatur spiritualiter nutriri, per "pinguefacere oleo caput" significatur per bonum amoris, et per "poculum" significatur per verum doctrinae ex Verbo; "poculum" ibi pro "vino." Apud *Ezechielem*,

"Mater tua sicut vitis....juxta aquas plantata....unde fuerunt illi virgae roboris, in sceptra dominantium; sed extulit se statura ejus [super] inter implexos ramos:....quare eversa est in ira, in terram projecta est, et ventus orientalis arefecit fructum ejus; divulsae sunt, et exaruerunt virgae roboris ejus, ignis comedit unamquamvis: nunc plantata est in deserto, in terra ariditatis et sitis; exivit ignis e virga ramorum ejus, comedit fructum ejus, ut non sit in ea virga roboris, sceptrum [1]dominantium" (xix. 10–14):

describitur per haec desolatio omnis veri in Ecclesia Judaica; "principes," contra quos lamentum, significant vera, et "mater" quae facta leaena, significat ecclesiam; de hac et de illis haec dicta sunt; "mater tua sicut vitis juxta aquas plantata" significat quod ab instauratione fuerit ecclesia

spiritualis instructa veris; "mater" est ecclesia in genere, "vitis" est ecclesia spiritualis in specie, "aquae" sunt vera, "plantari" est instaurari: "unde fuerunt illi virgae roboris in sceptra dominantium" significat quod ei fuerit Divinum Verum in sua potentia, et inde illi dominium super falsa mali quae ab inferno: "virgae roboris" significant Divinum Verum quoad potentiam, et "sceptra" Divinum Verum quoad dominium, sceptra enim regum erant curti baculi ex arbore significativa, hic ex vite: "sed extulit se statura ejus super inter implexos ramos" significat fastum propriae intelligentiae ex scientificis naturalis hominis; fastus ille significatur per "extulit se statura ejus," et scientifica naturalis hominis significantur per "implexos ramos:" "eversa est in ira, in terram projecta," significat destructionem illius per falsa mali: "ventus orientalis arefecit fructum ejus" significat destructionem boni ejus; "ventus orientalis" significat destructionem, et "fructus" bonum; id bonum quod illis qui in falsis mali sunt, residuum est ex Verbo, intelligitur, cujus destructio significatur per "arefactionem fructus ex vento orientali:" "divulsae sunt et exaruerunt virgae roboris ejus" significat quod dissipatum sit omne Divinum Verum, unde ecclesiae illi nulla potentia contra inferna: "ignis comedit unamquamque" significat fastum ex amore sui, qui destruxit: "nunc plantata est in deserto, in terra ariditatis et sitis," significat quod desolata usque ut non sit aliquod bonum veri et verum boni: "exivit ignis e virga ramorum ejus" significat fastum in singulis ejus: "comedit fructum ejus" significat consumptionem boni: "ut non sit in ea virga roboris, sceptrum [1]dominantium," significat desolationem Divini Veri quoad potentiam et quoad dominium (ut supra). Apud *Jeremiam*,

> "Dicite quomodo fractus est baculus roboris, baculus decoris; descende de gloria, et sede in siti, habitatrix filia Dibonis: quia vastator Moabi ascendit contra te, et perdidit munimenta tua" (xlviii. 17, 18):

per "filiam Dibonis" significatur externum ecclesiae, et inde externum Verbi, quod est sensus litterae ejus; et "vastator Moabi" significat adulterationem ejus: inde patet quid significat quod "fractus sit baculus roboris, baculus decoris," nempe quod non illis Divinum Verum in sua potentia; "baculus roboris" est illud in naturali sensu, et "baculus decoris" est illud in spirituali: "descende de

gloria, et sede in siti, habitatrix filia Dibonis," significat deprivationem et defectum Divini Veri; "descendere de gloria" est deprivatio ejus, "gloria" est Divinum Verum in luce, et "sitis" est defectus ejus: "quia vastator Moabi ascendit contra te" significat adulterationem Verbi quoad sensum litteralem ejus: "et perdidit munimenta tua" significat ablationem tutelae; "munimentum" est tutela contra falsa et mala, et sensus litteralis Verbi est illa tutela. Apud *Davidem*,

> "Baculum roboris tui mittet Jehovah ex Zione" (Ps. cx. 2):

per "baculum roboris" etiam hic significatur Divinum Verum in sua potentia, et per "Zionem" ecclesia quae in amore in Dominum est, et inde vocatur ecclesia caelestis. Apud *Micham*,

> "Pasce populum tuum virga tua, gregem hereditatis tuae;....pascent Baschane et Gileade juxta dies saeculi" (vii. 14):

"pasce populum virga tua" significat instructionem illorum qui ab ecclesia in Divinis veris ex Verbo; "pascere" significet instruere, "populus" sunt qui ab ecclesia in veris, et "virga" ibi est Verbum, quia est Divinum Verum: per "gregem hereditatis" significantur illi ab ecclesia qui in spiritualibus Verbi sunt, quae sunt vera sensus interni ejus: "pascant Baschane et Gileade" significat instructionem in bonis ecclesiae et in veris ejus ex Verbi sensu naturali. Apud *Esaiam*,

> "Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum occidet impium" (xi. 4):

per "virgam oris Jehovae" etiam hic significatur Divinum Verum seu Verbum in sensu naturali, et per "spiritum labiorum Ipsius" significatur Divinum Verum seu Verbum in sensu spirituali, utrumque destruens falsa mali in ecclesia, quod significatur per "percutere terram," et "occidere impium." Simile significatur

> Per "percutere virga" (apud [1]*Micham*, cap. iv. 14 [*B. A.* v. 1]);
> Ac per "perforare baculis caput infidelium" (*Hab.* iii. 14).

Apud *Mosen*,

> "Cecinit Israel canticum" super fonte in Beer;...."Fons, foderunt principes, effoderunt primores populi, per Legislatorem, baculis suis" (*Num.* xxi. 17, 18):

per "fontem in Beer" hic significatur doctrina ex Verbo; *beer* etiam in lingua originali significat fontem: per "principes" qui foderunt, et per "primores populi" qui effoderunt, significantur intelligentes et sapientes ex Domino, qui ibi est "Legislator:" per "baculos," per quos foderunt et effoderunt, significatur intellectus in Divinis veris illustratus. Apud *Sachariam*,

"Adhuc habitabunt senes mares, et senes mulieres in plateis Hierosolymae, et vir cujus in manu scipio prae multitudine dierum" (viii. 4):

per "senes mares et senes mulieres" significantur intelligentes ex doctrina et ex affectione veri; per "virum cujus in manu scipio prae multitudine dierum" significantur sapientes qui nihil sibi sed soli Domino fidunt: quod hi in ecclesia, ubi doctrina genuini veri, significatur per "in plateis Hierosolymae;" "Hierosolyma" est ecclesia quoad doctrinam, et "plateae" sunt vera doctrinae, hic genuina vera. Apud *Jeremiam*,

"Stultus factus est omnis homo a scientia, pudore affectus est omnis conflator a sculptili;....non sicut illa pars Jacobi, sed Formator omnium Ille, et Israel baculus hereditatis Ipsius; Jehovah Zebaoth nomen Ipsius" (x. 14, 16; cap. li. 19):

"stultus factus est omnis homo a scientia" significat a scientificis naturalis hominis separati a spirituali; "pudore affectus est omnis conflator a sculptili" significat a falsis quae ex propria intelligentia; "sed Formator omnium Ille" significat Dominum a quo omnis intelligentia veri: "Israel baculus hereditatis Ipsius" significat ecclesiam in qua est Divinum Verum; et ejus potentia contra falsa; et quia hic de intelligentia per Divinum Verum agitur, additur, "Jehovah Zebaoth nomen Ipsius;" Dominus "Jehovah Zebaoth" vocatur ex Divinis veris in omni complexu, *zebaoth* enim significant exercitus, et "exercitus" omnia vera et bona ecclesiae et caeli.

[*b*.] Quando filii Israelis in deserto murmurabant contra Mosen et Aharonem propter Korachum, Dathanem et Abiramum, quod absorpti sint a terra, mandatum est

Quod principes duodecim tribuum ponerent baculos suos in Tentorio conventus coram Testimonio: quo facto baculus Aharonis floruit et produxit amygdalas (*Num*. xvii. 17-25 [*B. A*. 2-10]):

hoc factum est quia murmurarunt contra Jehovam, hoc

est, Dominum, et quidem contra Divinum Verum quod ab Ipso; Moses enim et Aharon repraesentabant Dominum quoad Legem, quae est Verbum; ideo mandatum est quod "principes duodecim tribuum ponerent baculos suos in Tentorio conventus coram Testimonio;" per "duodecim" enim "tribus," et in specie per "principes eorum" significabantur vera ecclesiae in omni complexu, similiter per "duodecim illorum baculos;" et per "Tentorium conventus" repraesentatum est et inde significatum caelum, unde vera ecclesiae; et per "Testimonium" Ipse Dominus: quod "baculus Aharonis" floruerit et produxerit amygdalas, erat quia ejus "baculus" repraesentabat et inde significabat verum ex bono amoris; et quia verum ex bono amoris unice producit fructum, qui est bonum charitatis, ideo "baculus ejus floruit et produxit amygdalas;" "amygdalae" significant id bonum, similiter "tribus Levi" (videatur supra, n. 444). Sciendum est quod *tribus* eadem voce qua *baculus* dicatur (ut *Num.* i. 16; cap. ii. 5, 7); inde per "duodecim baculos" similia quae per "duodecim tribus" significantur, nempe Divina vera ecclesiae in omni complexu. (De duodecim tribubus videatur supra, n. 39, 430[*a*], 431, 657.) Quoniam "baculus" significat potentiam Divini Veri, etiam significat potentiam resistendi falsis et malis:—Apud *Esaiam*,

"Ecce Dominus Jehovah Zebaoth removens ex Hierosolyma et ex Jehudah baculum et scipionem, omnem baculum panis, et omnem baculum aquae, fortem et virum belli, judicem et prophetam" (iii. 1, 2):

hic per "removere omnem baculum panis et omnem baculum aquae" significatur auferre omne bonum et verum ecclesiae; quibus ablatis non est amplius aliqua potentia resistendi malis et falsis, quin libere intrent; "panis" significat bonum ecclesiae, "aqua" verum ejus, et "baculus" illa quoad potentiam resistendi malis et falsis: inde sequitur, "fortis et vir belli, judex et propheta," qui etiam removebuntur; per "fortem et virum belli" significatur verum pugnans contra malum et falsum, et per "judicem et prophetam" doctrina boni et veri. Apud *Ezechielem*,

"Ecce Ego frangens baculum panis in Hierosolyma, ut comedant panem pondere et sollicitudine, et aquas in mensura et stupore bibant" (iv. 16):

per "frangere baculum panis" significatur quod deficiet

bonum et verum in ecclesia, nam "panis" hic utrumque significat; quare sequitur, "ut comedant panem in pondere et sollicitudine, et bibant aquas in mensura," per quae significatur defectus boni et veri, et inde potentiae resistendi malis et falsis. Similia significantur per

> **Frangere baculum panis et aquae (*Ezech.*, cap. v. 16; cap. xiv. 13: *Psalm.* cv. 16: *Levit.* xxvi. 26).**

Sicut "virga" et "baculus" significant potentiam Divini Veri, et inde Divinum Verum quoad potentiam, ideo "virga" et "baculus" in opposito sensu etiam significant potentiam falsi infernalis, et inde falsum infernale quoad potentiam; in hoc sensu dicuntur "virga" et "baculus" in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> **"Confregit Jehovah baculum impiorum, virgam dominantium" (xiv. 5):**

per "confringere baculum impiorum" significatur destruere potentiam falsi ex malo; et per "confringere virgam dominantium" significatur dominium falsi. Apud *Davidem*,

> **"Non incumbet baculus impietatis super sorte justorum, ut non mittant justi in perversitatem manus suas" (Ps. cxxv. 3):**

"baculus impietatis" significat potentiam falsi ex malo; "super sorte justorum" significat super veris ex bono, quae sunt apud fideles, in specie apud illos qui in amore in Dominum sunt, nam illi in Verbo dicuntur "justi;" "ne mittant justi in perversitatem manus suas" significat ne hi falsificent vera. In *Threnis*,

> **"Ego vir qui vidit miseriam per virgam furoris ejus, me duxit in tenebris, et non in lucem" (iii. 1, 2):**

haec dicta sunt de devastatione ecclesiae, et per "virgam furoris" significatur dominium falsi infernalis; "me duxit et deduxit in tenebris, et non in lucem," significat in meris falsis, et sic non ad vera. Apud *Esaiam*,

> **"Jugum oneris ejus, et baculum humeri ejus, virgam exigentis eum confregisti" (ix. 3 [*B. A.* 4]):**

haec de gentibus, quae in falsis fuerunt ex ignorantia, quia non illis fuit Verbum, et inde non notus Dominus; malum quo gravati sunt, et falsum quo infestati, significantur per "jugum oneris," per "baculum humeri," et per "virgam exigentis;" illa destruere significatur per "con-

fringere," confringere enim praedicatur de jugo, baculo et virga, at destruere de malo et falso, quae graviter incumbunt, et potenter persuadent, et ad obediendum compellunt. Apud eundem,

> "A voce Jehovae consternabitur Aschur, baculo percutietur: tunc erit omnis transitus virgae fundamenti, super quo faciet requiescere Jehovah, cum tympanis et citharis" (xxx. 31, 32):

aec de tempore ultimi judicii, quando etiam nova ecclesia: per "Aschurem," qui "a voce Jehovae consternabitur, et baculo percutietur," significatur ratiocinatio ex falsis, quae per Divinum Verum dissipabuntur: quod tunc vera sensus litteralis Verbi cum gaudio intellecturi et recepturi sint, significatur per quod "tunc erit transitus virgae fundamenti cum tympanis et citharis;" "transitus" significat patefactionem et liberam receptionem, ac "tympana et citharae" significant affectionis veri jucunda: quod vera sensus litteralis Verbi per "virgam fundamenti" intelligatur, est quia ille sensus est fundamentum veris sensus spiritualis ejus, et quia hic super illo requiescit, dicitur, "super quo faciet requiescere Jehovah." Apud *Sachariam*,

> "Dejicietur superbia Aschuris, et baculus Aegypti recedet" (x. 11):

per "superbiam Aschuris" significatur fastus propriae intelligentiae; et per "baculum Aegypti" significatur potentia ex confirmatione falsorum ejus per scientifica naturalis hominis. Apud *Esaiam*,

> "Vae Aschur, virga irae meae, et baculus, qui in manu eorum, indignationis meae;....ne time, popule.., habitator Zionis, ab Aschure, quod virga percutiat te, et baculum..tollat super te in via Aegypti" (x. 5, [1]24, 26):

per "Aschurem" etiam hic significantur ratiocinationes ex propria intelligentia, per quas pervertuntur et falsificantur vera; falsa inde, et perversiones veri, significantur per "virgam irae meae," et per "baculum indignationis meae qui in manu eorum:" quod non pervertentur vera apud illos qui ab ecclesia in caelesti amore sunt et inde veris, significatur per "Ne time, habitator Zionis:" quod falsum instet et excitet, ac per talia, quae sunt naturalis hominis, pervertere conetur, significatur per quod "virga percutiat te, et baculum tollat super te in via Aegypti;" "via Aegypti" significat scientifica naturalis hominis, ex quibus ratiocina-

tiones fiunt. Quoniam "Aegyptus" significat naturalem hominem cum illis quae in eo, et ille separatus a spirituali homine in meris falsis est, ideo

> Aegyptus vocatur baculus calami pertusi, qui intrat et perforat manum, quando quis super eo nititur ([1]*Ezech.* xxix. 6, 7; [2]*Esai.* xxxvi. 6);

quae supra (n. 627[*b*]) explicata sunt. Apud *Esaiam*,

> "Ne laeteris, Philisthaea.., quod fracta sit virga [3]percutientis te, nam e radice serpentis exibit basiliscus, cujus fructus prester volans" (xiv. 29):

quod per "Philisthaeam" significetur religio de fide separata a charitate, per "radicem serpentis" principium illud falsum, per "basiliscum" destructio boni et veri ecclesiae, et per "presterem volantem" ratiocinatio ex falsis mali, videatur supra (n. 386[*b*]); ita similia per hos "serpentes" significantur quae per "draconem" in hoc capite *Apocalypseos*: quod "Philisthaea non laetaretur quod fracta sit virga [3]percutientis illam," significat quod non gloriaretur quod dominium illius falsi nondum destructum sit. Apud *Hoscheam*,

> "Populus meus lignum..interrogat, et baculus ejus respondet illi, quia spiritus scortationum seduxit, et scortati sunt sub deo suo" (iv. 12):

haec de falsificatione Verbi; et per "interrogare lignum," seu idolum ex ligno, significatur consulere intelligentiam ex proprio quae favet amoribus ejus; per quod "baculus respondeat illi" significatur falsum cui fides habetur; nam cum proprium consulitur, respondet ei falsum; proprium est voluntatis, ita amoris, et falsum inde est intellectus, ita cogitationis: per "spiritum scortationum," qui seduxit, significatur cupiditas falsificandi; per "scortari sub deo suo" significatur falsificare vera Verbi. Ex his nunc constare potest quid significatur per "virgam" et per "baculum" in utroque sensu; inde nunc sciri potest quid significatur per "virgam ferream, qua filius masculus pasturus sit omnes gentes;" similiter per haec in *Apocalypsi*,

> "Ex ore" insidentis Equo albo "exit romphaea acuta, ut per illam percutiat gentes, et Ille pascet eas virga ferrea" (xix. [4]15):

tum quid per illa supra,

> "Qui vicerit,....dabo illi potestatem super gentes, ut regat eas virga ferrea, sicut vasa figulina conterentur" (ii. 26, 27),

quorum explicatio videatur supra (n. 176). Similia itaque significantur per haec apud *Davidem*,

"Conteres eos virga ferrea, sicut vas figuli disperges eos" (Ps. ii. 9).

728. ***"Et raptus est fetus ejus ad Deum et thronum Ipsius."***— Quod significet *tutationem doctrinae a Domino, quia pro Nova Ecclesia*, constat ex significatione "fetus" seu "filii masculi," quem "peperit mulier circumdata sole, sub cujus pedibus luna, et super cujus capite corona stellarum duodecim," quod sit doctrina ex Verbo, et quidem doctrina veri, id est, doctrina amoris in Dominum et charitatis erga proximum, et denique fidei; et ex significatione "rapi ad Deum et ad thronum Ipsius," quod sit tutatio a Domino pro "dracone," qui adstitit parienti, animo et cupiditate devorandi illum; illa tutatio a Domino pro illis qui per "draconem" intelliguntur, hic per illa verba significatur; et quia doctrina illa futura est doctrina ecclesiae, quae Nova Hierosolyma vocatur, ideo dicitur tutatio quia pro Nova Ecclesia: "raptus ad Deum et thronum Ipsius" dicitur; et per "Deum" intelligitur Dominus, et per "thronum Ipsius" caelum; quod ad Dominum et ad caelum, est quia doctrina illa est a Domino, et caelum in illa doctrina est. Similiter ut hic de "fetu a muliere genito," quod "raptus sit ad Deum," etiam dicitur de Chanocho Jaredis filio, sed his verbis,

"Ambulavit Chanoch cum Deo, et non amplius, quia sumpsit illum Deus" (*Gen.* v. 24):

quinam per "Chanochum" hunc intellecti sunt, et quid significatum est, mihi e caelo detectum est; nempe quod illi qui ex hominibus Antiquissimae Ecclesiae in unum collegerunt repraesentativa et correspondentias naturalium cum spiritualibus; homines enim Antiquissimae Ecclesiae fuerunt in spirituali intellectu et perceptione omnium quae viderunt oculis; et inde ex objectis in mundo perspexerunt spiritualia, quae objectis correspondebant; et quia Dominus praevidit quod spiritualis illa perceptio apud posteros illorum periret, et cum perceptione illa quoque cognitio correspondentiarum per quas generi humano est conjunctio cum caelo, ideo providit Dominus ut quidam qui apud antiquissimos vixerunt, in unum colligerent corresponden-

tias, ac in codicem conferrent; hi erant qui per "Chanochum" intelliguntur, et ille codex qui significatur: is codex, quia inserviturus erat ecclesiis venturis, quae post diluvium a Domino instaurandae erant, pro scientia et pro cognitione spiritualium in naturalibus, in usum illarum conservatus est a Domino, et quoque tutatus, ne ultima posteritas Antiquissimae Ecclesiae, quae mala fuit, illi codici damnum inferret: hoc itaque est quod in sensu spirituali significatur per quod "Chanoch non amplius, quia sumpsit illum Deus." Ex his constare potest quid significatur per quod "fetus mulieris raptus sit ad Deum et ad thronum Ipsius."

VERSUS 6.

729. ***"Et mulier fugit in desertum, ubi habet locum praeparatum a Deo, ut ibi alant eam diebus mille ducentis sexaginta."***

6. ***"Et mulier fugit in desertum,"*** significat *ecclesiam inter paucos, quia apud illos qui non in bono sunt et inde nec in veris* [n. 730]; ***"ubi habet locum praeparatum a Deo,"*** significat *statum ejus ut interea provideatur inter plures* [n. 731]; ***"ut ibi alant eam diebus mille ducentis sexaginta,"*** significat *usque dum crescit in plenum* [n. 732].

730[*a*]. [*Vers.* 6.] ***"Et mulier fugit in desertum."***—Quod significet *ecclesiam inter paucos, quia apud illos qui non in bono sunt et inde nec in veris*, constat ex significatione "mulieris," quod sit ecclesia (de qua supra, n. 707); et ex significatione "deserti," quod sit ubi non vera sunt quia non bonum (de qua sequitur); et ex significatione "fugere illuc," quod sit commorari apud illos qui non in veris sunt, quia non in bono; et quia in fine ecclesiae pauci sunt qui in veris ex bono sunt, significatur inter paucos. Ex his constare potest quid illa verba involvunt, nempe quod Nova Ecclesia, quae Sancta Hierosolyma vocatur, quae per "mulierem" significatur, non adhuc institui posset, nisi apud paucos, ex causa quia prior ecclesia desertum facta est; et ecclesia vocatur "desertum" cum non bonum amplius; et ubi non bonum est, ibi nec sunt vera; et cum ecclesia talis est, tunc regnant mala et falsa, quae obstant, quin doctrina ejus, quae est doctrina amoris in Dominum et charitatis erga proximum, cum veris suis recipiatur; et cum doctrina non recipitur, non ecclesia est, nam ecclesia est ex doctrina. Primum aliquid dicetur de eo, quod non

vera sint ubi non bonum: per bonum intelligitur bonum vitae secundum vera doctrinae ex Verbo; causa est, quia Dominus nusquam immediate influit in vera apud hominem, sed mediate per bonum ejus; bonum enim voluntatis ejus est, et voluntas est ipse homo; ex voluntate producitur et formatur intellectus, nam intellectus adjunctus est voluntati, ut quod voluntas amat intellectus videat, et quoque proferat in lucem; quare si voluntas non in bono est, sed in malo, tunc influxus veri a Domino in intellectum non conducit, nam dissipatur, quia non amatur, immo pervertitur, et verum falsificatur; ex eo patet cur Dominus non immediate influat in intellectum hominis, nisi quantum voluntas in bono est. Potest Dominus intellectum apud unumquemvis hominem illustrare, et sic cum Divinis veris influere, quoniam omni homini data est facultas intelligendi verum et hoc propter reformationem ejus; sed usque non influit, quoniam non manent vera, nisi quantum voluntas reformata est. Illustrare intellectum veris usque ad fidem, nisi quantum voluntas unum agit, etiam periculosum est; potest enim homo tunc vera pervertere, adulterare et profanare, quod damnosissimum est: praeterea vera quatenus sciuntur et intelliguntur, et non simul vivuntur, non sunt nisi quam vera inanimata; ac vera inanimata sunt quasi statuae quae absque vita. Ex his constare potest, unde est, quod non vera sint ubi non bonum, nisi quoad formam et non quoad essentiam. Quod talis sit homo ecclesiae in fine ejus, est quia tunc super omnia amat talia quae corporis et quae mundi sunt; et cum haec super omnia amantur, tunc illa quae Domini et quae caeli sunt, non amantur, nemo enim simul servire potest duobus dominis, quin unum amet, et alterum odio habeat; sunt enim opposita: ex amore enim corporis, qui est amor sui, et ex amore mundi, qui est amor divitiarum, quando super omnia amantur, profluunt omnia mala, et ex malis falsa, quae opposita sunt bonis et veris, quae ex amore in Dominum et ex amore erga proximum proveniunt: ex his paucis constare potest, unde est quod mulier dicatur "fugisse in desertum," hoc est, inter paucos, quia apud illos qui non in bono, et inde nec in veris sunt. In Verbo in plurimis locis dicitur "desertum," et quoque "solitudo" et "vastitas," et per illa significatur status ecclesiae, quando ibi non aliquod verum

amplius est quia non bonum: quod ille status ecclesiae "desertum" dicatur, est quia in mundo spirituali, ubi commorantur illi qui non in veris sunt quia non in bono, est sicut desertum, ubi non viride in campis, nec messis in agris, nec arbor fructus in hortis, sed terra sterilis, arida et sicca: praeterea per "desertum" in Verbo significatur status ecclesiae apud gentes, quae in ignorantia veri sunt, et usque in bono vitae secundum suum religiosum, ex quo desiderant vera: et quoque per "desertum" in Verbo significatur status illorum qui in tentationibus sunt, quia in his bona et vera interclusa sunt per mala et falsa quae emergunt, et animo obversantur. Quod illa et haec per "desertum" in Verbo significentur, constare potest ex locis ibi, ubi "desertum" dicitur.

[*b*.] Quod *primum* attinet, nempe quod per "desertum" intelligatur status ecclesiae quando ibi non aliquod verum amplius, quia non bonum, constat ex sequentibus:—Apud *Esaiam*,

"Num hic vir commovens terram, tremefaciens regna, posuit orbem in desertum, et urbes ejus destruxit?" (xiv. 16, 17:)

haec de Lucifero, per quem intelligitur Babel; et per "commovere terram, tremefacere regna, et ponere orbem in desertum," significatur destruere omnia ecclesiae vera et bona; "terra" est ecclesia, "regna" sunt vera ejus, "orbis" sunt bona ejus, ac "desertum" est quando illa non sunt: per "urbes ejus destruere" significantur doctrinalia; "urbs" significat doctrinam: adulteratio Verbi, per quam doctrina et inde ecclesia destruitur, hic significatur per "Babelem." Apud eundem,

"Super terra populi mei spina sentis ascendit, [1]quia super omnibus domibus laetitiae, urbe hilari; nam palatium erit desertum, multitudo urbis derelicta: clivus et specula erit super speluncis in aeternum, gaudium onagrorum, pascuum gregum" (xxxii. 13, 14):

"super terra populi mei spina sentis ascendit" significat falsum mali in ecclesia; "spina sentis" est falsum mali, "terra" est ecclesia: "super omnibus domibus laetitiae, urbe hilari," significat ubi bona et vera doctrinae ex Verbo cum affectione recepta sunt: quid autem significatur per quod "palatium erit desertum, multitudo urbis derelicta, clivus et specula super speluncis, gaudium onagrorum,

pascuum gregum," videatur supra (n. 410[*c*]), ubi explicata sunt. Apud eundem,

"Per increpationem meam exsicco mare, pono fluvios in desertum, putrescet piscis illorum, eo quod non sit aqua, et moriatur siti" (l. 2):

per "ponere fluvios in desertum" significatur intellectum deprivare veris, ita hominem intelligentia. (Reliqua videantur supra, n. 342[*c*], explicata.) Apud *Jeremiam*,

"Vidi cum ecce Carmel desertum, et omnes urbes desolatae sunt coram Jehovah,....vastitas erit tota terra" (iv. 26, 27):

per "Carmelem" significatur ecclesia spiritualis quae in veris ex bono est; quod illa "desertum," significat quod ibi non vera ex bono; per "urbes" quae "desolatae" significantur doctrinalia absque veris; per "totam terram" quae "vastitas" significatur ecclesia quod absque bono et inde absque veris. Apud eundem,

"Pastores multi perdiderunt vineam meam, conculcarunt agrum meum, redegerunt agrum desiderii mei in desertum solitudinis;....super omnes colles in deserto venerunt vastatores, quia gladius Jehovae devorans a fine terrae ad finem" ejus (xii. 10, 12):

quod vera et bona ecclesiae prorsus destructa sint per falsa ex malo, significatur per quod "perdiderint vineam, conculcaverint agrum, redegerint agrum desiderii in desertum solitudinis," et quod "super omnes colles in deserto venerint vastatores, quia gladius Jehovae devorans;" "vinea et ager" significant ecclesiam quoad verum et bonum, "ager desiderii" illam quoad doctrinam, "desertum solitudinis" significat ubi illa non; "vastatores in deserto" significant mala ex non veris, "gladius Jehovae devorans" significat falsum destruens, "a fine terrae ad finem terrae" significat omnia ecclesiae. In *Threnis*,

"Cum periculo animarum nostrarum adducimus panem nostrum propter gladium deserti" (v. 9):

"cum periculo animarum adducere panem" significat difficultatem et discrimen comparandi sibi vera vitae ex Verbo; "propter gladium deserti" significat propter falsum mali regnans in ecclesia, falsificans vera et sic destruens illa. Apud *Ezechielem*,

Vitis "nunc plantata est in deserto, in terra ariditatis et sitis" (xix. 13):

per "vitem" significatur ecclesia, quae in principio capitis vocatur "mater, quae facta leaena:" "plantata in deserto" dicitur cum in illa non amplius verum quia non bonum; "terra ariditatis" est non bonum sed loco ejus malum; et "terra sitis" est non verum sed loco ejus falsum. Apud *Hoscheam*,

> "Contendite cum matre vestra,....ut removeat scortationes suas a faciebus suis,....ne forte exuam eam nudam, et sistam eam secundum diem pari ejus, et ponam eam sicut desertum, et disponam eam sicut terram ariditatis, et occidam eam per sitim" (ii. 2, 3):

haec de ecclesia quae falsificavit vera Verbi; "mater" est ecclesia, et "scortationes" sunt falsificationes veri: deprivare illam omni vero sicut fuit antequam reformata, significatur per "exuere nudam," et "sistere illam secundum diem pari ejus:" ecclesia absque bono significatur per "desertum" et "terram ariditatis," et deprivatio veri per "occidere siti;" "sitis" dicitur de veris, quia "aqua" quae sititur est verum; et "ariditas" dicitur de carentia boni, quia ex adustione. Apud eundem,

> "Ille inter fratres ferox est, veniet eurus ventus Jehovae, a deserto ascendens, et exarescet scaturigo ejus, et exsiccabitur fons ejus" (xiii. 15):

haec de Ephraimo, per quem intelligitur intellectus Verbi; qui "inter fratres ferox" dicitur, quando falsa animose defendit, ac pro illis contra vera pugnat: per "eurum ventum Jehovae" significatur ardor cupiditatis ex amore et fastu destruendi vera; qui "ex deserto ascendere" dicitur, quando ex intellectu in quo non sunt vera ex bono sed falsa ex malo; talis intellectus est "desertum," quia inanis et vacuus: quod ex ardore et fastu illo destruatur omne doctrinae et omne Verbi, significatur per "Exarescet scaturigo ejus et exsiccabitur fons ejus;" "scaturigo" est doctrina, et "fons" est Verbum. Apud *Joelem*,

> "Ad Te, Jehovah, clamo; quia ignis comedit habitacula deserti, et flamma deflagravit omnes arbores agri; quia bestiae agri [1]glocitavit ad Te, quia exsiccati sunt rivi aquarum, et ignis comedit habitacula deserti" (i. 19, 20):

"ignis comedit habitacula deserti, et flamma deflagravit omnes arbores agri," significat quod amor sui et fastus propriae intelligentiae consumpserit omnem perceptionem boni et omnem intellectum veri doctrinae ex sensu litterae

Verbi; "ignis" significat amorem sui, et "flamma" fastum propriae intelligentiae, "habitacula deserti" significant bona doctrinae ex sensu litterae Verbi, et "arbores agri" cognitiones veri ejus; ille sensus vocatur "desertum" quando modo naturaliter, ita secundum apparentias, et non simul spiritualiter, ita secundum sensum genuinum, intelliguntur: "bestiae agri glocitant ad Te" significat lamentationes illorum qui naturales sunt, et usque desiderant vera; (quod "bestiae" significent affectiones naturalis hominis, videatur supra, n. 650:) "quia exsiccati sunt rivi aquarum, et ignis comedit habitacula deserti," significat quod non sint vera et bona vitae inde amplius. Apud eundem,

"Venit dies Jehovae;....ante eum comedit ignis, et post eum deflagrat flamma; sicut hortus Eden terra ante eum, sed post eum desertum vastitatis, neque ereptio facta illi" (ii. [1,] 3):

per "diem Jehovae" intelligitur finis ecclesiae, qui vocatur consummatio saeculi, et tunc adventus Domini; quod in fine ecclesiae amor sui et inde fastus propriae intelligentiae consumat omnia bona et vera ecclesiae, significatur per "Ante eum comedit ignis, et post eum deflagrat flamma;" "ignis" significat amorem sui, "flamma" fastum propriae intelligentiae (ut supra): "sicut hortus Eden terra ante eum, sed post eum desertum vastitatis," significat quod in principio, quando ecclesia illa apud antiquos instaurata fuit, intellectus veri ex bono fuerit, sed in fine, falsum ex malo; "hortus Eden" significat intellectum veri ex bono et inde sapientiam, et "desertum vastitatis" significat nullum intellectum veri ex bono, et inde insaniam ex falsis quae ex malo: "non ereptio facta illi" significat quod ne hilum veri ex bono. Apud *Esaiam*,

"Luget, languescit terra, erubuit Libanus, emarcuit, factus est Scharon sicut desertum, excussus est Baschan atque Carmel" (xxxiii. 9):

per haec quoque describitur devastatio boni et desolatio veri in ecclesia; per "Libanum" significatur ecclesia quoad rationalem intellectum boni et veri; per "Scharonem," "Baschanem" et "Carmelem," illa quoad cognitiones boni et veri ex Verbi sensu naturali; quarum devastatio et desolatio significatur per "lugere," "languescere," "emarcescere," et "fieri sicut desertum;" "desertum" est ubi non verum quia non bonum. Apud *Jeremiam*,

"Quia adulteris plena est terra, quia propter maledictionem luget terra, exaruerunt pascua deserti" (xxiii. 10):

per "terram adulteris plenam" significatur ecclesia, in qua bona et vera ejus ex Verbo adulterata sunt; per "maledictionem," propter quam luget terra, significatur omne malum vitae et falsum doctrinae; et per "pascua deserti," quae exaruerunt, significantur cognitiones boni et veri ex Verbo; "pascua" sunt illae cognitiones quia animum alunt, et "desertum" est Verbum cum adulteratum est. Apud *Davidem*,

Jehovah "ponit fluvios in desertum, et exitus aquarum in siccitatem, terram fructus in salsuginem, ob malitiam habitantium in ea" (Ps. cvii. 33, 34):

per "fluvios" qui "ponuntur in desertum" significatur intelligentia ex intellectu veri, et quoque Verbi quoad sensum interiorem ejus, devastata per falsa ex malo; "fluvii" sunt talia quae intelligentiae, et "desertum" ubi non illa, sed loco eorum falsa ex malo: per "exitus aquarum" qui "ponuntur in siccitatem" significatur quod ultima intellectus, quae cognitiones veri et boni vocantur, sint absque omni luce et affectione spirituali veri; "aquae" significant vera, "siccitas" deprivationem eorum ex non luce et affectione, et "exitus" ultima eorum, qualia sunt vera sensus litterae Verbi: per "terram fructus" quae "ponetur in salsuginem" significatur bonum amoris et vitae profunde vastatum per falsa; "salsugo" est devastatio veri per falsa: et quia omnis devastatio per falsa est ex malo vitae, ideo additur, "ob malitiam habitantium in ea." Apud *Jeremiam*,

"Tolle oculos tuos ad colles, et vide ubi [non] stuprata es; super viis sedisti sicut Arabs in deserto; unde profanasti terram scortationibus tuis et malitia tua" (iii. 2):

per haec quoque describitur adulteratio et falsificatio Verbi; per "stuprari" et "scortari" illae significantur: inde "Tolle oculos ad colles, et vide ubi [non] stuprata es," significat animadvertere ad cognitiones veri et boni in Verbo, quod adulteratae; "tollere oculos" significat animadvertere; "colles" significant cognitiones illas, propter lucos et arbores quae super illis, per quas illae significantur; etiam per "colles" significantur bona charitatis

quae sic destructa: "super viis sedisti sicut Arabs in deserto" significat insidiari ne aliquod verum prodeat et recipiatur; "viae" sunt vera ecclesiae, "sedere in illis" est insidiari, et "Arabs in deserto" est qui sicut latro in deserto occidit et deprivat: "profanasti terram scortationibus et malitia" significat falsificationem veritatum Verbi ex malis quae facta sunt vitae. Apud eundem,

> "O generatio, vos videte Verbum Jehovae; num desertum fui Israeli? num terra tenebrarum?" (ii. 31:)

quod omne bonum vitae et verum doctrinae doceatur in Verbo, et non malum vitae ac falsum, intelligitur per "Videte Verbum Jehovae; num desertum fui Israeli? num terra tenebrarum?" Apud *Joelem*,

> "Aegyptus in vastitatem erit, et Edom in desertum vastitatis, propter violentiam filiorum Jehudae, quorum fuderunt sanguinem innocentem in terra sua" (iv. [*B. A.* iii.] [1]19):

per "Aegyptum" et per "Edomum" significatur naturalis homo, qui perverterat vera et bona Verbi; quod ille destruendus sit, ut non videat nisi talia per quae confirmet illa, significatur per quod "Aegyptus erit in vastitatem, et Edom in desertum vastitatis:" quod id propter adulterationem omnis boni et veri in Verbo, significatur per "propter violentiam filiorum Jehudae, quorum fuderunt sanguinem innocentem;" per "violentiam filiorum Jehudae" significatur adulteratio Verbi quoad bonum, et per "effusionem sanguinis innocentis" significatur adulteratio Verbi quoad vera ejus: (quod "Jehudah" significet ecclesiam caelestem, et quoque Verbum, videatur supra, n. 211, 433[*c*]; et quod "effundere sanguinem innocentem" significet violentiam inferre Divino Vero, ita adulterare verum Verbi, n. 329:) adulteratio Verbi fit per scientifica naturalis hominis quando illa applicantur ad confirmandum falsa et mala, et is fit "vastitas" et "desertum" quando scientifica ejus fiunt confirmationes falsi et mali; "Aegyptus" significat scientifica illa, et "Edom" fastum qui per illa falsificat. Apud *Malachiam*,

> "Esavum odio habui, et posui montes ejus vastitatem, et hereditatem ejus draconibus deserti" (i. 3):

per "Esavum" significatur amor naturalis hominis; per "montes ejus" significantur mala ex amore illo; ac per "hereditatem" falsa ex malis illis; et per "dracones

deserti" significantur merae falsificationes ex quibus illa. Quoniam apud gentem Judaicam omnia Verbi adulterata fuerunt, et ibi non verum amplius quia non bonum, ideo Johannes Baptista "in deserto" fuit, per quod repraesentabatur status illius ecclesiae, de qua re ita apud *Evangelistas :*

> Johannes Baptista "fuit in desertis usque ad dies apparitionis illius ad Israelem" (*Luc.* i. [1]80);
> Quod praedicaverit in deserto Judaeae (*Matth.* iii. 1–3; *Marc.* i. 2–4; *Luc.* iii. 2, 4, 5):

et apud *Esaiam,*

> "Vox clamantis in deserto, Parate viam Jehovae, complanate in solitudine semitam Deo nostro" (xl. 3).

Quare etiam Dominus de "Hierosolyma," per quam intelligitur ecclesia quoad doctrinam, dixit quod

> "Relinquitur domus vestra deserta" (*Luc.* xiii. 35):

"domus deserta" significat ecclesiam absque veris quia absque bono. Quid autem significatur per haec apud *Matthaeum,*

> "Si dixerint vobis, Ecce" Christus "in deserto est, ne exeatis; si in conclavibus, ne credatis" (xxiv. 26),

videatur explicatum in *Arcanis Caelestibus* (n. 3900): per "Christum" enim intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, proinde quoad Verbum et quoad doctrinam ex Verbo; et per "falsos Christos," de quibus illa dicuntur, significantur falsa doctrinae ex veris Verbi falsificatis. Ex allatis e Verbo locis constare potest quod per "desertum" intelligatur ecclesia ubi non vera quia non bonum, consequenter ubi falsum quia malum, nam ubi non verum et bonum ibi est falsum et malum; non datur utrumque simul, quod intelligitur per Domini verba, quod "nemo duobus dominis servire possit."

[c.] (ii.) Quod per "desertum" etiam significetur status ecclesiae apud gentes, quae in ignorantia veri fuerunt, et usque in bono vitae secundum suum religiosum, ex quo desideraverunt vera, constare etiam potest ex locis in Verbo ubi de ecclesia apud gentes instauranda agitur:—Apud *Esaiam,*

> "Effundetur super [2]vos spiritus ex alto, tunc desertum erit in arvum,

et arvum in silvam reputabitur; [et] habitabit in deserto judicium, et justitia in arvo considebit" (xxxii. 15, 16):

hic de illis qui in naturali bono sunt, et reformantur; influxus e caelo in illos significatur per "Effundetur super [c]vos spiritus ex alto;" quod tunc verum ex origine spirituali eis implantabitur, significatur per quod "desertum erit in arvum;" "desertum" est naturalis homo destitutus veris, et "arvum" seu terra messis est naturalis homo fructificatus veris: quod inde ei scientia cognitionum veri et boni, significatur per quod "arvum in silvam reputabitur;" "silva" dicitur de naturali homine, sicut "hortus" de spirituali; quare per "silvam" significatur scientia, et per "hortum" intelligentia: quod inde in illo rectum et justum, significatur per quod "habitabit in deserto judicium, et justitia in arvo residebit;" "judicium" et "justitia" in spirituali sensu significant verum et bonum, sed in naturali rectum et justum. Apud eundem,

"Aperiam super clivis fluvios, et in medio vallium fontes ponam, desertum in stagnum aquarum, et terram siccam in scaturigines aquarum: dabo in deserto cedrum schittae, myrtum et arborem olei; ponam in solitudine abietem, taedam et buxum" (xli. 18, 19):

haec quoque de reformatione et illustratione gentium; et per "aperire super clivis fluvios, et in medio vallium fontes ponere," significatur dare intelligentiam ex veris spiritualibus et ex veris naturalibus; "fluvii super clivis" significant intelligentiam ex veris spiritualibus, et "fontes in medio vallium" intelligentiam ex veris naturalibus: per "ponere desertum in stagnum aquarum, et terram siccam in scaturigines aquarum," significatur implere veris spiritualem hominem et naturalem, ubi prius non aliqua vera; spiritualis homo in quo non vera, intelligitur per "desertum," quoniam non prius aliquod verum ibi; et naturalis homo in quo [non] vera, intelligitur per "terram siccam," quia non prius influxus in illum spiritualis; vera in copia spirituali homini intelliguntur per "stagnum aquarum," et vera in copia naturali homini per "scaturigines aquarum:" per "ponere in deserto cedrum schittae, myrtum et arborem olei," significatur dare vera rationalia et perceptionem illorum; et per "ponere in solitudine abietem, taedam et buxum," significatur similiter vera naturalia, quae sunt scientifica et cognitiones, cum earum intellectu; "cedrus"

est verum rationale superius, "myrtus" verum rationale inferius, "arbor olei" perceptio boni et inde veri; "abies" est verum naturale superius, "taeda" est verum naturale inferius, et "buxus" est intellectus boni et veri ibi. Apud *Davidem*,

"Ponit desertum in stagnum aquarum, et terram siccam in exitus aquarum, et facit ibi habitare famelicos, ut erigant urbem habitationis" (Ps. cvii. 35, 36):

pariter haec de illustratione gentium; et per "ponere desertum in stagnum aquarum," similia significantur quae mox supra: "et facit ibi habitare famelicos" significat pro illis qui desiderant vera; hi per "famelicos" et "esurientes" in Verbo intelliguntur: "ut erigant urbem habitationis" significat ut ex illis sibi faciant doctrinam vitae; "urbs" est doctrina, et "habitare" est vivere. Apud *Esaiam*,

"Ecce Ego faciens novum, nunc progerminabit;....etiam ponam in deserto viam, in solitudine fluvios: honorabit Me fera agri, dracones et filiae noctuae, eo quod dederim in deserto aquas, fluvios in solitudine, ad potandum populum meum, electum meum" (xliii. 19, 20):

etiam haec de nova ecclesia apud gentes a Domino instauranda; et per "desertum" significatur status ecclesiae apud illos qui in ignorantia veri sunt, et usque in desiderio sciendi illa; quid autem singula in sensu spirituali significant, videatur supra (n. 518[*a*]), ubi explicata sunt. Apud eundem,

"Consolabitur Jehovah Zionem, consolabitur omnes vastitates ejus, et ponet desertum ejus sicut Eden, et solitudinem ejus sicut hortum Jehovae, laetitia et gaudium invenietur in ea, confessio et vox cantus" (li. 3):

etiam haec de nova ecclesia apud gentes, quae agniturae Dominum; illa ecclesia intelligitur per "Zionem," et instauratio ejus ac reformatio eorum per "consolari;" per "desertum," quod ponetur sicut Eden, et per "solitudinem" qui sicut hortus Jehovae, significatur sapientia et intelligentia ex amore in Dominum, quae illis qui prius in nullo intellectu veri, et in nulla perceptione boni fuerunt. (Sed haec videantur supra, n. 721[*b*], explicata.) Apud *Davidem*,

"Stillant habitacula deserti, et exultatione colles cingunt se, induunt prata gregem, et valles operiuntur frumento" (Ps. lxv. 13, 14 [*B. A.* 12, 13]):

haec quoque de ecclesia apud gentes; et per "stillant habitacula deserti" significatur quod mentes eorum quae prius in ignorantia veri fuerunt, agnoscant et recipiant vera; "stillare" dicitur de influxu, agnitione et receptione veri, "habitacula" dicuntur de interioribus hominis, quae mentis ejus sunt, et "desertum" dicitur de statu ignorantiae veri: quod "colles cingant se exultatione" significat quod bona apud illos recipiant vera cum gaudio cordis: quod "prata induant gregem, et valles operiantur frumento," significat quod utraque mens, spiritualis et naturalis, recipiat vera sibi convenientia; "prata" significant illa quae mentis spiritualis et inde rationalis sunt, et "valles" illa quae mentis naturalis, ac "grex" verum spirituale, et "frumentum" verum naturale. Apud *Esaiam*,

"[1]Cantent....laudem extremitas terrae, descendentes mare, et plenitudo ejus, insulae et habitatores earum; extollant vocem desertum et urbes ejus, villae quas inhabitat Arabia; cantent habitatores petrae, e capite montium clament" (xlii. 10, 11):

haec de ecclesia apud illos qui remoti ab ecclesiae veris fuerunt, quia naturales et sensuales; illorum ignorantiae status intelligitur per "desertum," et eorum gaudium ex praedicatione et cognitione veri, per "cantare laudem et extollere vocem." (Quid reliqua significant, explicatum est supra, n. 406[b].) Quoniam status ignorantiae veri, in quo fuerunt gentes, significatur per "desertum," ac desiderium veri per "famem," et instructio a Domino per "cibationem," ideo factum est quod Dominus secesserit in desertum, ac ibi docuerit turbam quae Ipsum quaesivit, ac postea illos cibaverit;

(quod hoc factum sit "in desertis" constare potest apud *Matthaeum*, cap. xiv. 13–22; cap. xv. 32–38: *Marc*. vi. 31–34; cap. viii. 1–9: *Luc*. ix. 12–17:)

omnia enim quae a Domino [facta] sunt, et quoque quae cum Domino, repraesentativa fuerunt, quia correspondentiae; ita quoque illa: ex quibus, ut ex locis e Verbo supra adductis, patet quod "desertum" significet tale apud hominem quod non excultum et habitatum est, ita quod nondum vitale ex spirituali factum est; proinde applicate ad ecclesiam, quod non vivificatum per vera; ita religiosum apud gentes, quod paene inane et vacuum fuit, quia non

habuerunt Verbum ubi sunt vera, et inde nec Dominum noverunt qui illa docet; et quia non illis vera fuerunt, ideo nec illorum bonum potuit aliud esse quam quale verum apud illos; bonum enim simile est suo vero, quia unum est alterius. Ex his constare potest quid per "desertum," ubi de gentibus agitur, significatur; nempe, non verum, et usque desiderium ad vivificandum suum bonum.

[*d.*] (iii.) Quod etiam per "desertum" significetur status illorum qui in tentationibus sunt, quia in his vera et bona interclusa sunt per falsa et mala, quae emergunt et animo obversantur, constare potest ex vagatione filiorum Israelis in deserto quadraginta annis; per illam repraesentatus est omnis status tentationum, in quem veniunt illi qui regenerantur, ex quibus futura ecclesia. Omnis homo nascitur naturalis, et quoque vivit naturalis, usque dum fit rationalis; et cum factus est rationalis, tunc duci potest a Domino, et fieri spiritualis; quod fit per implantationem cognitionum veri ex Verbo, et simul tunc per aperitionem mentis spiritualis, quae recipit illa quae caeli sunt, ac per evocationem et elevationem cognitionum illarum e naturali homine, et per conjunctionem cum spirituali affectione veri: ipsa illa aperitio et conjunctio non dari possunt nisi quam per tentationes, quia homo in illis pugnat interius contra falsa et mala quae in naturali homine sunt: verbo, homo introducitur in ecclesiam, et fit ecclesia, per tentationes. Haec repraesentata fuerunt per vagationem et circumductionem filiorum Israelis in deserto: status hominis naturalis, antequam regeneratur, repraesentatus est per commorationem eorum in terra Aegypti, nam "terra Aegypti" naturalem hominem cum scientificis et cognitionibus, una cum cupiditatibus et appetitibus, quae in illo resident, significabat (ut constare potest ex illis quae supra de Aegypto, n. 654, dicta et ostensa sunt): at status spiritualis, qui est status ecclesiae apud hominem, repraesentatus est per introductionem filiorum Israelis in terram Canaanem, nam "terra Canaan" ecclesiam cum ejus veris et bonis, una cum ejus affectionibus et jucunditatibus, quae in illo resident, significabat: at reformatio et regeneratio hominis, antequam a naturali fit spiritualis, et sic ecclesia, repraesentabatur per illorum errores et vagationes in deserto quadraginta annis. Quod ita sit, et quod "desertum" illud significaverit statum

tentationum, constare potest apud *Mosen*,

> "Recordaberis omnis viae qua duxit te Jehovah Deus tuus his quadraginta annis in deserto, ut affligeret te, et tentaret te, ac cognosceret quid in corde tuo, num custoditurus esses praecepta Ipsius, nec ne; et afflixit te, et esurire fecit te, et cibavit te manne, quod non noveras, nec noverunt patres tui, [1]ut doceret te quod non per panem solum vivat homo, sed per omne enuntiatum oris Jehovae vivat homo: vestis tua non inveterata est desuper te, et pes tuus non intumuit his quadraginta annis" (*Deutr.* viii. 2–4);

apud eundem,

> "In deserto, quod vidisti, portaverat te Jehovah Deus tuus, sicut portat vir filium suum;....ivit ante vos in via, ad investigandum vobis locum quo castrametaremini, in igne noctu ad monstrandum viam, ...et in nube interdiu" (*Deutr.* i. 31, 33);

apud eundem,

> Jehovah, "qui duxit te per desertum magnum et formidabile, serpentis, presteris et scorpionis et sitis, ubi non aquae; qui eduxit tibi aquas e petra scopuli, et cibavit te manne in deserto,....ut affligeret te et tentaret, ad benefaciendum tibi in posteritate tua" (*Deutr.* viii. 15, 16);

apud eundem,

> Jehovah invenit Jacobum "in terra deserti, in inanitate, ejulatu, solitudine; circumduxit eum, instruxit eum, custodivit eum sicut pupillam oculi" (*Deutr.* xxxii. 10):

per singula quae hic dicuntur, tum per singula quae de profectionibus filiorum Israelis in deserto, ab exitu eorum ab Aegypto ad introitum in terram Canaanem, in *Libro Exodi* memorantur, describuntur tentationes, in quibus sunt fideles, antequam fiunt spirituales, ita antequam implantantur bona amoris et charitatis cum illorum veris, quae faciunt ecclesiam apud hominem. Qui novit quales sunt tentationes spirituales, is novit quod homo, cum in illis est, tunc infestetur a malis et falsis, adeo ut vix aliter sciat quam quod in inferno sit; tum quod Dominus apud hominem pugnet contra illa ex interiori; ut et, quod interea sustentet illum cibo et potu spirituali, quae sunt bona et vera caeli; quod naturalis homo illa fastidiat; quod naturalis homo sic usque dometur et quasi moriatur cum suis concupiscentiis; et quod ille sic subjiciatur spirituali homini; et quod homo sic reformetur et regeneretur, ac introducatur in ecclesiam: haec sunt quae omnia, quae de filiis Israelis in deserto memorantur, involvunt. [Ut sciatur] quod involvant talia, licet quaedam ex allatis singillatim exponere:—(1.) Quod homo in tentationibus

infestetur a malis et falsis, adeo ut vix sciat aliter quam quod in inferno sit, intelligitur per quod "Jehovah duxerit te per desertum magnum et formidabile, serpentis, presteris, scorpionis, et sitis ubi non aquae:" per "desertum magnum et formidabile" significantur graves tentationes; per "serpentem, presterem, scorpionem," significantur mala et falsa cum persuasionibus emergentia ex sensuali et naturali homine; "serpentes" sunt mala inde, "presteres" sunt falsa inde, et "scorpiones" sunt persuasiones; per "sitim ubi non aquae" significatur defectus et interclusio veri. Illa quoque intelliguntur per quod "Jehovah afflixerit te, et tentaverit te, ut cognosceret quid in corde tuo." (2.) Quod Dominus apud hominem pugnet contra mala et falsa quae ab inferno, significatur per quod "Jehovah invenerit Jacobum in deserto, in inanitate, ejulatu, solitudine, custodiverit eum sicut pupillam oculi sui;" quod "portaverit eum sicut portat vir filium suum;" quodque "praeiverit illis in igne noctu, et in nube interdiu." (3.) Quod Dominus interea sustentet hominem cibo et potu spirituali, quae sunt bona et vera caeli, significatur per quod "cibaverit illos manna," quod "eduxerit illis aquas e petra scopuli," et quod "duxerit et instruxerit illos;" per "mannam" intelligitur bonum amoris caelestis, et per "aquas e petra scopuli" intelliguntur vera illius boni a Domino. (4.) Quod naturalis homo illa in tentationibus fastidiat, intelligitur per quod filii Israelis toties conquesti sint de manna, et quod cupiverint cibos Aegypti; quare hic dicitur quod "Jehovah afflixerit te, esurire fecerit te, et cibaverit manna." (5.) Quod usque naturalis homo dometur, et quasi moriatur cum ejus concupiscentiis, et subjiciatur spirituali homini, repraesentatum est per quod omnes qui Aegypto exiverunt, et illuc redire cupiverunt, ac in terram Canaanem intrare renuerunt, mortui sint in deserto, et quod infantes illorum in illam introducti sint: quod haec per illa repraesentata et significata sint, non sciri ac videri potest nisi quam ex sensu spirituali. (6.) Quod homo post tentationes spiritualis fiat, ac introducatur in ecclesiam, et per ecclesiam in caelum, repraesentatum est per introductionem illorum in terram Canaanem, nam "terra Canaan" significabat ecclesiam, et quoque caelum; et id significatur per quod "Jehovah

afflixerit te, et tentaverit te, ad benefaciendum tibi in posteritate tua:" vita illorum spiritualis describitur per quod Jehovah docuerit illos quod "non per panem solum vivat homo, sed per omne enuntiatum oris Jehovae." Quod "non vestis eorum inveterata fuerit, et pes eorum non intumuerit," significat quod naturalis homo non laesus sit per afflictiones illas; "vestes" enim significant vera naturalis hominis, ac "pes" ipsum naturalem hominem. Praeterea per "quadraginta," sive annos sive dies, significatur integra duratio tentationum (videatur supra, n. 633). Similia involvunt haec apud *Davidem*,

> "Errarunt in deserto [in] solitudine [1]viae, urbem habitationis non invenerunt, famelici et sitibundi; cum anima eorum in" via "deficeret, ..clamarunt ad Jehovam,....duxit eos in [2]via recti, ut irent ad urbem habitationis" (Ps. cvii. 4-7):

haec in genere dicta sunt de redemptis, in specie de filiis Israelis in deserto, et per illa verba describuntur tentationes illorum qui regenerantur a Domino; et per "urbem habitationis" quam non invenerunt, significatur doctrina vitae, quae apud hominem facit ecclesiam; et quia ecclesia formatur apud hominem per vitam secundum doctrinam, exactis tentationibus, dicitur quod Jehovah "duxerit eos in [2]via recti, ut irent ad urbem habitationis;" defectus veri usque ad desperationem, et usque desiderium ejus, significatur per quod "famelici et sitibundi essent, ut anima eorum in via deficeret." Apud *Jeremiam*,

> "Recordatus sum..juventutis tuae, amoris desponsationum tuarum, cum ivisti post Me in deserto....: non dixerunt, Ubi Jehovah, qui ascendere fecit nos e terra Aegypti, qui duxit nos in deserto, in terra solitudinis et foveae, in terra siccitatis et umbrae densae, in terra per quam non transivit vir, neque habitavit homo? Et duxi vos in terram frugis, ad comedendum fructum ejus et bonum ejus" (ii. 2, 6, 7):

per "juventutem" et "amorem desponsationum," quorum recordatus est Jehovah, significatur status reformationis et regenerationis hominis, dum a naturali fit spiritualis; quia homo per id conjungitur Domino, et quasi desponsatur Ei, est id quod intelligitur per "amorem desponsationum:" quia id fit per tentationes, dicitur "cum ivisti post Me in deserto;" status tentationum describitur per "Duxit me in deserto, in terra solitudinis et foveae, in terra siccitatis et umbrae densae;" "desertum" significat

illum statum, "terra solitudinis et foveae" significat illum quoad mala et falsa quae emergunt, "terra siccitatis et umbrae densae" significat perceptionem boni et intellectum veri obscuratum: status hominis post tentationes describitur per "Duxi vos in terram frugis, ad comedendum fructum ejus et bonum ejus," per quae significatur quod introducti in ecclesiam, ubi vera doctrinae, per quae appropriatio boni amoris et charitatis; "terra" significat ecclesiam, "terra frugis" illam quoad vera doctrinae, "comedere" significat appropriari, "fructus" bonum amoris, ac "bonum" bonum charitatis et vitae. Apud *Ezechielem*,

> "Educam vos ex populis, et congregabo vos e terris,....et ducam vos in desertum populorum, et disceptabo ibi vobiscum facies ad facies, quemadmodum disceptavi cum patribus vestris in deserto terrae Aegypti;....tunc transire faciam vos sub virga, et adducam vos in vinculum foederis" (xx. 34-37):

hic quoque "desertum" pro statu tentationum; qui status hic vocatur "desertum populorum," et quoque "desertum terrae Aegypti," quia intelligitur status naturalis hominis ante regenerationem, qui ex eo quod ibi non bona et non vera tunc, sed mala et falsa, est desertum et solitudo; at quando inde falsa et mala exterminata sunt, ac vera et bona loco eorum implantata, tunc fit ille ex deserto Libanus et hortus: "disceptare cum illis in deserto facies ad facies" significat monstrare illis ad vivum et ad agnitionem quales sunt, nam in tentationibus emergunt et apparent mala et falsa hominis; "facies ad facies" est ad vivum et ad agnitionem: quod postquam homo dura passus est, conjunctio fiat cum Domino, quae est reformatio, significatur per "Tunc transire vos faciam sub virga, et adducam vos in vincula foederis;" "transire facere sub virga" est dura pati, et "vinculum foederis" est conjunctio cum Domino. Apud *Hoscheam*,

> "Visitabo super illam dies baalium,....quibus ivit post amasios suos; ....propterea ecce...deducam [1]vos in desertum, et postea loquar super cor ejus, et dabo illi vineas ejus inde, et vallem Achoris in ostium spei, et respondebit illic juxta dies adolescentiae suae, et juxta dies ascendere ejus e terra Aegypti; et in die illo....vocabis, Marite mi, et non vocabis amplius Me, Baal mi" ([2]ii. 13-16):

per "baales" et "amasios," post quos ivit, significantur illa

quae naturalis hominis sunt et amantur, nempe cupiditates et inde falsitates; quod illae removendae sint per tentationes, significatur per "Deducam [1]vos in desertum;" quod dein consolandi, significatur per "postea loquar super cor ejus;" quod illis tunc vera spiritualia et naturalia, significatur per "Dabo illi vineas ejus inde, et vallem Achoris:" quod postea influxus boni e caelo et inde gaudium erit sicut apud illos qui ex Ecclesiis Antiquis fuerunt, et e naturalibus facti sunt spirituales, significatur per quod "respondebit" seu cantabit "illic juxta dies adolescentiae suae, et juxta dies ascendere ejus e terra Aegypti;" "dies adolescentiae" significant tempora Antiquae Ecclesiae; "juxta dies ascendere ejus ex Aegypto" significat cum e naturalibus facti sunt spirituales: conjunctio tunc cum Domino per affectiones veri, rejectis cupiditatibus e naturali homine, significatur per "In die illo vocabis Me, Marite mi, et non vocabis amplius Me, Baal mi." Quoniam "desertum" significat statum tentationum, et "quadraginta" sive anni sive dies integram durationem a principio ad finem, ideo tentationes Domini, quas prae reliquis immanissimas a pueritia usque ad passionem crucis, sustinuit, intelliguntur per tentationes quadraginta dierum in deserto, de quibus ita apud *Evangelistas*,

> "Jesus deductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo, et cum jejunasset dies quadraginta et noctes quadraginta, postea esurivit; et accessit ad Ipsum tentator" (*Matth.* iv. 1–3; *Luc.* iv. 1–3);
>
> "Spiritus" Jesum "impellens fecit exire in desertum; et erat..in deserto dies quadraginta, tentatus.., et erat cum bestiis" (*Marc.* i. 12, 13):

per haec non intelligitur quod Dominus solummodo quadraginta diebus, et in fine eorum, a diabolo tentatus sit; sed quod per omnem suam vitam usque ad ultimam, quando Ipsi in Gethsemane anxietas cordis immanis, ac postea passio crucis dira fuit; nam Dominus per tentationes in humanum, quod Ipsi fuit ex matre, admissas, subjugavit omnia inferna, et simul glorificavit Humanum suum: (sed de his Domini tentationibus videantur quae in *Arcanis Caelestibus* scripta sunt, quae in unum collecta sunt in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 201:) omnes illae tentationes Domini significantur per "tentationes in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus," quoniam "desertum" significat statum tentationum, et "quadraginta dies et noctes" omnem earum durationem.

Causa quod non plura de illis apud *Evangelistas* scripta sunt, est quia de illis non plura revelata sunt; at usque apud *Prophetas*, et imprimis in *Psalmis Davidis*, large describuntur. Per "bestias," cum quibus Dominus dicitur fuisse, significantur societates infernales; ac per "jejunationem" ibi significatur afflictio, qualis est in tentationum pugnis.

[e.] (iv.) Quod per "desertum" etiam significetur infernum, est quia "desertum" dicitur ubi non messis nec habitatio, tum ubi sunt ferae, serpentes, dracones, per quae significatur ubi non est verum doctrinae et bonum vitae; consequenter ubi sunt concupiscentiae ex malis amoribus, et inde falsitates omnis generis; et quia haec in inferno sunt, et illa in deserto, ideo ex correspondentia "desertum" etiam significat infernum. Praeterea naturalis homo apud unumquemvis, quamdiu is [1]separatus est a spirituali, qualis est ante regenerationem, est infernum, ex causa quia omne malum hereditarium, in quod homo nascitur, insidet ejus naturali homini, et inde non ejicitur, hoc est, removetur, quam per influxum Divini Veri per caelum a Domino; et is influxus non datur in naturalem hominem nisi per spiritualem; naturalis enim homo est in mundo, et spiritualis in caelo; quare primum aperiendus est spiritualis homo antequam e caelo a Domino removeri potest infernum, quod est in naturali homine. Quomodo illud removetur, repraesentatum est per hircum Asasel vocatum, ejectum in desertum; per "hircum" enim ex correspondentia significatur naturalis homo quoad ejus affectiones et cognitiones, ac in opposito sensu quoad ejus cupiditates et falsitates. De hoc hirco ita legitur apud *Mosen*,

> Quod Aharon acciperet duos hircos, et daret super illis sortes, unam pro hirco sacrificando, alteram pro Asasele; et postquam per sanguinem juvenci sacrificati, et hirci sacrificati, expiaverit Tentorium conventus et altare, imponeret manus suas super caput hirci Asasel, et confiteretur super eo iniquitates et peccata filiorum Israelis, quae dabit super caput hirci, et postea mitteret illum per manum viri destinati in desertum. "Sic portabit hircus super se omnes iniquitates" filiorum Israelis "in terram excisionis" et desertum; et quoque in deserto combureretur cutis, caro et fimus juvenci et hirci sacrificati; sic expiarentur et mundarentur ab omnibus peccatis (*Levit.* xvi. [2]5–34):

haec mandata sunt ut per ea repraesentaretur expiatio,

hoc est, purificatio a malis et falsis; quod bini hirci ad illam repraesentandam accepti fuerint, erat quia "hircus" ex correspondentia significabat naturalem hominem; "hircus qui sacrificandus erat" naturalem hominem quoad partem [1]purificatam, et "hircus qui mittendus erat in desertum" naturalem hominem non purificatum: et quia hic scatet omnis generis cupiditatibus et immunditiis, ut supra dictum est, ideo ille "e castris emissus est in terram excisionis et desertum," ut exportaret iniquitates et peccata omnium in illa ecclesia; per "terram excisionis" et "desertum" significatur infernum: impositio manuum ab Aharone super capite ejus, et confessio peccatorum, repraesentabat communicationem et translationem; ita enim fit quando homo a peccatis purificatur seu expiatur, nam peccata tunc ad infernum remittuntur, ac loco illorum implantantur affectiones boni et veri; hae quoad partem repraesentabantur per "adipes" qui sacrificabantur ex juvenco et ex hirco altero, perque "sanguinem" illorum, ac imprimis per "holocaustum ex ariete" (de quo ibi, vers. 5 et 24); nam "aries" ex correspondentia significat naturalem hominem quoad bonum charitatis. At sciendum est quod populus Israeliticus per haec ne hilum purificatus a peccatis fuerit, sed quod solum ita repraesentata fuerit purificatio naturalis hominis, dum regeneratur: omnia regenerationis hominis per talia externa, imprimis per sacrificia, repraesentabantur; et id propter conjunctionem caeli cum ecclesia illa per externa cultus, quorum interna, quae repraesentabantur, spectata sunt in caelis. Quis non videre potest quod peccata totius coetus non transmitti possint in hircum, et ab illo deferri in infernum? Ex his constare potest quid "desertum" in vario sensu significat.

731. ***"Ubi habet locum praeparatum a Deo."***—Quod significet *statum ejus ut interea provideatur apud plures*, constat ex significatione "loci," quod sit status (de qua sequitur); et ex significatione "praeparari a Deo," quod sit provideri a Domino; nam quod ab homine fit, hoc praeparatur; quod autem a Domino, hoc providetur: de statu etiam qui significatur per "locum," dicitur provideri, dum de loco "praeparari." Quod significetur ut status interea provideatur apud plures, est quia per quod "mulier fugerit in desertum" significatur quod ecclesia adhuc inter paucos,

quia apud illos qui non in bono sunt et inde nec in veris (videatur mox praecedens articulus, n. 730[a]); inde sequitur quod per haec, nempe, "ubi mulier habet locum praeparatum a Deo," significetur status ecclesiae ut interea provideatur inter plures, et quod per adhuc sequentia, nempe, "ut alant eam diebus mille ducentis sexaginta," significetur usque dum crescit in plenum (de quo mox infra, n. 732). Sed de hoc statu ecclesiae, qui intelligitur per "locum mulieris in deserto," in sequentibus hujus capitis amplius agitur; dicitur enim quod "mulieri datae sint duae alae aquilae magnae, ut volaret in desertum in locum suum, ubi aleretur tempus et tempora et dimidium temporis a facie draconis;" praeter plura. Quod "locus" significet statum, est ex eo, quod spatia, loca, distantiae in mundo spirituali sint in sua origine status vitae: apparent quidem illa prorsus sicut in hoc mundo; sed usque differunt in eo, quod quisque ex loco ubi habitat noscatur qualis est, et quisque ex quali suo noscatur ubi habitat; ita in communi quoad loca omnium secundum plagas, ac ita in particulari quoad loca in societatibus, et quoque in singulari quoad loca in domibus, immo in cameris: inde patet quod locus et quale status unum agant, et hoc ex causa quia omnia quae in spirituali mundo sunt, quae coram oculis apparent, usque ad terras, sunt correspondentiae spiritualium; inde est quod "locus" significet statum. (Quod spatia, loca et distantiae in sua origine sint status, ac inde in Verbo significent status, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 191–199, ubi De Spatio in Caelo actum est.) Inde quoque est quod in nostro mundo receptum sit statum vocare locum; ut quod constitutus sit "in loco celso," "in loco eminenti," et "in loco illustri," pro in statu celso, eminenti et illustri. Ex his constare potest quid intelligitur per quod Dominus dixerit discipulis,

> Quod in domo Patris sui mansiones multae sint, et quod abeat ad parandum illis locum, et si abiverit et paraverit illis locum quod venturus et assumpturus illos ad Se Ipsum (*Joh.* xiv. 2, 3):

per "parare illis locum" significatur providere caelum cuivis secundum statum vitae ejus; nam per "discipulos" intelliguntur omnes qui ab ecclesia Ipsius futuri sunt. Et apud *Lucam*,

> "Quando immundus spiritus exit ab homine, peragrat sicca loca quaerens requiem" (xi. 24):

per "immundum spiritum exeuntem ab homine" intelligitur remotio malorum et inde falsorum ab homine qui paenitentiam agit; per "sicca loca" quae peragrat quaerens requiem, significantur status mali et falsi qui sunt vitae ejus. Praeter alibi in Verbo, ubi "locus" ac "loca" dicuntur.

732. ***"Ut ibi alant eam diebus mille ducentis sexaginta."***— Quod significet *usque dum crescit in plenum*, constat ex significatione "dierum mille ducentorum sexaginta," quod sit a principio ad finem, et sic plenum (de qua supra, n. 636); ille numerus enim involvit tres annos et dimidium, ac "tres et dimidium," sive anni sive dies, significant plenum (videatur supra, n. 532, 658): quod "ut alant illam" tot diebus, significet usque dum crescit in plenum, est quia hoc sequitur a praecedentibus, quae sunt, quod "mulier fugerit in desertum, ubi habet locum praeparatum a Deo," per quae significatur quod nova ecclesia, quae per "mulierem" intelligitur, primum [1]sit apud paucos, ut interea provideatur inter plures; inde nunc sequitur, usque dum crescit in plenum; et praeterea per "alere" significatur sustentare vitam et crescere. Quod nova haec ecclesia, quae vocatur sancta Hierosolyma, primum incohatura sit apud paucos, postea apud plures, et denique impleatur, sunt plures causae: prima, quod doctrina ejus, quae est doctrina amoris in Dominum et charitatis erga proximum, non agnosci et inde nec recipi possit quam ab illis qui interius afficiuntur veris, qui non alii sunt quam qui videre illa possunt; et illi solum vident qui facultatem suam intellectualem excoluerunt, et non illam per amorés sui et mundi apud se destruxerunt. Altera causa [est], quod doctrina illius ecclesiae non agnosci et inde non recipi possit, quam ab illis qui doctrina et simul vita non confirmaverunt se in sola fide; si modo doctrina, non obstat; at si simul vita, obstat; nam hi non sciunt quid amor in Dominum, nec quid charitas erga proximum, nec volunt scire. Tertia causa est, quod nova ecclesia in terris crescat secundum incrementum ejus in mundo spirituum; spiritus enim exinde sunt apud homines, ac sunt ex illis qui in fide ecclesiae suae fuerunt dum vixerunt in terris; et non alii ex illis doctrinam recipiunt quam qui in affectione veri spirituali fuerunt; hi solum conjuncti sunt caelo, ubi illa doctrina

est, et conjungunt caelum homini: horum numerus in mundo spirituum nunc indies crescit; quare secundum incrementum illorum crescit ecclesia illa, quae Nova Hierosolyma vocatur, in terris. Illae quoque causae fuerunt, quod Ecclesia Christiana, postquam Dominus reliquit mundum, in orbe Europaeo tam lente creverit, et ad plenum suum non nisi quam post saeculum venerit.

VERSUS 7, 8.

733. ***"Et factum est bellum in caelo, Michael et angeli ejus pugnarunt cum dracone, et draco pugnavit et angeli ejus. Et non praevaluerunt, et non locus inventus eorum amplius in caelo."***

7. ***"Et factum est bellum in caelo,"*** significat *pugnam falsi contra verum, ac veri contra falsum* [n. 734]; ***"Michael et angeli ejus pugnarunt cum dracone, et draco pugnavit et angeli ejus,"*** significat *pugnam inter illos qui pro vita amoris et charitatis sunt, ac pro Divino Domini in Humano Ipsius, contra illos qui pro fide sola seu separata sunt, et qui contra Divinum Domini in Humano Ipsius sunt* [n. 735].

8. ***"Et non praevaluerunt, et non locus inventus amplius eorum in caelo,"*** significat *quod succubuerint, et quod nullibi in caelis posthac detur locus correspondens statui vitae eorum, qui est solius cogitationis, ac nullius affectionis boni et veri* [n. 736, 737].

734[*a*]. [*Vers. 7.*] ***"Et factum est bellum in caelo."***—Quod significet *pugnam falsi contra verum, ac veri contra falsum*, constat ex significatione ["[1]belli," quod sit bellum spirituale, quod est] falsi contra verum ac veri contra falsum (de qua sequitur): per falsum hic intelligitur falsum ex malo, et per verum intelligitur verum ex bono; nam plura genera falsorum dantur, at illa falsa quae ex malo sunt solum pugnant contra vera ex bono, ex causa quia malum est contra bonum, et omne verum est boni. Omnes illi in falso mali sunt qui nihil cogitaverunt de caelo et de Domino in vita sua, sed modo de se et de mundo: cogitare de caelo et de Domino in vita, est cogitare quod ita faciendum sit quia Verbum docet et jubet; hi quia vivunt ex Verbo, vivunt ex Domino et caelo: at cogitare modo de se et de mundo, est cogitare quod ita faciendum sit propter leges regni, et propter famam, honores et lucra; hi non vivunt Domino et caelo, sed sibi et mundo; hi sunt qui quoad vitam in malo sunt, et ex malo in falsis sunt; qui in falsis ex illa origine sunt, illi pugnant contra vera. Sed pugna illorum non est contra Verbum, hoc enim sanctum et Divinum vocant, sed est pugna eorum contra

genuina vera Verbi; confirmant enim sua falsa ex Verbo, sed non nisi quam ex sensu litterae ejus, qui talis est aliquibus in locis ut trahi possit ad confirmanda principia summe haeretica; ex causa quia Verbum in illo sensu est secundum captum infantum et simplicium, quorum plerique sensuales sunt, et hi non recipiunt nisi talia quae apparent coram oculis; et quia tale est Verbum in littera, ideo qui in falsis ex malo vitae sunt, falsa sua ex Verbo confirmant, et sic Verbum falsificant: immo, qui fidem separant a charitate ita falsificant Verbum ut ubicunque dicitur "facere," ac nominantur "facta" et "opera," illa loca, quae millia sunt, explicant, sic ut non facere, nec factum aut opus intelligatur, sed credere et fides; ita in reliquis. Haec dicta sunt, ut sciatur quinam intelliguntur per illos qui in falsis ex malo sunt, a quibus "bellum factum est cum Michaele et ejus angelis," de quibus in sequente articulo.

[*b*.] Quod "bellum" in Verbo significet bellum spirituale, quod est falsi ex malo contra verum ex bono, et vicissim, seu quod idem, quod sit ab illis qui in falsis ex malo sunt contra illos qui in veris ex bono sunt, constat ex pluribus locis in Verbo, ex quibus sequentia in medium licet afferre:—Apud *Esaiam*,

> "Ibunt populi multi et dicent, Ite et ascendamus ad montem Jehovae, ad domum Dei Jacobi, qui docebit nos de viis suis, ut eamus in semitis Ipsius; nam ex Zione exibit lex, et verbum Jehovae ex Hierosolyma; ut judicet inter gentes, et corripiat populos.., qui contundent gladios suos in ligones, et hastas suas in cultros putatorios; non tollet gens contra gentem gladium, neque discent amplius bellum: domus Jacobi, ite, et ibimus in luce Jehovae" (ii. 3-5; *Mich.* iv. 3):

haec de adventu Domini, et quod illi qui e nova Ipsius ecclesia erunt, docendi sint in veris, per quae ducentur ad caelum: per "montem Jehovae" et "domum Jacobi" significatur ecclesia ubi amor in Dominum et cultus ex illo amore: convocatio ad illam ecclesiam et sic ad Dominum significatur per quod "ibunt populi multi et dicent, Ite et ascendamus" ad illum montem: quod docendi sint in veris, per quae ducentur, significatur per "Docebit nos de viis suis, ut eamus in semitis Ipsius;" "viae" sunt vera, et "semitae" sunt praecepta vitae: quod per doctrinam boni amoris et per doctrinam veri ex illo bono, quae pro ecclesia ex caelo a Domino, significatur per quod "ex Sione

exibit lex, et verbum ex Hierosolyma;" "lex" est doctrina boni amoris, et "verbum" est verum ex illo bono: quod tunc dissipabuntur mala vitae et falsa doctrinae, significatur per quod "judicabit inter gentes, et corripiet populos;" per "gentes" significantur illi qui in malis sunt, et per "populos" qui in falsis, ita abstracte mala vitae et falsa doctrinae: quod tunc ex omnium consensu cessaturae sint pugnae, significatur per quod "contundent gladios suos in ligones, et hastas suas in cultros putatorios;" "gladius" et "hasta" sunt falsa ex malo pugnantia contra vera ex bono, ac vicissim; "ligones" sunt bona ecclesiae quae per vera excoluntur, nam "ager" qui per ligones excolitur est ecclesia quoad bonum vitae; et "cultri putatorii" sunt vera doctrinae, ex eo quod "arbores" in hortis [1]significent perceptiones et cognitiones veri: similia significantur per "Non tollet gens contra gentem gladium, neque discet amplius bellum;" "bellum" significat pugnas in omni complexu: quod vitam sapientiae acturi sint, significatur per "Ite, et ibimus in luce Jehovae;" "lux Jehovae" est Divinum Verum, et "ire" in illa est vivere secundum illud, ita in vita sapientiae: quod hic "bellum" significet bellum spirituale, quod est falsorum contra vera et bona, ac vicissim, ac quod "gladii" et "hastae," quae sunt arma belli, significent talia per quae pugnae spirituales fiunt, manifeste constat; nam agitur ibi de Domino et de ecclesia ab Ipso instauranda, deque doctrina pro illa ecclesia; et dicitur quod "docebit nos de viis suis, ut eamus in semitis Ipsius;" tum, "Ite, et ibimus in luce Jehovae." Apud *Hoscheam*,

> "Feriam illis foedus in die illo cum fera agri, et cum ave caelorum, et reptili terrae, et arcum et gladium et bellum frangam de terra, et cubare faciam eos secure" (ii. 18):

quid [significatur] per "feram agri," "avem caelorum," et "reptile terrae," cum quibus Jehovah in die illo panget foedus, videatur supra (n. 388[*e*], 701[*c*]) explicatum; et quod per "frangere arcum, gladium et bellum," significetur cessatio ab omni pugna falsi et veri; quare etiam additur, "Et cubare faciam eos secure," nempe ab infestationibus ex malis et falsis quae ex inferno. Apud *Sachariam*,

> "Exscindam currum ex Ephraimo, et equum ex Hierosolyma, et exscindetur arcus belli; contra loquetur pacem gentibus" (ix. 10):

haec quoque supra (n. [1]355[*a*] et 357[*a*]) explicata sunt; ex quibus patet quod per "arcum belli" significetur doctrina veri pugnantis contra falsa, nam haec dicta sunt de Domino. Apud *Davidem*,

> Jehovah "qui ponit vastitates in terra, cessare facit bella usque ad extremitatem terrae, arcum frangit, et amputat hastam, currus comburit igne" (Ps. xlvi. 9, 10 [*B. A.* 8, 9]):

hic quoque per quod Jehovah "cessare faciet bella usque ad extremitatem terrae," significatur quod cessare faciet pugnas in spirituali sensu intellectas, quae sunt falsorum contra vera et bona ecclesiae (videatur supra, n. 357[*d*]). Apud eundem,

> Deus "frangit scintillas arcus, scutum, et gladium, et bellum" (Ps. lxxvi. 4 [*B. A.* 3]):

similia hic significantur (videatur supra, n. 357[*d*] et 365[*f*]). Apud *Esaiam*,

> "Coram gladiis vagabuntur, coram gladio extenso, et coram arcu extenso,..propter gravitatem belli" (xxi. 15):

quid per haec significatur, videatur supra (n. 131[*a*], 357[*b*]), et quod per "gravitatem belli" sit propter validam impugnationem falsitatum contra cognitiones boni, quae per "Arabiam" ibi seu "Kedarem" significantur. Apud *Davidem*,

> Jehovah "qui docet manus meas bellum, ut demittat se arcus aeneus super brachia [2]mea" (Ps. xviii. 35 [*B. A.* 34]):

per "docere manus bellum" non intelligitur bellum contra hostes in mundo, sed contra hostes in inferno, quod fit per pugnas veri contra falsa et contra mala: apparet quidem sicut per "bellum" ibi intelligatur bellum quale David gessit contra hostes suos, et sic quod Jehovah doceret illum tale bellum, et quomodo dimitteret arcum aeneum super brachia; sed usque spirituale bellum intelligitur, et quoque arcus spiritualis, qui est doctrina veri, et "arcus aeneus" doctrina boni vitae, et hoc quia Verbum in sua essentia spectatum est spirituale; sed de his quoque videatur supra (n. 357[*b*]). Apud eundem,

> "Jehovah, litiga cum litigatoribus meis, pugna cum oppugnatoribus meis; prehende scutum et clipeum, et surge in auxilium meum; exprome hastam, et interveni contra persecutores meos; dic animae meae, Salus tua Ego" (Ps. xxxv. 1-3):

quod hic per "pugnare," "prehendere scutum et clipeum," et "expromere hastam," non significetur prehendere illa arma bellica, quoniam dicuntur de Jehovah[, patet]; sed ita dicitur quia omnia arma belli significant talia quae sunt belli spiritualis; per "scutum," quia tutatur caput, significatur tutela contra falsa destruentia intellectum veri; per "clipeum," quia tutatur pectus, significatur tutela contra falsa destruentia charitatem, quae est voluntas boni; et per "hastam," quia tutatur omnia corporis, significatur tutela in communi: quia talia significantur, ideo additur, "Dic animae meae, Salus tua Ego."

[*c*.] Quoniam Jehovah, hoc est, Dominus, tutatur hominem ab infernis, hoc est, a malis et falsis inde continue assurgentibus, ideo Dominus vocatur "Jehovah Zebaoth," hoc est, "Jehovah Exercituum;" et per "exercitus" significantur vera et bona caeli et inde ecclesiae in omni complexu, per quae Dominus removet inferna in communi, et apud unumquemvis in particulari; inde est quod tribuatur Jehovae quod Ipse pugnet et militet sicut heros et vir belli in proeliis, ut constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Descendet Jehovah Zebaoth ad militandum super monte Zionis, et super colle ejus" ([1]xxxi. 4);

apud *Sachariam*,

> "Jehovah exibit et pugnabit contra gentes, juxta diem pugnare Ipsius in die proelii" (xiv. 3);

apud *Esaiam*,

> "Jehovah sicut heros exibit, sicut vir bellorum excitabit zelum,....super hostes suos invalescet" (xlii. 13);

apud *Mosen*,

> "Bellum Jehovae contra Amalekum a generatione in generationem" (*Exod.* xvii. 16):

haec dicta sunt, quia per "Amalekum" significantur illa falsa mali quae ecclesiae vera et bona continue infestant. Praeterea per "bella" in historicis Verbi, tam quae memorantur in *Libris Mosis*, quam quae in *Libris Josuae*, *Judicum*, *Samuelis* et *Regum*, etiam significantur bella spiritualia; sicut bella contra Assyrios, Syros, Aegyptios, Philisthaeos, et in principio contra gentes idololatras in terra Canaane trans et cis Jordanem; quid vero significant,

patet cum scitur quid et quale falsum et malum significatur per "Assyrios," "Babylonicos et Chaldaeos," quid et quale per "Aegyptios," "Syros," "Philisthaeos," et reliquos; omnes enim gentes et populi, qui bella cum filiis Israelis gesserunt, repraesentabant inferna, quae violentiam inferre voluerunt ecclesiae per filios Israelis repraesentatae. Facta usque sunt bella actualiter sicut descripta sunt; sed usque repraesentabant et inde significabant bella spiritualia, quoniam nihil in Verbo dicitur quod non intus [1]est spirituale; est enim Divinum, et quod a Divino procedit est spirituale, ac terminatur in naturali. Quod etiam antiquis fuerit Verbum tam Propheticum quam Historicum, hodie deperditum, constat apud *Mosen* (*Num.* xxi.), ubi memorantur ejus prophetica, quae ibi vocata sunt "Enuntiata," et historica quae vocata "Bella Jehovae" (vers. 14 et 27): historica illa "Bella Jehovae" vocata sunt, quia per illa significantur bella Domini cum infernis, sicut etiam per "bella" in historicis nostri Verbi. Inde nunc est quod "hostes," "inimici," "oppugnatores," "persecutores," "insurgentes," et insuper "arma belli," sicut "hasta," "clipeus," "scutum," "gladius," "arcus," "sagittae," "currus," in Verbo significent talia quae pugnae et tutelae sunt contra infernalia. Apud *Mosen*,

> "Quando exibis in bellum contra hostes.., et videris equum et currum, populum multum prae te, non timebit tibi ab illis, quia Jehovah Deus tuus tecum."....Sacerdos dicet ad illos, cum accedunt ad proelium, "Vos appropinquatis hodie ad proelium contra hostes vestros; ne emollescat cor vestrum, neque timeatis vobis, neque trepidetis, neque consternemini coram illis, nam Jehovah Deus vester it vobiscum ad pugnandum pro vobis cum hostibus vestris, ut servet vos" (*Deutr.* xx. [2]1–4):

qui non scit quod sensus spiritualis sit in singulis Verbi, credere potest quod per haec non aliquid interius intelligatur quam sicut intelligitur in littera; sed usque per "bellum" hic ut alibi significatur bellum spirituale, et inde per "equum," "currum," et "populum multum," significantur falsa religionis quibus fidunt, et ex quibus contra vera ecclesiae pugnant; per "equum" falsa intellectus et ratiocinia inde, per "currum" falsa doctrinae, et per "populum multum" falsa in genere; sive dicas falsa, sive illos qui in falsis sunt, eodem recidit: quod non timituri sint ab illis, et trepidaturi, quia in veris ecclesiae sunt ex Domino, et

quia Dominus in illis apud hominem, et sic ex illis pro homine, pugnat contra inferna, quae in sensu spirituali sunt hostes, ideo dicitur, "quia Jehovah Deus tecum, et it tecum ad pugnandum pro vobis cum hostibus vestris, ut servet vos." Hi bini sensus, nempe naturalis et spiritualis, unum faciunt per correspondentias, quae sunt inter omnia mundi et omnia caeli; inde est conjunctio caeli cum homine per Verbum. Verum spiritualis sensus, qui latet in historicis Verbi, aegrius potest videri quam qui latet in propheticis, ex causa, quia historica tenent mentem in se fixam, et inde abducunt ad cogitandum aliud quam quod apparet in littera; at usque omnia historica Verbi sunt repraesentativa caelestium, ac verba significativa. Quod omnes illi pugnaturi sint qui in veris doctrinae erant, et inde facti homines ecclesiae, et non illi qui nondum facti, significatur per haec quae sequuntur in eo capite,

"Loquentur dein moderatores ad populum, dicendo, Quis vir qui aedificavit domum novam, nec initiavit eam? abeat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et vir alius initiet eam. Aut quis vir qui plantavit vineam, et non perfecit et vindemiavit eam? abeat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et vir alius perficiat et vindemiet eam. Aut quis vir qui desponsavit uxorem, nec duxit eam? abeat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et vir alius ducat eam. . . . . Quis vir timidus et mollis corde? abeat et revertatur domum suam, et non liquefaciat cor fratrum suorum, sicut cor ejus" (*Deutr.* xx. 5–8):

quod illi "qui novas domos aedificaverunt, et nondum illas initiaverunt," et "qui plantaverunt vineas, et nondum illas vindemiaverunt," et "qui desponsaverunt uxores, et nondum eas duxerunt," remanerent domi, ne morerentur in bello, et viri alii initiarent domos, vindemiarent vineas, et ducerent uxores, mandatum et sancitum fuit ex causis in spirituali mundo, quas nemo videre potest nisi sciat quid significatur per "aedificare domum," "plantare vineam," et "ducere uxorem," tum quid significatur per "mori in bello:" per "aedificare domum" significatur instaurare ecclesiam, per "plantare vineam" similiter, sed per "domum" significatur ecclesia quoad bonum, et per "vineam" ecclesia quoad verum, nam utrumque tam bonum quam verum implantandum est homini, ut in illo sit ecclesia; conjunctio utriusque, nempe boni et veri, significatur per "desponsare sibi uxorem et ducere illam;" et per "bel-

lum" significatur bellum spirituale, quod est pugna contra mala et falsa quae ab inferno, et per "mori in bello" significatur succumbere, antequam ecclesia per illa implantata est, quod etiam fit per tentationes, quae quoque per "bella" in Verbo significantur: ex his concludi potest quid per illa statuta in sensu spirituali significatur; nempe, quod homines ecclesiae, hoc est, homines in quibus est ecclesia, qui per "filios Israelis exeuntes in bellum" significantur, pugnaturi sint contra hostes, qui sunt inferna, et non illi qui nondum facti sunt homines ecclesiae, hoc est, homines in quibus ecclesia; quare dicitur quod illi non exituri in bellum "qui aedificaverunt domos et nondum initiaverunt illas," tum "qui plantaverunt vineas et nondum vindemiaverunt illas," ut et "qui desponsaverunt uxores et nondum duxerunt illas;" nam per omnes hos significantur illi quibus ecclesia nondum implantata est, ita qui nondum facti sunt homines ecclesiae; et dicitur quod "illi abirent et reverterentur domum suam, ne morerentur in bello," per quod intelligitur quod illi non super hostes praevalituri sint, sed hostes super illos, quippe solum illi praevalent super hostes spirituales qui in veris ex bono sunt, seu apud quos verum conjunctum est bono; dicitur etiam "ne vir alius initiet domum," "vindemiet vineam," et "ducat uxorem," per quae significatur ne falsa et mala se conjungant bono, aut verum alius generis cum affectione boni; per "virum alium" significatur falsum, et quoque aliud verum, ita verum non concordans. Quod "timidi et molles corde" etiam reverterentur domum, significabat illos qui nondum in veris et bonis ecclesiae essent, et per illa in fiducia in Dominum; hi enim timent malos, et quoque faciunt ut alii timeant, quod significatur per "ne liquefaciant cor fratrum suorum:" hae nunc sunt causae interiores, seu causae e mundo spirituali, propter quas illa mandata sunt.

[*d*.] Quod "bellum" significet bellum spirituale, quod est contra infernalia, constat manifeste ex eo, quod Levitarum officia et ministeria circa Tentorium conventus dicantur "militia," ut patet ex his apud *Mosen*,

> **Mandatum est Mosi, ut numerarentur Levitae a filio triginta annorum ad filium quinquaginta annorum, ad exercendum militiam, ad faciendum opus in Tentorio conventus (*Num.* iv. 23, 35, 39, 43, 47):**

et alibi,

"Hoc Levitarum officium, a filio quinque et viginti annorum et supra, veniet ad militandum militiam in ministerio Tentorii conventus: sed a filio quinquaginta annorum recedet a militia ministerii, nec ministrabit amplius" (*Num.* viii. 24, 25):

quod opera et ministeria Levitarum circa Tentorium conventus dicantur "militia," est quia Levitae repraesentabant vera ecclesiae; et Aharon, cui Levitae dati sunt et addicti ad serviendum, repraesentabant Dominum quoad bonum amoris, et quoad opus salvationis; et quia Dominus ex bono amoris per vera ex Verbo regenerat et salvat homines, et quoque removet mala et falsa, quae sunt ab inferno, contra quae continue pugnat, ideo officia et ministeria Levitarum dicta fuerunt "militia;" quod etiam ex eo patet, quod ministeria illorum vocata sint "militia," tametsi illi non militarunt contra hostes terrae: ex hoc patet quod sacerdotium sit militia, sed militia contra falsa et mala. Ex hoc est quod ecclesia etiam hodie dicatur "ecclesia pugnans." Apud *Esaiam*,

"Vox multitudinis in montibus, species populi magni, vox tumultus regnorum gentium congregatarum, Jehovah Zebaoth numerat exercitum belli" (xiii. 4);

haec videantur supra (n. 453[*b*]) explicata; et quod per "numerare exercitum belli" significetur ordinare vera ex bono contra falsa ex malo, quae per "regna gentium congregatarum" significantur. Apud eundem,

"In die illo erit Jehovah [Zebaoth]....in spiritum judicii sedenti super judicio, et in fortitudinem [illis] qui repellunt bellum a porta" (xxviii. [5,] 6):

haec de illis qui in fastu propriae intelligentiae sunt, qui intelliguntur per "coronam superbiae, ebrios Ephraimi" (ver. 1); de illis qui non in eo fastu sunt, illa dicuntur: quod ex Domino illis sit intelligentia, significatur per "Erit Jehovah in spiritum judicii, sedenti super judicio;" "judicium" significat intellectum veri, ita intelligentiam: quod "Jehovah erit in fortitudinem illis qui repellunt bellum a porta" significat quod Dominus det potentiam illis qui Verbum et doctrinam e Verbo defendunt, et arcent ne violentia eis inferatur; "urbs" est doctrina, et "porta," quae dat introitum ad illam, sunt vera naturalia; inde erat quod seniores judicia habuerint in urbis portis. Apud *Jeremiam*,

"Sanctificate contra" filiam Zionis "bellum ; surgite et ascenadmus in meridie ;....surgite et ascendamus in nocte, et perdamus palatia ejus :....fundite contra Hierosolymam vallum. ....Ecce populus veniens e terra septentrionis,....crudelis ille, nec [1]miserantur ; vox eorum sicut mare resonat, super equis equitant, paratus ut vir ad bellum, contra te, filia Zionis" (vi. 3–6, 22, 23) :

agitur ibi de falsificatione Verbi ab illis qui in propria intelligentia sunt ; hi intelliguntur per "populum venientem ex terra septentrionis," tales enim in mundo spirituali in septentrione habitant, quia in falsificatis sunt, ex quibus vera non videntur ; ecclesia autem, quae in genuinis veris est, intelligitur per "filiam Zionis :" impugnatio veri et destructio ecclesiae ab illis, significatur per "Sanctificate contra filiam Zionis bellum, et fundite contra Hierosolymam vallum ;" "Hierosolyma" est ecclesia quoad doctrinam, et inde doctrina ecclesiae ; conatus vera palam destruendi, significatur per "Surgite, ascendamus in meridie ;" conatus vera clam destruendi, per "Surgite, ascendamus in nocte ;" conatus destruendi intellectum veri significatur per "Perdamus palatia ejus ;" quod prorsus non sint in amore veri, sed in amore falsi, significatur per quod "populus ille sit crudelis, et non miserantur ;" quod ratiocinentur ex scientiis, et ex propria intelligentia, significatur per quod "vox eorum sicut mare resonat, super equis equitant ;" quod sint impugnatores veri significatur per quod "sit paratus ut vir ad bellum." Apud *Davidem*,

"Libera me..ab homine malo, et a viro violentiarum serva me, qui cogitant mala in corde, toto die congregant ad bella, exacuerunt linguam suam sicut serpentes" (Ps. cxl. 2, 3[, 4] [*B. A.* 1–3]) :

per "hominem malum" et "virum violentiarum" significantur qui pervertunt vera Verbi ; "vir violentiarum" dicitur, qui ex prava intentione violentiam infert veris Verbi, pervertendo illa : prava intentio amplius describitur per "cogitare mala in corde ;" et pervertere vera Verbi, per "toto die congregare se ad bella :" ratiocinationes per quas praevalent, significantur per "bella ;" quare etiam additur, "Exacuerunt linguam suam sicut serpentes." Apud *Sachariam*,

"Erunt sicut potentes conculcantes coenum platearum in bello, et proeliabuntur, quia Jehovah in illis, et pudefient equitantes equis" (x. 5) :

agitur ibi de adventu Domini, et de illis qui in veris ex

bono sunt ex Ipso; de his dicitur quod "erunt sicut potentes conculcantes coenum platearum in bello," per quod significatur quod dissipaturi sint et prorsus destructuri falsa doctrinae; "coenum platearum" significat id falsum, quia "urbs" significat doctrinam, "plateae urbis" vera ejus, et "coenum" ibi falsum ex falsificato vero: "et proeliabuntur quia Jehovah cum illis," significat quod impugnaturi et expugnaturi falsa illa ex Domino; "et pudefient equitantes in equis," significat quod omne intelligentiae propriae succumbet; "pudefieri" est succumbere, quia dicitur de illis qui vincuntur, et "equitare equis" significat fidere propriae intelligentiae. Apud *Hoscheam*,

> "Domus..Jehudae miserebor, et salvabo illos per Deum Jehovam illorum; et non salvabo illos per arcum, et per gladium, et per bellum, et per equos, et per equites" (i. 7):

per "domum Jehudae" significatur ecclesia caelestis; per "misereri et salvare illos per Jehovam Deum illorum" significatur salvatio a Domino; "non salvabo illos per arcum, gladium, bellum, equos et equites," significat non per talia quae sunt propriae intelligentiae; quid "arcus," quid "gladius," et quid "equi" et "equites," supra in suis locis ostensum est; "bellum" significat pugnam ex illis. Apud *Ezechielem*,

> "Non ascendistis rupturas, nec sepivistis sepem pro domo Israelis, ut staretis in bello in die Jehovae" (xiii. 5):

haec de "prophetis stultis," per quos significantur falsa doctrinae ex falsificato Verbo; quod non reparare possent lapsa ecclesiae, et aliquid ejus emendare, significatur per "Non ascendistis in rupturas, nec sepivistis sepem pro domo Israelis;" "rupturae domus Israelis" sunt lapsa ecclesiae, "sepes" ejus est quod defendit ab irruptione falsi, et sic emendat; "ut non staretis in bello in die Jehovae" significat non pugnare contra falsa mali quae ab inferno, die ultimi judicii. Apud *Jeremiam*,

> "Quomodo non relicta est urbs gloriae, urbs gaudii mei? Quare cadent juvenes ejus in plateis ejus, et omnes viri belli exscindentur in die illo" (xlix. 25, 26; cap. l. 30):

doctrina veri ex Verbo intelligitur per "urbem gloriae" et per "urbem gaudii Jehovae;" quod illa versa [1]sit in doctrinam falsi per falsificationes veri, significatur per quod

"relicta" seu deserta sit; quod omnis intellectus veri et sic intelligentia perierit, significatur per "Quare cadent juvenes ejus in plateis ejus;" "juvenes" sunt intellectus veri, et "plateae" illius urbis sunt falsa doctrinae: quod non amplius aliqua vera pugnantia contra falsa supersint, significatur per quod "omnes viri belli exscindentur;" "viri belli" sunt qui in veris sunt et ex illis pugnant contra falsa, et abstracte vera pugnantia contra illa. Apud *Esaiam*,

> **"Non confossi tui confossi gladio, neque occisi bello" (xxii. 2):**

haec de "valle visionis," per quam significatur sensualis homo qui ex fallaciis sensuum corporis omnia videt; qui quia non intelligit vera, et inde loco eorum arripit falsa, dicitur quod "confossi non confossi gladio, neque occisi bello," per quae significatur quod vera non destructa sint per ratiocinationes ex falsis, neque per aliquas pugnas falsi contra vera, sed ex se, quia ex fallaciis, ex quibus non apparent vera. Apud eundem,

> **"Commiscebo Aegyptum contra Aegyptum, ut pugnet vir contra fratrem, et vir contra socium suum, urbs contra urbem, regnum contra regnum" (xix. 2):**

haec de naturali homine separato a spirituali; ille per "Aegyptum" significatur: turba ejus falsorum ratiocinantium et pugnantium contra vera et bona spiritualis hominis, significatur per "Commiscebo Aegyptum contra Aegyptum, ut pugnet vir contra fratrem, et vir contra socium suum;" "vir et frater" significant verum et bonum, et in opposito sensu falsum et malum; "vir et socius" significant vera inter se, et in opposito sensu falsa inter se; hoc discidium et haec pugna fit quando falsa regnant, quoniam falsa cum falsis continue disceptant, non autem vera cum veris: quod similes contentiones doctrinarum inter se, seu ecclesiarum inter se, erunt, significatur per quod "urbs pugnabit contra urbem, et regnum contra regnum;" "urbs" est doctrina, et "regnum" est ecclesia inde.

[*e*.] Ex his constare potest quid significatur per Domini verba apud *Evangelistas*,

> **"Multi..venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, et multos seducent: audituri autem estis bella et rumores bellorum; videte ne turbemini:....excitabitur namque gens contra gentem, et reg-**

num contra regnum, et erunt fames, et pestes et terrae motus" (*Matth.* xxiv. [1]5–7; *Marc.* xiii. [2]6–8; *Luc.* xxi. [8,] 9–11):

haec a Domino ad discipulos dicta sunt de consummatione saeculi, per quam significatur status ecclesiae quoad ultimum ejus, qui in illis capitibus describitur; quare etiam intelligitur successiva perversio et falsificatio veri et boni Verbi, usque dum non sit nisi quam falsum et inde malum; per illos "qui venturi in nomine Ipsius, et se dicturos Christum, et multos seducturi," significatur quod venturi qui dicent hoc esse Divinum Verum, cum tamen est verum falsificatum, quod in se est falsum; per "Christum" enim intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, at ibi in opposito sensu falsificatum: quod "audituri sint bella et rumores bellorum," significat quod exstiturae disceptationes et lites de veris, et inde falsificationes: quod "excitabitur gens contra gentem, et regnum contra regnum," significat quod pugnaturum malum cum malo et falsum cum falso; nam mala inter se nusquam conveniunt, nec falsa inter se, quae causa est quod ecclesiae inter se divisae sint, et tot haereses prodierint; "gens" significat illos qui in malis sunt, et "regnum" illos qui in falsis, ex quibus ecclesia: quod "erunt fames, et pestes et terrae motus," significat quod amplius nullae cognitiones veri et boni, et quod propter falsa quae infectura sunt, status ecclesiae mutaretur; "fames" est privatio cognitionum veri et boni, "pestes" sunt infectiones a falsis, et "terrae motus" sunt ecclesiae mutationes. Quoniam "bella" in Verbo significant bella spiritualia, quae sunt pugnae falsi contra verum, et veri contra falsum, ideo pugnae illae describuntur per "bellum inter regem septentrionis contra regem meridiei," et per "pugnam hirci caprarum contra arietem," apud *Danielem;* de bello inter regem septentrionis et regem meridiei, cap. xi.; et de pugna hirci caprarum contra arietem, cap. viii.; et ibi per "regem septentrionis" intelliguntur illi qui in falsis sunt, et per "regem meridiei" qui in veris: per "hircum" significantur qui in falsis doctrinae quia in malo vitae, et per "arietem" qui in veris doctrinae quia in bono vitae. Ex his constare potest quid significatur per "bellum" etiam alibi in *Apocalypsi*, ut in sequentibus:—

"Quum.." testes "absolverint testimonium suum, bestia, quae ascendet ex abysso, faciet bellum cum illis, et vincet illos et occidet illos" (xi. 7);

alibi,

> "Spiritus daemonum facientes signa ad exeundum ad reges terrae et totius orbis terrarum, ad congregandum illos in bellum diei illius magnae Dei omnipotentis" (xvi. 14);

et alibi,

> Satanas "exibit ad seducendum gentes...., Gogum et Magogum, ut congreget eos in bellum" ([1]xx. 8):

per "bellum" etiam in his locis significatur bellum spirituale, quod est falsi contra verum, ac veri contra falsum: dicitur bellum falsi contra verum, ac veri contra falsum; at sciendum est quod illi qui in falsis sunt pugnent contra vera, sed non ita illi qui in veris sunt contra falsa; nam illi qui in falsis sunt semper aggrediuntur, at illi qui in veris sunt modo defendunt; sed quoad Dominum, Ille ne quidem repugnat, sed modo tutatur vera: sed de his amplius alibi.

735. ***"Michael et angeli ejus pugnarunt cum dracone, et draco pugnavit et angeli ejus."***—Quod significet *pugnam inter illos qui pro vita amoris et charitatis sunt, et pro Divino Domini in Humano Ipsius, contra illos qui pro fide sola et separata, et qui contra Divinum Domini in Humano Ipsius sunt*, constat ex significatione "Michaelis et angelorum ejus," quod sint qui pro Divino Domini in Humano Ipsius sunt, et pro vita amoris et charitatis (de qua sequitur); et ex significatione "draconis," quod sint qui pro fide sola et separata a vita amoris et charitatis, et quoque contra Divinum Domini in Humano Ipsius: quod illi qui in fide separata a charitate sunt, quae fides vocatur sola fides, intelligantur per "draconem," supra (n. 714, 715, 716) ostensum est: quod etiam iidem sint contra Divinum Domini in Humano Ipsius, hoc est, contra Divinum Humanum, est quia plerique eorum qui se confirmaverunt in sola fide, mere naturales et sensuales sunt; ac naturalis et sensualis homo separatus a spirituali non aliquam ideam Divini in Humano potest habere, cogitant enim naturaliter et sensualiter de Humano Domini, et non simul ex aliqua idea spirituali; inde est quod de Domino cogitent sicut de vulgari homine sibi ipsis prorsus simili, quod etiam docent; inde est quod Divinum Domini supra Humanum Ipsius in idea cogitationis suae ponant, et sic duo illa, nempe Divinum et Humanum Domini, prorsus separant: et hoc faciunt,

tametsi doctrina illorum, quae est Doctrina Athanasii de Trinitate, aliud docet; haec enim docet quod Divinum et Humanum sit unita Persona, ac utrumque unum sicut anima et corpus: consulat quisque eorum semet, et percipiet quod talis eis idea de Domino sit. Ex his constare potest quid intelligitur per "Michaelem et angelos ejus," qui cum dracone pugnarunt; quod nempe illi qui Humanum Domini Divinum agnoscunt, et qui pro vita amoris et charitatis sunt; nam qui pro hac sunt, non possunt aliter quam agnoscere Divinum Humanum Domini, ex causa, quia alioqui non in aliquo amore in Dominum, et inde nec in charitate erga proximum possunt esse; haec enim charitas et ille amor est unice a Divino Humano Domini, et non a Divino separato ab Humano Ipsius, nec ex Humano separato a Divino Ipsius; quare etiam postquam "projectus est draco in terram cum angelis ejus," vox dicta est e caelo, "Nunc facta est salus, et potentia, et regnum Dei nostri, et potestas Christi Ipsius" (vers. 10). Ex his constare potest quid per "Michaelem et angelos ejus" intelligitur. Quod Michaelem in specie concernit; creditur ex sensu litterae quod sit unus ex archangelis; sed non est aliquis archangelus in caelis: sunt quidem angeli superiores et inferiores, tum sapientiores magis et minus; et quoque in societatibus angelorum sunt moderatores reliquis ibi praefecti; sed usque non sunt archangeli, sub quorum obedientia ex aliquo arbitrio stant; tale regimen non datur in caelis, omnes enim ibi non alium supra se corde agnoscunt quam solum Dominum; quod intelligitur per Domini verba apud *Matthaeum*,

> "Vos..nolite vocari doctor; unus enim est vester Doctor, Christus; omnes autem vos fratres estis. Et patrem ne vocetis vestrum in terra; unus namque est Pater vester qui in caelis est. Neque vocemini magistri; unus enim vester est Magister, Christus. Qui.. maximus est vestrum, erit minister vester" (xxiii. 8–11):

per illos autem angelos qui nominantur in Verbo, ut per "Michaelem" et "Raphaelem," intelliguntur administrationes et functiones, et in genere partes determinatae et certae administrationis et functionis omnium angelorum; quare hic per "Michaelem" intelligitur id functionis angelorum quod supra dictum est, nempe defensio illius partis doctrinae ex Verbo quod Humanum Domini Divinum sit,

et quoque quod vita amoris in Dominum et charitatis erga proximum vivenda sit, ut alicui sit salus a Domino; consequenter id functionis ut pugnetur contra illos qui separant Divinum ab Humano Domini, et qui fidem separant a vita amoris et charitatis, immo qui charitatem ore ferunt et non vita. Praeterea per "angelos" in Verbo in spirituali sensu non intelliguntur angeli, sed Divina vera a Domino (videatur supra, n. 130, 302), ex causa quia angeli non sunt angeli ex suo proprio, sed ex receptione Divini Veri a Domino; similiter archangeli, qui illud Divinum Verum significant quod supra dictum est. Etiam angelis in caelis non sunt nomina sicut hominibus in terris, sed sunt illis nomina functionum illorum, et in genere datur cuivis nomen ex quali ejus; inde est quod "nomen" in Verbo significet quale rei et status. Nomen "Michael," ex derivatione ejus in lingua Hebraea, significat, "Quis sicut Deus?" Quare per "Michaelem" significatur Dominus quoad Divinum illud Verum quod Dominus sit Deus etiam quoad Humanum, et quod vivendum sit ab Ipso, ita in amore in Ipsum ab Ipso, et in amore erga proximum. Nominatur etiam Michael apud *Danielem* (cap. x. 13, 21; cap. xii. 1); et per illum ibi significatur genuinum verum ex Verbo, quod pro illis qui ab ecclesia a Domino instauranda, erit; similiter ut hic; nam per "Michaelem" intelliguntur qui pro doctrina Novae Hierosolymae erunt, cujus doctrinae duo essentialia sunt, nempe quod Humanum Domini sit Divinum, et quod vita amoris et charitatis vivenda sit. Nominatur etiam Michael in *Epistola Judae* Apostoli, his verbis,

> "Michael archangelus, quando [1]cum diabolo disputans coarguit de Mosis corpore, non ausus est sententiam efferre blasphemiae, dixit, Increpet te Dominus" (ver. 9);

haec Judas Apostolus ex libris vetustis, qui per correspondentias conscripti fuerunt, adduxit; et in illis per "Mosen" intellectum est Verbum, et per "ejus corpus" sensus litterae Verbi; et quia illi per "diabolum" intellecti sunt, qui hic in *Apocalypsi* per "draconem," qui etiam vocatur "satanas" et "diabolus," patet quid significatur per quod "Michael disputans coarguerit diabolum de Mosis corpore," nempe quod sensum litterae Verbi falsificaverint: et quia Verbum in littera tale est, ut e genuino suo sensu

a malis detorqueri possit, et tamen a bonis recipi secundum intellectum ejus, ideo dictum est ab antiquis, a quibus illa verba Judae desumpta fuerunt, quod "Michael non ausus sit efferre sententiam blasphemiae." (Quod "Moses" in sensu spirituali significet Legem, ita Verbum, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 4859 fin., 5922, 6723, 6752, 6827, 7010, 7014, 7089, 7382, 8787, 8805, 9372, 9414, 9419, [1]9429, 10234, 10563, 10571, 10607, 10614.)

736. [*Vers.* 8.] ***"Et non praevaluerunt, et non locus inventus eorum amplius in caelo."***—Quod significet *quod succubuerint, et quod nullibi in caelis posthac detur locus correspondens statui vitae eorum, qui est solius cogitationis ac nullius affectionis boni et veri*, constat ex significatione "non praevaluerunt," quod sit quod in pugna succubuerint; [et] ex significatione quod "non locus inventus eorum amplius in caelo," quod sit quod in caelis posthac non detur locus correspondens statui vitae eorum (de qua sequitur): quod hoc posthac non detur, est quia status vitae illorum, qui per "draconem et ejus angelos" intelligitur, est solius cogitationis, et nullius affectionis boni et veri; qui enim in sola fide omne ecclesiae et inde omne salutis ponunt, illi non possunt in aliqua affectione boni et veri esse, quoniam haec est vitae. Quisque enim homo binas facultates vitae habet, quae vocantur intellectus et voluntas; ac intellectus est qui cogitat, et voluntas est quae afficitur; proinde cogitatio est intellectus et affectio voluntatis; qui itaque separant fidem a vita, illi solum cogitant quod ita sit, ac per id et propter id quod cogitent, dicunt quod salventur: et quia separant a fide vitam, non possunt in alia affectione esse quam in affectione naturali, quae est amoris sui et mundi; inde est quod horum amorum affectiones conjungant illis quae sunt fidei eorum, quae conjunctio non facit conjugium caeleste, quod est caelum, sed adulterium, quod est infernum; nam est conjunctio veri cum affectione mali, et id adulterium correspondet adulterio filii cum matre, ut patet a correspondentiis in mundo spirituali notis. Sed ne usque sit conjunctio veri cum malo, providetur a Domino per id, quod illis non aliqua genuina vera sint, sed vera falsificata, quae in se sunt falsa; et quia talis conjunctio est fidei separatae, nempe falsi cum malo, ideo "draco," per quem illi intelliguntur, vocatur "satanas" et "diabolus," "satanas" a falso et "diabolus" a malo; nam, ut supra dictum est, conjunctio veri et boni facit caelum apud hominem, at

conjunctio falsi et mali facit infernum apud illum. Quod illis non aliqua genuina vera sint, est quia omnia fidei eorum ex sensu litterae Verbi sunt; et non expendunt quod illa vera, quae in eo sensu Verbi sunt, apparentiae veri sint; et eas pro ipsis veris assumere et defendere est Verbum falsificare, secundum illa quae supra (n. 715, 719, 720) dicta sunt. Inde nunc est quod "draco cum suis angelis projectus sit e caelo in terram." Quod "non locus amplius eorum inventus sit in caelo" significet quod in caelis posthac non detur locus correspondens statui vitae eorum, est quia omnia loca in caelis correspondent vitae angelorum; inde est quod "locus" significet statum vitae, ut supra (n. 731) dictum est; et quia vita omnium angelorum in caelis est vita affectionis boni et veri, et illis qui in sola fide sunt, qui per "draconem et ejus angelos" intelliguntur, non aliqua affectio boni et veri est, ideo non datur locus in caelis correspondens vitae eorum. Praeterea omnes angeli in caelis sunt affectiones spirituales, et quisque eorum cogitat ex affectione sua, et secundum illam; inde sequitur quod qui omne ecclesiae et inde caeli ponunt in cogitare, et non in vivere, [1]dum fiunt spiritus, cogitent ex suis affectionibus, quae sunt affectiones mali et falsi, ut supra dictum est; consequenter quod fides eorum, quam fecerunt solius cogitationis et non vitae, exterminetur et dissipetur. Verbo, non est alicui affectio spiritualis, quae est boni et veri, nisi quam ex vita fidei, quae est charitas; ipsa charitas est affectio boni, et fides est affectio veri, ac utraque conjuncta in unum est affectio boni et veri.

737. Dicitur quod draco visus sit "in caelo" (vers. 3); et nunc quod bellum factum sit cum illo "in caelo;" et postea quod non locus ejus et angelorum ejus inventus sit "in caelo;" et usque tamen (vers. seq. 9) vocatur "ille serpens antiquus," tum "diabolus et satanas;" et mirari quis potest quomodo draco, qui diabolus, potuerit in caelo esse, et ibi locum habere priusquam dejectus est, cum tamen diabolo nusquam in caelo, sed in inferno, locus est: verum res ita se habet; per "draconem" non intelliguntur illi qui Deum et Dominum negarunt, quique rejecerunt Verbum, ac nihili fecerunt ecclesiam et ejus doctrinam; illi qui tales sunt ac ita faciunt in infernum illico post mortem conjiciuntur, et nusquam apparent in

caelo, et minus aliquem locum ibi habent; quare per "draconem et ejus angelos" intelliguntur qui Deum et Dominum agnoscunt, ac Verbum sanctum dicunt, et quoque pro ecclesia et ejus doctrina stant, sed solum ore et non corde: quod non corde, est quia nihili faciunt vitam; et qui nihili faciunt vitam, illi interius diaboli sunt, utcunque exterius sicut angeli possunt apparere. Inde constare potest quod per agnitionem Dei et Domini, ac per lectionem et praedicationem Verbi, exterius conjuncti fuerint caelo; sed quia prorsus non vixerunt secundum aliquid Domini in Verbo, interius conjuncti fuerint inferno. Hi vocantur "diabolus et satanas" quia conspurcaverunt vera Verbi per vitam amoris sui et amoris mundi, et per mala, quae ex amoribus illis, sicut scaturigines ex fontibus suis, profluxerunt, et quia sensum litteralem Verbi applicuerunt ad confirmandum talem vitam; et qui tales sunt, prae reliquis sunt serpentes, quia plus noxii quam alii; possunt enim simplices bonos, qui in ultimo caelo sunt, in partes suas trahere, imprimis per talia quae ex sensu litterae Verbi depromunt, et pervertunt. Quod dicatur quod "visi sint in caelo," et ibi "cum Michaele et cum angelis ejus pugnaverint," est quia Verbum conjunxit eos caelis, nam conjunctio hominum cum caelis est per Verbum; at cum animadversum est quod in aliis affectionibus quam caelestibus essent, e caelo dejecti sunt. Verum enim vero postquam ultimum judicium peractum est, tunc provisum et ordinatum est a Domino ut posthac nemo cum caelo conjunctionem habeat quam qui in spirituali fide est; ac spiritualis fides comparatur per vitam secundum vera Verbi, quae vita vocatur charitas. Hoc nunc est quod significatur per quod "draco cum angelis suis projectus sit in terram," et quod "non locus amplius eorum inventus sit in caelo."

VERSUS 9.

738. ***"Et projectus est draco ille magnus, ille serpens antiquus, vocatus diabolus et satanas, seducens universum orbem, projectus est in terram, et angeli ejus cum illo projecti sunt."***

9. ***"Et projectus est draco ille magnus, ille serpens antiquus,"*** [1]significat *quod separati e caelo ac dejecti in infernum illi qui in malis vitae sunt, et inde sensuales facti sunt, a quibus omnia Verbi et sic ecclesiae perversa sunt* [n. 739]; ***"vocatus diabolus et satanas,"*** significat *quia interius*

sunt in malis et falsis quae ab inferno [n. 740]; **"seducens universum orbem,"** significat ***quae pervertunt omnia ecclesiae*** [n. 741]; **"projectus est in terram, et angeli ejus cum illo projecti sunt,"** significat ***quod mala illa et falsa inde damnata sint inferno*** [n. 742].

739[*a*]. [*Vers.* 9.] ***"Et projectus est draco ille magnus, ille serpens antiquus."***—Quod significet *quod separati e caelo ac dejecti in infernum illi qui in malis vitae sunt, et inde sensuales facti sunt, a quibus omnia Verbi et sic ecclesiae perversa sunt*, constat ex significatione "projectus esse," cum de "dracone," quod sit separatus e caelo esse, et dejectus in infernum; (quod fuerint conjuncti caelo, at postea separati, videatur articulus praecedens (n. 737); quod dejecti et damnati inferno, intelligitur per quod "projectus sit in terram," de quo sequitur:) ex significatione "draconis magni," quod sint qui in malis vitae, et tamen ore confitentur Deum et Dominum, ac Verbum sanctum dicunt, et pro ecclesia loquuntur; (quod hi sint qui per "draconem" intelliguntur, videatur supra, n. 714, 715, 716, 718, 737;) inde etiam dicitur "draco magnus," "magnum" enim in Verbo praedicatur de bono, ac in opposito sensu, ut hic, de malo; falsa autem illorum significantur per "angelos ejus" (de quibus sequitur): et ex significatione "serpentis antiqui," quod sint sensuales, hic quod inde sensuales facti, a quibus omnia Verbi et ecclesiae perversa sunt; quod per "serpentem" significetur sensuale, videatur supra (n. 581, 715 fin.); qui "antiquus" vocatur ex eo, quod tales etiam fuerint olim, a quibus omnia Verbi et ecclesiae perversa sunt. Secundum sensum litterae historicum per "serpentem antiquum" intelligitur serpens qui Chaivam et Adamum in paradiso seduxit; sed per illum serpentem, ut per hunc, omnes tales, qui universum orbem seducunt, intelliguntur, ut constare potest ex sequentibus in hoc paragrapho. Ex his constare potest quod per "Projectus est draco magnus, ille serpens antiquus," significetur quod separati sint e caelo ac dejecti in infernum illi qui in malis vitae sunt, a quibus omnia Verbi et sic ecclesiae perversa sunt. Quod omnes illi qui in malis vitae sunt, sensuales fiant, et quod sensuales inde facti pervertant omnia ecclesiae, constare potest ex eo, quod apud homines tres gradus vitae sint, intimus, medius ac ultimus, et quod illi gradus apud hominem aperiantur successive, sicut ille sapiens fit. Omnis homo nascitur summe sensualis, usque adeo ut etiam quinque

sensus corporis ejus per usum aperiendi sint; deinde fit ille sensualis quoad cogitationem, cogitat enim ex objectis, quae intrarunt per sensus corporis ejus; postea fit interius sensualis; at quantum ille per experientias visuales, ac per scientias, imprimis per usus vitae moralis, comparat sibi lumen naturale, tantum fit homo interius naturalis: hic est primus seu ultimus gradus vitae hominis. Quia tunc ex parentibus, exque magistris et praedicatoribus, tum ex lectione Verbi ac librorum inde, haurit cognitiones veri et boni spiritualis, et illas memoriae sicut alia scientifica mandat, fundat ecclesiam apud se; sed usque si non ulterius pergit, manet naturalis; at si ulterius pergit, nempe, si vivit secundum cognitiones illas ex Verbo, aperitur apud illum interior gradus, ac fit spiritualis, sed non plus quam sicut afficitur veris, intelligit illa, vult illa et facit illa: causa est, quia sic, non aliter, removentur et quasi discutiuntur mala et inde falsa quae in naturali ac in sensuali homine ex hereditario resident; spiritualis enim homo est in caelo, ac naturalis in mundo; et quantum caelum potest influere, hoc est, Dominus per caelum, per spiritualem hominem in naturalem, tantum removentur mala et inde falsa, quae in naturali homine, ut dictum est, resident; Dominus removet illa, sicut removet infernum a caelo. Quod non aliter possit aperiri interior gradus apud hominem, est quia mala et falsa, quae in naturali homine sunt, illum clausum tenent; spiritualis enim gradus, seu spiritualis mens, se contrahit ad quodcunque malum ac falsum mali, sicut fibrilla corporis ad aculeum, nam fibrae corporis ad quemlibet tactum duriusculum se contrahunt; similis res est cum mente interiore hominis, quae spiritualis vocatur, ad tactum seu afflatum mali et inde falsi: at vero cum homogenea, quae sunt Divina vera ex Verbo, quae ex bono suam essentiam trahunt, illam mentem adeunt, tunc aperit se; sed aperitio non aliter fit quam per receptionem boni amoris influentis per caelum a Domino, et per conjunctionem ejus cum veris quae homo memoriae mandaverat; hoc non fit nisi per vitam secundum vera Divina in Verbo, nam quando vera illa fiunt vitae, tunc vocantur bona: inde constare potest, quomodo secundus seu medius gradus aperitur. Tertius autem seu intimus gradus aperitur apud illos qui vera

Divina statim applicant vitae, et non prius ex memoria ratiocinantur de illis, et per id illa in dubium mittunt: hic gradus vocatur caelestis. Quoniam illi tres gradus vitae apud unumquemvis hominem sunt, sed tamen diversimode aperiuntur, inde tres caeli sunt. In tertio seu intimo caelo sunt, apud quos tertius gradus apertus est; in secundo seu medio caelo sunt, apud quos modo secundus gradus apertus est; et in primo seu ultimo caelo sunt, apud quos interior naturalis homo, qui etiam rationalis homo vocatur, apertus est; ille enim, si vere rationalis est, recipit influxum a Domino per caelum: omnes illi veniunt in caelum. At illi qui Divina vera modo receperunt memoria, et non simul vita, illi manent naturales, immo fiunt sensuales: causa est, quia mala, in quae homo natus est, in naturali et sensuali homine, ut supra dictum est, resident; nec remota sunt et quasi discussa per influxum boni a Domino, ac per receptionem ejus ab homine: inde est quod apud illos regnent amores corporis, qui in genere sunt amor sui et amor mundi, et inde amor et fastus propriae intelligentiae; hi amores, et ex illis fluentia mala et horum falsa, implent interiora mentis naturalis eorum, quae tamen obteguntur honestis et decoris vitae moralis propter mundum, et propter leges pro externo homine latas: hi tametsi memoriam impleverunt cognitionibus ex Verbo, ex dogmatibus plurium religionum, exque scientiis, usque naturales, immo sensuales sunt, nam interiora mentis naturalis, quae menti spirituali propiora sunt, apud se clauserunt per confirmationes, etiam ex Verbo, contra vitam spiritualem, quae est vita secundum Divina vera, et vocatur charitas erga proximum. Hi quia sensuales sunt, sunt "draco," et vocantur "serpentes;" nam "serpens" significat sensuale, ex causa, quia sensuale infimum vitae hominis est, et quasi repit humi, et lambit pulverem sicut serpens.

[**b.**] Ad horum illustrationem velim afferre quae in *Genesi* de "serpente antiquo," qui Chaivam et Adamum seduxit, memorantur, et illa, quid in sensu spirituali significant, explicare: quae haec sunt,

"Progerminare fecit Jehovah Deus ex humo omnem arborem desiderabilem aspectu, et [1]bonam ad cibum, et arborem vitarum in medio horti, et arborem scientiae boni et mali. ....Et praecepit Jehovah Deus homini, dicendo, Ab omni arbore horti edendo edas, sed ab arbore scientiae boni et mali non edas, quia in die quo ederis

illa moriendo morieris. ....Et serpens fuit astutus prae omni fera agri quam fecit Jehovah Deus; et dixit ad mulierem, Etiamne dixit Deus, Non comedetis de omni arbore horti? Et dixit mulier ad serpentem, De fructu arboris horti comedemus; at de fructu arboris quae in medio horti, dixit Deus, Non comedetis de illo, nec tangetis illum, ne moriamini. Et dixit serpens, Non moriendo morimini, quia novit Deus quod in die quo editis de eo, et aperientur oculi vestri, et eritis sicut Deus, scientes bonum et malum. Et vidit mulier quod bona arbor ad esum, et quod appetibilis illa oculis, et desiderabilis arbor ad dandum intelligentiam: et sumpsit ex fructu ejus et edit, et dedit etiam viro suo secum, et comedit: et aperti sunt oculi amborum, et cognoverunt quod nudi illi; et consuerunt folium ficus, et fecerunt sibi cingula. ....Et dixit Jehovah ad serpentem, Quia fecisti hoc, maledictus tu prae omni bestia, et prae omni fera agri; super ventre tuo ambulabis, et pulverem edes omnibus diebus vitae tuae: et inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et semen ejus; Ille conculcabit [1]tibi caput, et tu laedes calcaneum Ejus. ....Et emisit Jehovah Deus" hominem "ex horto Eden,....et habitare fecit ab oriente ad hortum Edenis cherubos, et flammam gladii...vertentis se, ad custodiendum viam arboris vitarum" (*Gen.* ii. 8, 9, 16, 17; cap. iii. 1–7, 14, 15, [23,] 24):

quomodo historica de Creatione Caeli et Terrae, quae continentur a primo capite *Geneseos*, usque ad illud ubi agitur de Diluvio, intelligenda sunt, nemo potest scire, nisi ex sensu spirituali, qui inest sensui litterae Verbi in singulis ejus: historica enim illa de Creatione Caeli et Terrae, tum de Horto in Edene, deque Posteris Adami, usque ad Diluvium, sunt historica facta, sed usque sanctissima, quia singuli sensus ac singulae voces ibi correspondentiae sunt, et inde significant spiritualia; hoc potest ab unoquovis, qui perspicaci ingenio est, pervideri ex historia creationis in primo capite, quae coepta est a luce, quando nondum sol exstitit, et ex pluribus aliis ibi; tum ex creatione Chaivae uxoris Adami ex costa ejus; ut et ex binis arboribus in paradiso, et ex prohibitione ne ex arbore scientiae boni et mali comederent, et quod usque seducti a serpente comederint, tametsi omnium sapientissimi fuerunt; et quod Jehovah tales arbores in medio horti posuerit, ac passus sit ut seducerentur a serpente ad comedendum ex arbore vetita, quod tamen potuisset avertere; et tandem quod ex solo esu ex illa arbore universum genus humanum morti aeternae judicaretur. Quis non videt quod haec contra Divinum amorem, et contra Divinam providentiam et praevidentiam essent? praeter plura alia, quae intellectus caecutiens simpliciter crederet. Sed usque nihil nocet ut illa secundum litteram historicam ab infantibus et simplicibus credantur,

quoniam illa sicut reliqua Verbi conjungunt mentes humanas mentibus angelicis; nam angeli in spirituali sensu sunt quando homines in naturali sensu. Quid autem historica illa in spirituali sensu involvunt, paucis dicetur. Agitur in primo capite de nova creatione seu instauratione ecclesiae, quae fuit ecclesia antiquissima in hac tellure, et quoque omnium praestantissima; fuit enim ecclesia caelestis, quia in amore in Dominum; inde homines illius ecclesiae fuerunt sapientissimi, communicationem paene immediatam habentes cum angelis caeli, per quos a Domino illis fuit sapientia: et quia in amore in Dominum fuerunt, et ex caelo revelationes habuerunt, et quia vera Divina revelata statim mandaverunt vitae, inde in simili statu fuerunt in quo sunt angeli tertii caeli; quare id caelum ex illius ecclesiae hominibus primario consistit. Haec ecclesia intelligitur per "Adamum et ejus uxorem;" per "hortum" autem in Edene significatur intelligentia et sapientia illorum, et quoque describitur per omnia illa in sensu spirituali intellecta, quae de horto illo memorantur; et quomodo sapientia in posteritate illorum deperdita fuit, describitur per "esum ex arbore scientiae:" per binas enim "arbores" in medio horti positas intelligitur perceptio a Domino et perceptio a mundo; per "arborem vitarum" perceptio a Domino, et per "arborem scientiae boni et mali" perceptio a mundo, quae tamen in se est modo cognitio et scientia: per "serpentem" autem, qui seduxit illos, significatur sensuale hominis, quod immediate communicat cum mundo; quare per seductionem illorum a "serpente" intelligitur seductio a sensuali, quod omnia sua haurit ex mundo et nihil ex caelo: caelestis enim ecclesiae homines tales sunt, ut omnia vera et bona caeli percipiant a Domino per influxum in interiora eorum; unde vera et bona vident intus in se sicut insita, nec opus habent illa via posteriore addiscere, ac memoriam illis locupletare; inde nec ratiocinantur de veris, num ita sit, vel non ita; qui enim videt vera in se, non ratiocinatur, nam ratiocinari involvit dubitationem num ita sit; quae etiam causa est quod nusquam nominent fidem, nam fides involvit ignotum quid, quod usque credendum est tametsi non videtur. Quod homines Ecclesiae Antiquissimae tales fuerint, revelatum mihi est e caelo; datum enim est loqui cum illis ac informari, ut constare

potest ex pluribus quae de hominibus illius ecclesiae in *Arcanis Caelestibus* relata sunt. At sciendum est quod nusquam illis vetitum fuerit comparare sibi cognitiones boni et mali e caelo, per illas enim perficiebatur intelligentia et sapientia illorum: nec vetitum fuit comparare sibi cognitiones boni et mali e mundo, inde enim scientia naturali eorum homini; sed vetitum fuit has cognitiones intueri via posteriore, quia datum est illis videre omnia, quae in mundo coram oculis eorum apparuerunt, via priore; via priore intueri mundum, ac illa quae ibi, et inde cognitiones haurire, est intueri illas ex luce caeli, et sic cognoscere quale eorum; quare etiam per cognitiones e mundo potuerunt confirmare caelestia, et sic sapientiam suam corroborare; at illis vetitum fuit intueri cognitiones e mundo via posteriore, quod fit quando ex illis concluditur de caelestibus, sic inverso ordine, qui ordo ab eruditis vocatur ordo influxus physici seu influxus naturalis, qui nullatenus datur in caelestia. Tales facti sunt homines Antiquissimae Ecclesiae, quando coeperunt amare mundana prae caelestibus, et se ex sapientia sua efferre et gloriari; inde posteri eorum sensuales facti sunt, et tunc sensuale eorum, quod intelligitur per "serpentem," seduxit illos; et sensuale non alia via, quam posteriore, progredi vult. Hoc itaque est quod significatur per "arborem scientiae boni et mali," e qua comedere illis prohibitum fuit. Quod licuerit illis comparare sibi cognitiones e mundo, et illas via priore intueri, significatur per quod "Jehovah Deus progerminare fecerit ex humo omnem arborem desiderabilem aspectu, et bonum ad esum;" per "arbores" enim significantur cognitiones et perceptiones; per "desiderabile aspectu" significatur quod desiderat intellectus, et per "bonum ad cibum" significatur quod conducit ad nutritionem mentis: cognitiones boni et mali a Domino ex quibus sapientia, et cognitiones boni et mali e mundo ex quibus scientia, repraesentabantur per "arborem vitarum" et per "arborem scientiae boni et mali" in medio horti: quod licuerit illis adpropriare sibi cognitiones undequaque, tam ex caelo quam ex mundo, modo non inverso ordine procederent, ratiocinando ex illis de caelestibus, et non cogitando ex caelestibus de mundanis, significatur per quod "praeceperit Jehovah Deus ut ex omni arbore

horti comedant, sed non ex arbore scientiae boni et mali;" quod peritura sit tunc sapientia caelestis et ecclesia apud illos, significatur per "In die quo ederis ex illa, moriendo morieris;" "comedere" in sensu spirituali significat appropriare sibi: quod sensuale seduxerit illos, quia id proxime exstat mundo, et inde omne volupe et jucundum ex mundo sentit, ex quibus in fallaciis est, ac ignorat et quoque rejicit caelestia, significatur per "serpentem;" "serpens" est sensuale, et non aliud sensuale quam ipsorum; quod serpens sit "diabolus et satanas," est quia sensuale communicat cum inferno ac unum facit cum illo, ei enim insidet omne malum hominis in complexu; et quia homo ex sensuali ratiocinatur ex fallaciis, et ex jucundis amorum mundi et corporis, et quidem solerter et astute, ideo dicitur serpens "astutus prae omni fera agri quam fecerat Jehovah Deus;" "fera agri" in sensu spirituali significat affectionem naturalis hominis: quoniam sensuale putat quod sapientia comparetur per cognitiones e mundo, et per scientias naturales, et non per aliquem influxum e caelo a Domino, ideo ex illa inscitia et fallacia dixit serpens ad mulierem, "Non morimini, quia novit Deus quod in die quo edatis de eo, et aperiantur oculi vestri, et sitis sicut Deus, scientes bonum et malum;" credit enim sensualis homo quod omnia sciat, et nihil eum lateat; secus ac caelestis homo, qui scit quod nihil sciat ex se, sed ex Domino, et quod novit, tam parum sit, ut vix aliquid respective ad id quod non novit: immo credidit posteritas illorum quod essent dii, et quod scirent omne bonum et omne malum; at ex malo non scire potuerunt bonum caeleste, sed modo bonum terrestre et corporeum, quod tamen in se non est bonum; sed ex bono caelesti potest homo scire malum. Quod affectio naturalis hominis persuasa a suo sensuali putaverit per scientiam cognitionum e mundo intelligentiam in rebus caeli et ecclesiae comparari, significatur per quod "viderit mulier quod bona arbor ad esum, et quod appetibilis oculis, ac desiderabilis ad dandum intelligentiam;" per "mulierem" hic significatur affectio naturalis hominis, quae sua desideria trahit ex sensuali, et illa affectio talis est: quod illa affectio etiam seduxerit rationale, significatur per quod "mulier sumpserit ex fructu illius arboris et ederit, ac dederit viro suo secum,"

et quod "is comederit;" per "virum mulieris" significatur rationale; quod tunc viderint se absque veris et bonis, significatur per quod "tunc aperti sint oculi amborum, et cognoverint quod nudi illi;" "nuditas," quae erubescitur, significat deprivationem amoris caelestis et inde boni et veri: et quod tunc induerint se veris naturalibus, ne apparerent deprivati veris caelestibus, significatur per quod "consuerint folium ficus, et fecerint sibi cingula;" "ficus" significat naturalem hominem, et "folium ejus" significat verum scientificum. Describitur postea sensuale eorum quale factum est, nempe quod se prorsus averterit a caelo, et converterit ad mundum, et sic non aliquod Divinum receperit, per maledictionem serpentis; nam sensuale apud hominem non potest reformari, quare modo removetur cum homo reformatur, quoniam sensuale adhaeret corpori et exstat mundo, et ideo jucunda inde, sicut sentit, vocat bona: inde est quod dicatur quod "Semen mulieris conculcabit illi caput, et ille laedet calcaneum Ejus;" per "Semen mulieris" intelligitur Dominus, per "caput serpentis" omne malum, et per "calcaneum Domini" significatur Divinum Verum in ultimis, quod apud nos est sensus litterae Verbi; hunc sensualis homo, seu sensuale hominis, pervertit et falsificat, et sic laedit. Quod sensus litterae tutetur ne adeatur Dominus nisi quam per apparentias veri, et non per genuina vera, ab illis qui in malis sunt, significatur per "cherubos," qui cum flamma gladii vertentis se positi [1]sunt ad hortum Edenis, ad custodiendum viam arboris vitarum. (Sed haec et reliqua illorum capitum videantur in *Arcanis Caelestibus* explicata.)

740[*a*]. ***"Vocatus diabolus et satanas."***—Quod [2]significet *quia interius sunt in malis et in falsis quae ab inferno*, constat ex significatione "diaboli et satanae," quod sit infernum quoad mala et quoad falsa (de qua sequitur); quod sint qui [interius] in malis et inde falsis sunt, est quia illi qui hic per "draconem" intelliguntur, [et qui] vocantur "diabolus et satanas," non exterius tales sunt, sed interius; [3]exterius enim loquuntur sicut homines ecclesiae, et quidam sicut angeli caeli, de Deo, de Domino, de fide et amore in Ipsum, deque caelo et inferno, et ex Verbo multa depromunt per quae sua dogmata confirmant; inde est quod per exteriora haec conjuncti sint caelo, at vero inte-

rius non illis afficiantur, minus delectentur, sed solum afficiuntur et delectantur corporeis et mundanis, usque adeo ut caelestia respective nihili pendant: verbo, corporea et mundana super omnia amant, et caelestia solum ut servitia, sic ut illa quae corporis et mundi sunt, faciant caput, ac caelestia pedes. Tales sunt quia vitam nihili faciunt, dicentes quod sola fides salvet, et non aliquod bonum vitae: inde est quod diaboli et satanae sint, nam homo talis est qualis est interius, et non qualis est solum exterius, nisi exterius loquatur et agat ex interiori: talis etiam manet post mortem; nam qualis homo est interius, talis etiam est quoad spiritum, et spiritus hominis est affectio, ex qua voluntas et inde vita; inde sequitur quod illi qui nihili faciunt vitam, interius diaboli et satanae sint, et quoque post exactam vitam in mundo, dum fiunt spiritus, diaboli et satanae fiant. Quod dicantur "diabolus et satanas," est quia per "diabolum" significatur infernum, pariter per "satanam," sed per "diabolum" significatur infernum unde mala, et per "satanam" infernum unde falsa; quod hoc infernum dicatur Satanas, est quia omnes qui in eo sunt vocantur satanae; et quod illud infernum dicatur Diabolus, est quia omnes qui ibi sunt dicuntur diaboli: quod non aliquis diabolus et satanas ante creationem mundi fuerit, qui fuerat lucis angelus, et postea cum turba sua dejectus in infernum, constare potest ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno* (n. 311–316) ostensa sunt, ubi actum est de eo, Quod Caelum et Infernum sint ex Humano Genere. Sciendum est quod sint duo regna in quae distincti sunt caeli, nempe regnum caeleste et regnum spirituale (de quibus etiam videatur opus *De Caelo et Inferno*, n. 20–28). His duobus regnis ex opposito correspondent duo regna in quae inferna distincta sunt; regno caelesti ex opposito correspondet regnum infernale quod ex diabolis consistit, et inde vocatur Diabolus; et regno spirituali ex opposito correspondet regnum infernale quod ex satanis consistit, et inde vocatur Satanas. Et quia regnum caeleste consistit ex angelis qui in amore in Dominum sunt, ita regnum infernale regno caelesti ex opposito correspondens consistit ex diabolis qui in amore sui sunt; inde est quod ex illo inferno mala omnis generis effluant: et quia regnum spirituale consistit ex angelis qui in charitate erga proximum sunt, ita regnum infernale

regno spirituali ex opposito correspondens consistit ex satanis qui in falsis ex amore mundi sunt; inde est quod ex illo inferno falsa omnis generis effluant.

[*b.*] Ex his constare potest quid significat "diabolus" et quid "satanas" in sequentibus locis:—Apud *Evangelistas*,

> "Jesus deductus est in desertum..., ut tentaretur a diabolo" (*Matth.* iv. 1, seq.; *Luc.* iv. [1]1–13):

quid per "desertum," et quid per "tentationes" Domini quadraginta diebus et quadraginta noctibus, significatur, supra (n. 730[*e*]) ostensum est: quod "a diabolo" dicatur tentatus, significat quod ab infernis unde mala, ita a pessimis; nam illa inferna primario pugnabant contra Divinum Amorem Domini; nam amor in illis infernis regnans est amor sui, et hic amor est oppositus amori Domini, ita amori qui a Domino. Apud *Matthaeum*,

> "Zizania sunt filii mali, inimicus..qui seminat..est diabolus" (xiii. 38, 39):

"zizania" significant falsa doctrinae, religionis et cultus, quae ex malo sunt; quare etiam vocantur "filii mali;" et quia malum producit illa, dicitur quod "diabolus" sit qui seminat illa. Apud *Lucam*,

> "Qui..super via, sunt audientes, postea venit diabolus, et aufert verbum e corde eorum, ut non credant et salventur" (viii. 12);

et apud *Marcum*,

> "Hi..sunt qui super viam, ubi seminatur verbum, et quando audiverint, statim venit satanas, et aufert verbum seminatum in cordibus eorum" (iv. 15):

de hoc apud *Lucam* dicitur "diabolus," et apud *Marcum* "satanas," ex causa, quia per "semen quod cecidit super viam" significatur verum e Verbo quod solum recipitur memoria et non vita; hoc quia aufertur tam a malo quam a falso, ideo dicitur "diabolus" et "satanas;" inde est quod apud *Lucam* dicatur quod "veniat diabolus et auferat verbum e corde eorum, ut non credant et salventur;" et apud *Marcum*, quod "veniat satanas et auferat verbum seminatum in cordibus eorum." Apud *Matthaeum*,

> "Rex dicet eis a sinistris, Discedite a Me, maledicti, in ignem aeternum paratum [2]diabolo et angelis ejus" (xxv. 41):

quod hic dicatur "diabolus," est quia haec dicta sunt de

illis qui non bona, et ideo mala fecerunt; nam qui non bona opera faciunt, illi mala opera faciunt; recensentur enim opera in praecedentibus quae non fecerunt; nam cum bona vilipenduntur, mala amantur. Vocatur Judas Ischarioth a Domino

> "Diabolus" (*Joh.* vi. 70); et dicitur quod diabolus injecerit in cor ejus (*Joh.* xiii. 2); et quod post assumptam offulam satanas ingressus sit in [1]eum (*Joh.* xiii. 27; *Luc.* xxii. 3):

causa quod ita dicatur, est quia per Judam Ischarioten repraesentati sint Judaei, qui quia in falsis ex malo fuerunt, ex malo vocatur "diabolus," et ex falsis "satanas:" quare dicitur quod "diabolus injecerit in cor ejus;" "injicere in cor" est in amorem qui voluntatis ejus: et quod "satanas post assumptam offulam ingressus sit in eum;" "ingredi in eum cum offula" est in ventrem; et "ingredi in ventrem" est in cogitationem, et falsa ex malo sunt cogitationis. Apud *Johannem*,

> Jesus ad Judaeos, "Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere; is homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit, quia non veritas in eo; quando loquitur mendacium, ex proprio loquitur" (viii. 44):

describitur hic gens Judaica, qualis ab initio fuerat, quod nempe in malo et inde falsis; per "patrem diabolum" intelligitur malum ex inferno in quo fuerunt patres eorum in Aegypto et postea in deserto; quod voluerint in malis cupiditatum suarum esse, intelligitur per quod "desideria patris vestri vultis facere;" quod omne verum intellectus destruxerint, significatur per quod "homicida fuerit ab initio, et in veritate non steterit, quia non veritas in eo;" "homo" significat verum intelligentiae; inde "homicida," destructorem ejus: falsa ex malo eorum significatur per [quod] "quando loquitur mendacium, ex proprio loquatur;" "proprium" significat malum voluntatis, ac "mendacium" significat falsum inde. Apud *Matthaeum*,

> Pharisaei dixerunt de Jesu, "Non ejicit daemonia nisi per Beelzebul, principem daemoniorum; sciens..Jesus cogitationes illorum dixit illis,....Si Satanas satanam ejicit, contra se ipsum divisus est; quomodo..regnum illius stabit? ....Si Ego in spiritu Dei ejicio daemonia, utique pervenit ad vos regnum Dei" (xii. 24, [25,] 26, 28):

quod hic "satanas," et non diabolus, dicatur, est quia per "Beelzebulem," qui fuerat deus Ekronis, intelligitur deus

omnium falsorum; nam *Beelzebul*, si interpreteris, est Dominus muscarum, et "muscae" significant falsa sensualis hominis, ita falsa omnis generis; inde est quod Beelzebul dicatur Satanas: quare etiam dixit Dominus, "Si Ego in spiritu Dei ejicio daemonia, utique pervenit ad vos regnum Dei;" per "spiritum Dei" intelligitur Divinum Verum procedens a Domino, et per "regnum Dei" inde significatur caelum et ecclesia quae in Divinis veris. Apud *Evangelistas*,

> **Petrus increpans Jesum, quod vellet pati; et Jesus "conversus dixit Petro, Abi post Me, Satana; scandalum..es; quia non sapis quae Dei sunt, sed quae hominum" (*Matth.* xvi. 22, 23; *Marc.* viii. [32,] 33):**

quod haec a Domino dicta sint Petro, est quia "Petrus" in sensu repraesentativo significabat fidem; et quia fides est veri, et quoque falsi, ut hic, ideo Petrus vocatur Satanas, nam, ut dictum est, "satanas" est infernum unde falsa. Petrus repraesentabat fidem in utroque sensu, nempe fidem ex charitate, et fidem absque charitate; et fides absque charitate est fides falsi: etiam illi qui in fide absque charitate sunt se scandalizant ex eo, quod Dominus Se passus sit crucifigi; idcirco etiam vocatur "scandalum." Quia passio crucis fuit ultima tentatio Domini et plena victoria super omnia inferna, et quoque plena unio Ipsius Divini cum Divino Humano, et hoc ignorant illi qui in fide falsi sunt, ideo dixit Dominus, "Non sapis quae Dei sunt, sed quae hominum." Apud *Lucam*,

> **Jesus dixit Simoni, "Ecce satanas expostulavit vos, ut cribraret vos sicut triticum: Ego vero oravi pro te, ut non desinat fides tua; tu ergo, quando conversus fueris, confirma fratres tuos" (xxii. 31, 32):**

hic quoque Petrus repraesentat fidem absque charitate, quae fides est fides falsi; nam haec illi a Domino dicta sunt mox antequam ter abnegavit Ipsum: quia repraesentabat fidem, ideo dicit Dominus, "Ego oravi pro te, ne desinat fides tua;" quod repraesentaverit fidem falsi, constat ex eo, quod Dominus dixerit, "Tu ergo, quando conversus fueris, confirma fratres tuos:" quia fides falsi est sicut palea coram vento, ideo dicitur quod "Satan expostulaverit eos, ut cribraret eos sicut triticum;" "triticum" est bonum charitatis separatum a palea; inde patet, cur dicitur "satanas." Apud eundem,

"Vidi satanam sicut fulmen e caelo cadentem" (x. 18):

per "satanam" hic simile significatur quod per "draconem," qui quoque in caelo visus est, ac e caelo projectus; sed "draco" est qui proprie intelligitur per "diabolum," ac "angeli ejus" qui intelliguntur per "satanam." Quod per "angelos draconis" intelligantur falsa mali, in subsequente paragrapho videbitur; quod "satanas deciderit e caelo," significat quod Dominus per Divinum Verum, quod tunc Ipse fuit, e caelo omnia falsa expulerit, et quod subjugaverit illa inferna quae "satanas" vocantur, similiter quod Michael dejecerit "draconem et angelos ejus" (de quibus mox supra, n. 737).

[c.] Apud *Hiobum*,

"Fuit dies cum venerunt filii Dei ad standum juxta Jehovam, et venit Satan in medio illorum; et dixit Jehovah ad Satanam, Unde venis? Et respondit Satanas Jehovae, et dixit, A pervagando terram, et ab ambulando per eam." Et dedit Jehovah Satanae in manum omnia Hiobi, sed ne in illum mitteret manum; ac postea ut tangeret os et carnem ejus ([1]i. 6–12; cap. [2]ii. 1–7):

quod haec sint historica facta, ex pluribus in illo Libro constare potest. *Liber Hiobi* est liber Ecclesiae Antiquae, plenus correspondentiis, secundum modum scribendi illius temporis; sed usque est liber praestans et utilis. Angeli eo tempore dicti fuerunt "filii Dei," quia per "filios Dei," aeque ac per "angelos," intellecta sunt Divina vera, ac per "satanam" infernalia falsa: et quia inferna tentant homines per falsa, ut postea Hiobum, et quia infernalia falsa discutiuntur per Divina vera, ideo dicitur quod "Satanas steterit in medio filiorum Dei." Quid reliqua significant, hic explicare intermittitur, quoniam illa in sua serie lustranda sunt. Apud *Davidem*,

"Ponunt super me malum pro bono, et odium pro amore meo; praefice illi improbum, et satanas stet ad dextram ejus" (Ps. cix. 5, 6):

hoc, sicut pleraque in psalmis Davidis, est propheticum de Domino, et de tentationibus Ipsius, quas prae omnibus immanissimas sustinuit; et quia Dominus in tentationibus suis ex Divino Amore contra inferna, quae Ipsi infensissima fuerunt, pugnavit, dicitur, "Ponunt super me malum pro bono, et odium pro amore meo:" et quia infernale malum et falsum praevalet apud illos, dicitur, "Praefice illi improbum, et satanas stet ad dextram ejus;" "stare ad dextram"

significat prorsus occupari, et "satanas" significat falsum infernale, quo occuparetur. Apud *Sachariam*,

> "Postea ostendit mihi Jehoschuam sacerdotem magnum, stantem coram angelo Jehovae; et Satan stans ad dextram ejus ad adversandum illi: et dixit Jehovah ad Satanam, Increpet te Jehovah, eligens Hierosolymam; nonne illa titio ereptus ex igne? Et Jehoschua fuit indutus vestibus pollutis, sicque stans coram angelo" (iii. 1-3).

quid haec involvunt, non constare potest nisi ex serie rerum quae antecedunt et consequuntur; ex illa videri potest quod per ea repraesentatum sit quomodo Verbum falsificatum fuit; per "Jehoschuam sacerdotem magnum" significatur ibi Lex seu Verbum, et falsificatio ejus per quod "vestibus pollutis indutus steterit coram angelo:" inde patet quod per "satanam" ibi intelligatur falsum doctrinae ex falsificato Verbo; et quia id illo tempore incepit praevalere, visum Sachariae est quod "satanas steterit ad dextram ejus;" "stare ad dextram" significat pugnare contra Divinum Verum. Quoniam sensus litterae Verbi solum falsificari potest, ex causa quia illa solum apparenter vera sunt, et illi qui Verbum secundum litteram interpretantur aegre possunt redargui falsorum, dixit [1]Jehovah, "Increpet te Jehovah," sicut supra (n. 735), ubi explicatur quid significat quod "Michael cum diabolo disceptaverit de Mosis corpore," et quod Michael dixerit diabolo, "Increpet te Dominus" ([*Epist.*] *Jud.* vers. 9). Quia verum doctrinae ex Verbo intelligitur, quod falsificatum est, dicitur, "Jehovah eligens Hierosolymam; nonne illa titio ereptus ex igne?" Per "Hierosolymam" significatur doctrina ecclesiae, et per "titionem ereptum ex igne" significatur quod parum veri residuum sit. In his locis in Veteri Testamento solum "satanas" nominatur, et nullibi diabolus, sed pro illo dicitur "hostis," "inimicus," "osor," "adversarius," "accusator," "daemon," tum "mors" et "infernum." Ex his constare potest quod per "diabolum" significetur infernum unde mala, et per "satanam" infernum unde falsa; ut quoque in sequentibus in *Apocalypsi*,

> "Postea vidi angelum descendentem e caelo, qui habebat clavem abyssi, et catenam magnam super manu sua; hic comprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et vinxit eum mille annos. .... Et quando consummati fuerunt mille anni, solvetur satanas e custodia sua," et seducet gentes; "et diabolus, qui seduxit eos, conjectus est in stagnum ignis et sulphuris" (xx. 1, 2, 7, 8, 10).

Quid autem "daemon," "daemonium," et "spiritus daemonii" significant, videatur supra (n. 586).

741[a]. ***"Seducens universum orbem."***—Quod significet *quae pervertunt omnia ecclesiae*, constat ex significatione "universi orbis," quod sint omnia ecclesiae (de qua sequitur); et quia omnia ecclesiae per "universum orbem" significantur, per "seducere illum" significatur pervertere illa; nam pervertuntur omnia ecclesiae quando bonum charitatis, quod est bonum vitae, a fide separatur et removetur sicut nihil conducens et faciens ad salutem; inde falsificantur omnia Verbi, et inde omnia ecclesiae: nam dicitur a Domino, quod Lex et Prophetae pendeant a duobus mandatis, quae sunt amare Deum super omnia, et proximum sicut te ipsum; haec duo mandata significant vivere et facere secundum praecepta Verbi; nam "amare" est velle et facere, quod enim homo interius amat, hoc vult, et quod vult hoc facit: per "Legem et [1]Prophetas" significantur omnia Verbi. Sunt duo principia mali et falsi in quae ecclesia successive labitur: nempe, in dominium super omnia ecclesiae et caeli, quod dominium in Verbo intelligitur per "Babelem" seu "Babyloniam;" in hoc labitur ecclesia ex malo: altera est separatio fidei a charitate, ex qua separatione omne bonum vitae perit; hoc in Verbo intelligitur per "Philisthaeam," ac significatur per "hircum" apud *Danielem*, et per "draconem" in *Apocalypsi;* in hoc labitur ecclesia ex falso. Sed quia in hoc capite agitur de "dracone," per quem primario significatur religio fidei separatae a charitate, velim aliqua in medium afferre per quae defensores fidei separatae seducunt orbem. Per hoc imprimis seducunt, quod doceant, [2]quod, quia nemo potest facere bonum ex se ipso quod in se est bonum, et nisi in eo sit meritum, [2]quod bona opera nihil ad salutem possint conferre; sed quod usque bona facienda sint propter usus reipublicae, et quod haec bona sint quae intelliguntur in Verbo, et inde in praedicationibus, et in quibusdam precationibus ecclesiae: sed quantum errant, nunc dicetur. Homo non facit bonum a se ipso, sed ex Domino, quando facit bonum ex Verbo, hoc est, quia mandatum est a Domino in Verbo; nam Dominus est Verbum (*Joh.* i. 1, 14), ac Dominus est in illis quae ex Verbo sunt apud hominem, quemadmodum etiam Dominus docet apud *Johannem*,

> Qui Verbum meum servat,....ad illum veniam, et mansionem apud illum faciam (xiv. 23).

Inde est, quod Dominus toties mandet quod facient verba et praecepta Ipsius, et quod vitam aeternam habituri qui faciunt, tum quod quisque secundum opera judicabitur. Inde nunc sequitur quod qui bonum faciunt ex Verbo bonum faciant ex Domino; et bonum a Domino est vere bonum, et quantum est a Domino tantum in eo non est meritum. Quod bonum ex Verbo, ita ex Domino, sit vere bonum, etiam constat ex his in *Apocalypsi*,

> "Sto ad ostium, et pulso; si quis audiverit vocem meam, et aperuerit ostium, ingrediar ad eum, et cenabo cum eo, et ille Mecum" (iii 20):

inde patet quod Dominus jugiter et continue praesens sit, et det conatum faciendi bonum, sed quod homo aperiturus sit ostium, hoc est, recepturus Dominum; et tunc recipit Ipsum quum bonum facit ex Ipsius Verbo. Hoc tametsi homini apparet fieri sicut a se, usque tamen non est hominis, sed Domini apud illum. Quod homini ita appareat, est quia non aliter sentit quam quod cogitet ex se, et faciat ex se, cum tamen dum ex Verbo cogitat et facit, est sicut a se; quare etiam tunc credit quod sit a Domino. Ex his videri potest quod bonum quod homo facit ex Verbo sit bonum spirituale, et quod id conjungat hominem Domino et caelo; at bonum quod homo facit pro mundo et pro societatibus in mundo, quod bonum civile et bonum morale vocatur, conjungit illum mundo et non caelo: et praeterea conjunctio veri fidei est cum bono spirituali, quod est bonum charitatis erga proximum, ex causa quia fides in se est spiritualis, ac spirituale non potest cum alio bono conjungi quam quod aeque est spirituale; bonum autem civile et morale, separatum a bono spirituali, non est bonum in se, quia est ab homine; immo quantum sui et mundi in illo latet, tantum est malum; quare hoc non potest conjungi cum fide; immo si conjungeretur, dissiparet fidem.

[*b*.] Quod "seducere universum orbem" significet pervertere omnia ecclesiae, est quia per "orbem" in genere significatur ecclesia quoad omnia ejus, tam bona quam vera; at in specie significatur ecclesia quoad bonum, et

hoc significatur per "orbem" quando etiam "terra" dicitur. Quod per "terram" in Verbo significetur ecclesia, supra (n. 304, 697) ostensum est; sed cum "orbis" simul dicitur, per "terram" significatur ecclesia quoad verum: sunt enim duo quae faciunt ecclesiam, nempe verum et bonum; haec duo significantur per "terram" et "orbem" in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Anima mea desideravi Te nocte, etiam spiritu meo in medio mei exspectavi Te mane, nam quando judicia tua terram doces, justitiam discunt habitatores orbis" ([1]xxvi. 9):

per "noctem" significatur status quando non lux veri est, et per "mane" significatur status quando lux veri est; hic status est ex amore, ille autem cum nondum amor; quare per "animam" qua desideravit Jehovam nocte, significatur vita quae nondum in luce veri est, et per "spiritum in medio ejus" quo exspectavit Jehovam mane, significatur vita quae in luce veri est: inde sequitur hoc ibi, "nam quando judicia tua terram doces, justitiam discunt habitatores orbis;" per quae significatur quod ecclesia a Domino in veris sit, et per vera in bono; "terra" significat ecclesiam quoad vera, et "orbis" ecclesiam quoad bonum, nam "judicium" in Verbo dicitur de vero, ac "justitia" de bono, et quoque "habitatores" significant homines ecclesiae qui in bonis doctrinae et inde vitae sunt. (Quod "judicium" in Verbo dicatur de vero, ac "justitia" de bono, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 2235, 9857; et quod "habitare" significet vivere, et inde "habitatores" illos qui in bono doctrinae et inde vitae sunt, videatur supra, n. 133, 479, 662.) In *Threnis*,

"Non crediderunt reges terrae, omnes habitatores orbis, quod venturus esset inimicus et hostis in portas Hierosolymae" (iv. 12):

per "reges terrae" significantur homines ecclesiae qui in veris sunt, et per "habitatores orbis" homines ecclesiae qui in bono sunt; quod "reges" significent illos qui in veris sunt, videatur supra (n. 31, 553, 625); et quod "habitatores" significent illos qui in bono sunt, mox supra ostensum est; inde patet quod "terra" significet ecclesiam quoad vera, et "orbis" ecclesiam quoad bonum: et quia a falsis et malis destructa sunt omnia doctrinae ecclesiae, dicitur quod "non crediderint quod venturus esset inimicus et hostis in portas Hierosolymae;" "inimicus" significat falsa quae destruxerunt vera ecclesiae, quae intelliguntur per "reges terrae," ac "hostis" significat mala quae destruxe-

runt bona ecclesiae, quae intelliguntur per "habitatores orbis;" "Hierosolyma" est ecclesia quoad doctrinam. Apud *Davidem*,

> "Timeant a Jehovah omnis terra, ab Illo extimescant omnes habitatores orbis" (Ps. xxxiii. 8):

hic quoque per "terram" significantur illi qui in veris ecclesiae sunt, et per "habitatores orbis" illi qui in bonis ecclesiae sunt. Apud eundem,

> "Jehovae terra et plenitudo ejus, orbis et habitantes in eo; Ille..super maria fundavit eum, et super flumina stabilivit eum" (Ps. xxiv. 1, 2):

per "terram" etiam hic significatur ecclesia quoad verum, "plenitudo ejus" significat omnia vera in complexu; ac per "orbem" significatur ecclesia quoad bonum; "habitantes" significant bona in complexu: quid per "fundare eum super maria, et stabilire eum super flumina," significatur, videatur supra (n. 275[a], 518[d]). Apud *Esaiam*,

> "Concepimus, parturivimus, quasi peperimus ventum; salutes non fecimus terrae, [1]et [non] ceciderunt habitatores [2]orbis" (xxvi. 18):

hic quoque "terra" pro ecclesia quoad vera, et "orbis" pro ecclesia quoad bona. (Reliqua supra, n. 721[a], explicata sunt.) Apud eundem,

> "Appropinquate gentes ad audiendum, et populi auscultate; audiat terra et plenitudo ejus, orbis et omnes prognati ejus" (xxxiv. 1):

quod per "gentes" intelligantur illi qui in bonis sunt, et per "populos" illi qui in veris, videatur supra (n. 175, 331, 625); quare etiam dicitur, "Audiat terra et plenitudo ejus, orbis et omnes prognati ejus," nam per "terram et plenitudinem ejus" significatur ecclesia quoad omnia vera, et per "orbem et omnes prognatos ejus" ecclesia quoad omnia bona. Apud eundem,

> "Omnes habitatores orbis et incolae terrae, quando tolletur signum montium, aspicite; et cum clangetur buccina, audite" (xviii. 3):

per "habitatores orbis" et "incolas terrae" significantur omnes in ecclesia qui in bonis et in veris sunt (ut supra): adventus Domini significatur per "Quando tolletur signum montium, aspicite; et cum clangetur buccina, audite;" "signum super montibus" significat convocationem ad ecclesiam, similiter "buccina" qua clangebatur.

[c.] Apud *Davidem*,

"Coram Jehovah quia venit, quia venit ad judicandum terram, judicabit orbem in justitia, et populos in veritate" (Ps. xcvi. 13; Ps. xcviii. 9):

haec de adventu Domini, ac de ultimo judicio tunc: quia per "orbem" significantur illi ab ecclesia qui in bono sunt, et per "populos" illi qui in veris, ideo dicitur quod "judicabit orbem in justitia, et populos in veritate;" "justitia" dicitur de bono, similiter ut "orbis." Apud eundem,

"Antequam montes nati sunt, et formata est terra et orbis, ab aeterno et usque ad aeternum Tu Deus" (Ps. xc. 2):

per "montes" significantur illi qui super montibus in caelis habitant, qui sunt qui in bono caelesti sunt; per "terram" autem et "orbem" significatur ecclesia ex illis qui in veris et in bonis sunt. Apud eundem,

"Jehovah regnat, majestatem induit; induit Jehovah robur, accingit Se, etiam stabilietur orbis, nec dimovebitur; firmatus est thronus tuus ex tunc, ab aeterno Tu" (Ps. xciii. 1, 2):

haec de Domino in mundum venturo; et quia Ipsi gloria et potestas ex Humano quod univit Divino suo, dicitur quod "majestatem et robur induat," et quod "accingat Se;" nam Dominus Humanum assumpsit ut in potentia esset subjugandi inferna: ecclesia, quam instauraturus est, ac tutaturus in aeternum, significatur per "orbem" qui stabilietur nec dimovebitur, et per "thronum" qui firmabitur; per "orbem" enim significatur caelum et ecclesia quoad receptionem Divini Boni, ac per "thronum" caelum et ecclesia quoad receptionem Divini Veri. Apud eundem,

"Dicite inter gentes, Jehovah regnat, etiam orbis stabilietur nec dimovebitur; judicabit populos in rectitudinibus; laetabuntur caeli, et gaudebit terra" (Ps. xcvi. 10, 11):

etiam haec de Domino venturo, et de ecclesia ab Ipso instauranda ac tutanda in aeternum, quae significatur per "orbem" qui stabilietur nec dimovebitur (ut supra); et quia per "orbem" significatur ecclesia quoad bonum, ideo etiam dicitur de "populis" quos judicaturus est in rectitudinibus, per "populos" enim significantur qui in veris ecclesiae sunt, similiter ac per "terram;" quare dicuntur "populi terrae," et "habitatores orbis;" et "rectitudines" sunt vera: gaudium eorum qui in ecclesia in caelis sunt, et in ecclesia

in terris, significatur per quod "laetabuntur caeli, et gaudebit terra." Apud eundem

> Jehovah "judicabit orbem in justitia, judicabit populos in rectitudinibus" (Ps. ix. 9 [*B. A.* 8]):

quoniam per "orbem" intelligitur ecclesia quoad bonum, ac "justitia" dicitur de bono, ideo dicitur, "Jehovah judicabit orbem in justitia;" et quoniam "populi" dicuntur qui in veris, et "rectitudines" sunt vera (ut supra), ideo dicitur, "judicabit populos in rectitudinibus." Apud *Jeremiam*,

> "Jehovah facit terram per virtutem suam, et praeparat orbem per sapientiam suam, et per intelligentiam suam extendit caelos" (x. 12; cap. li. 15):

"Jehovah facit terram per virtutem suam" significat quod Dominus ecclesiam stabiliat per potentiam Divini Veri; "praeparat orbem per sapientiam suam" significat quod ecclesiam quae in bono formet ex Divino Bono per Divinum Verum; "per intelligentiam suam extendit caelos," [1]significat quod sic amplificet caelos. Apud *Davidem*,

> "Tui caeli et tua terra, orbem et plenitudinem ejus Tu fundasti" (Ps. lxxxix. 12 [*B. A.* 11]):

per "caelos et terram" significatur ecclesia in caelis et in terris, utraque quoad vera; ac per "orbem et plenitudinem ejus" significatur ecclesia in caelis et in terris, utraque quoad bona; "plenitudo" sunt bona et vera in toto complexu. Apud eundem,

> "Si esurirem, non dicerem tibi, quia Mihi orbis et plenitudo ejus" (Ps. l. 12):

haec dicta sunt de sacrificiis, quod Dominus illis non delectetur, sed confessione et operibus; nam sequitur,

> "Num comederim carnem robustorum, aut sanguinem hircorum biberim? Sacrifica Deo confessionem, et exsolve Altissimo vota tua" [(vers. 13, 14)]:

quare per "si esurirem" significatur si desiderarem sacrificia: sed quia Dominus cultum vult ex bonis et veris, dicitur, "Quia Mihi orbis et plenitudo ejus;" "plenitudo" significat bona et vera in toto complexu (ut supra): dicitur quidem hoc de bestiis quae sacrificarentur, sed per illas in sensu spirituali significantur varia genera boni et veri.

Apud *Matthaeum*,

"Praedicabitur hoc Evangelium regni in toto orbe, in testimonium omnibus, et tunc veniet finis" (xxiv. 14):

quoniam per "orbem" significatur ecclesia quoad bonum, ideo dicitur quod "praedicaretur id Evangelium omnibus gentibus," per "gentes" enim, qui audituri et recepturi, significantur omnes qui in bono sunt: tum etiam per "gentes" significantur omnes qui in malis sunt, qui etiam audituri; sed tunc per "orbem" significatur universa ecclesia jamdum in malis; inde etiam dicitur quod "tunc veniet finis." In *Libro Primo Samuelis*,

Jehovah "erigit e pulvere depressum, e sterquiliniis erigit egenum, ad faciendum sedere cum principibus, et thronum gloriae hereditare faciet eos, nam Jehovae bases terrae et disposuit super iis orbem" (ii. 8):

propheticum Channae matris Samuelis; et per "erigere e pulvere depressum, et e sterquiliniis egenum," significatur instructio gentium, ac illustratio in interioribus veris, quae a Domino revelarentur; ita quoque remotio a malis et falsis: per "bases terrae" significantur vera exteriora, qualia sunt sensus litterae Verbi; nam super illis fundantur vera interiora; quare per "orbem," quem super iis imposuit, significatur ecclesia quoad omnia bona et vera ejus. (Sed de his videatur supra, n. 253[b], 304[c].)

[d.] Apud *Esaiam*,

"Venturos radicabit Jacobus, efflorescet et florebit Israel, ita ut impleantur facies orbis proventu" (xxvii. 6):

per "Jacobum" intelligitur ecclesia externa, et per "Israelem" ecclesia interna; et quia internum ecclesiae fundatur super externis ejus, ac interna inde multiplicantur et fructificantur, dicitur quod "Jacobus venturos radicabit," et quod "Israel efflorescet et florebit;" fructificatio ecclesiae inde significatur per "ut impleantur facies orbis proventu." Apud eundem,

"Num hic vir commovens terram, tremefaciens regna, posuit orbem in desertum, et urbes ejus destruxit?.... Parate filiis ejus mactationem ob iniquitatem patrum eorum, ut non resurgant, possideantque terram, et impleantur facies orbis urbibus" (xiv. 16, 17, 21):

haec de Lucifero, per quem intelligitur Babel, hoc est, amor dominandi super caelum et super terram; quare per

"commovere terram, tremefacere regna, ponere orbem in desertum, et urbes ejus destruere," significatur destruere omnia ecclesiae; "terra" est ecclesia quoad verum, "regna" sunt ecclesiae distinctae secundum vera, "orbis" est ecclesia quoad bonum, et "urbes" sunt doctrinalia: per "ponere filiis ejus mactationem ob iniquitatem patrum eorum" significatur destructio falsorum oriundorum ex malis eorum; "ne possideant terram, et impleantur facies orbis urbibus," significat ne falsa et mala, et ex illis doctrinalia, universam ecclesiam occupent. Apud eundem,

> "Lugebit et confundetur terra, languescet et confundetur orbis, languescent, altitudo populi terrae, et ipsa terra profanabitur sub habitatoribus suis" (xxiv. 4, 5):

desolatio ecclesiae quoad vera et bona ejus, propter fastum propriae intelligentiae, ac profanatio veritatum quae ex bono sunt, ita describitur; desolatio describitur per "lugere" "confundi," et "languescere;" ecclesia quoad vera et quoad bona significatur per "terram" et per "orbem;" fastus propriae intelligentiae per "altitudinem populi terrae;" ac profanatio veritatum quae ex bono, per quod "terra profanabitur sub habitatoribus suis." Apud *Nahum*,

> "Montes contremiscent coram Ipso, et colles liquefient; comburetur terra coram Ipso, et orbis et omnes habitantes in eo" (i. 5):

quid significatur per "montes" qui contremiscent, et per "colles" qui liquefient, videatur supra (n. 400[*b*], 405); per "terram" autem, et per "orbem, et habitantes in eo," quae "combuerentur," significatur quod ecclesia, quoad omnia vera et bona ejus, per amorem infernalem peritura sit. Apud *Davidem*,

> "Apparuerunt alvei aquarum, ac revelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione tua, Jehovah, a flatu spiritus nasi tui" (Ps. xviii. 16 [*B. A.* 15]; [1]2 *Sam.* xxii. 16):

quod funditus eversa sint omnia ecclesiae quoad vera et quoad bona ejus, significatur per "Apparuerunt alvei aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis;" "alvei aquarum" sunt vera, et "fundamenta orbis" sunt bona ejus; "apparere" et "revelari" significat funditus everti: quod exitium illud sit ex odio et ex furore malorum contra Divina, significatur per "ab increpatione tua, Jehovah, et a flatu spiritus nasi tui;" per "increpationem" et "spiritum nasi

Jehovae" simile significatur quod per "iram" et "excandescentiam" Ipsius, alibi in Verbo; at quia non aliqua ira et excandescentia est Domino contra malos, sed malorum contra Dominum, et haec apparet illis, cum pereunt, sicut a Domino, ideo secundum apparentiam ita dicitur: etiam per "flatum spiritus nasi Jehovae" intelligitur ventus orientalis, qui exsiccando destruit, et penetrando evertit. Apud eundem,

> "Vox tonitrui..in orbem, illustrarunt fulgura orbem, commota est et contremuit terra" (Ps. lxxvii. 19 [*B. A.* 18]);
> "Illustrabunt fulgura Ipsius orbem, videbit et timebit terra, montes sicut cera liquefient coram Jehovah, coram Domino totius terrae" (Ps. xcvii. 4, 5):

per haec describitur status impiorum ex praesentia Domini in Divino suo Vero, qui status similis est statui filiorum Israelis, quando Dominus super Monte Sinai illis apparuit; quod tunc tonitrua audiverint, fulgura viderint, quodque mons apparuerit in igne consumente sicut fornacis, et quod illi trepidaverint, ex Verbo notum est; et hoc quia corde mali fuerunt; nam Dominus apparet cuivis secundum quale ejus, bonis sicut ignis recreans, et malis sicut ignis consumens: inde patet quid significatur per quod "vox tonitrui in orbem, illustrarunt fulgura orbem, commota est et contremuit terra," et quod "montes liquefient coram Jehovah Domino totius terrae;" per "orbem" intelliguntur omnes qui ab ecclesia in bonis, ibi qui in malis, et per "terram" omnes qui ab ecclesia in veris, ibi qui in falsis. Apud *Esaiam*,

> "Visitabo super orbem malitiam, et super impios iniquitatem eorum" (xiii. 11):

per "orbem" etiam hic intelliguntur qui ab ecclesia in malis sunt, et per "impios" illi qui in falsis; quare dicitur, "Visitabo super orbem malitiam, et super impios iniquitatem;" "malitia" est malum, et "iniquitas" dicitur de falsis. Apud *Hiobum*,

> "Impellent eum e luce in tenebras, et ex orbe excommunicabunt eum" (xviii. 18):

quoniam per "lucem" significatur verum, et per "orbem" bonum ecclesiae, ac impius dum ex vero in falsum etiam ex bono in malum se conjicit, ideo dicitur "Impellent

eum e luce in tenebras, et ex orbe excommunicabunt eum;" "tenebrae" sunt falsa, et "excommunicare ex orbe" est ejicere ex bono ecclesiae. Apud *Lucam*,

> "Exanimatis hominibus prae timore et exspectatione.., quae venient super terrarum orbem; nam virtutes caelorum commovebuntur: atque tunc videbunt Filium hominis venientem in nube" caelorum "cum virtute et gloria multa" (xxi. 26, 27):

haec de consummatione saeculi, quae est ultimum tempus ecclesiae, quando non aliquod verum est amplius, quia non bonum; status caeli tunc per illa verba describitur, quod nempe "exanimati erunt homines prae timore et exspectatione, quae venient super terrarum orbem," per quae describitur timor illorum qui in caelis sunt, quod periturum sit omne ecclesiae quoad bonum et inde quoad vera ejus, et exspectatio opis a Domino: quod potentia Divini Veri labefactata sit, significatur per "commotionem virtutum caelorum;" "virtutes caelorum" sunt Divina vera quoad potentiam: quod tunc Dominus manifestaturus sit Divinum Verum, cui potentia, et ex quo intelligentia, significatur per "Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube caelorum cum virtute et gloria multa." Similia significantur per "terram" et per "orbem" in sequentibus in *Apocalypsi*,

> "Sunt..spiritus daemonum facientes signa ad exeundum ad reges terrae et orbis terrarum totius, ad congregandum illos in bellum" (xvi. 14):

dicitur, "ad reges terrae et totius orbis terrarum," quia aliud ecclesiae per "terram" et aliud per "orbem" significatur. Quoniam per "orbem" significatur ecclesia quoad bonum, ideo per "orbem" significantur omnia ecclesiae; essentiale enim ecclesiae est bonum; quare ubi est bonum ibi etiam est verum, nam omne bonum desiderat verum, et vult conjungi vero, et ex eo spiritualiter nutriri; ita etiam reciproce.

742. ***"Projectus est in terram, et angeli ejus cum illo projecti sunt."***—Quod significet *quod mala illa et falsa inde damnata sint inferno*, constat ex significatione "projici in terram," quod sit separari a caelo, ac damnari inferno (de qua sequitur); et ex significatione "angelorum draconis," quod sint falsa [ex] malo, quod per "draconem" significatur; per "angelos caeli" enim in Verbo significantur

Divina vera, quia sunt receptiones eorum (videatur supra, n. 130, 302); inde per "angelos draconis" significantur infernalia falsa quae ex malo, quod per "draconem" significatur, procedunt: falsa illa, quae per "angelos draconis" significantur, sunt pleraque vera falsificata, quae in se sunt falsa, ut supra dictum est. Quod "projici in terram" sit damnari inferno, est quia hoc significatur cum dicitur "projici e caelo." Sunt in mundo spirituali terrae sicut in mundo naturali, plenae montibus et collibus, tum vallibus, ut et fluminibus; cum haec simul sumpta vocantur terra, tunc per "terram" significatur ecclesia; at cum ima terrae intelliguntur, sicut intelligitur per "projici e caelo in terram," tunc per "terram" significatur damnatum; quia sub imis illis sunt inferna, et quoque in infernis sunt terrae, sed terrae damnatae. Ex hac causa est quod nulli angelo mos sit prone seu nutante capite ire, et spectare terram, immo nec super terra in imis ejus jacere, nec aliquod pulveris inde desumere. Inde venit, quod qui in mundo damnaverunt alios inferno, soleant pulverem e terra illa desumptum projicere in alterum, nam hoc correspondet condemnationi illi; immo nec licet alicui nudis pedibus super terris illis ambulare. Illae terrae, quae damnatae sunt, internoscuntur probe a terris quae non damnatae sunt, ex eo, quod terra damnata sit prorsus sterilis et modo pulvis, ac hinc et inde spinis et sentibus obsita; at terra non damnata est fecunda, plena herbis, virgultis, arboribus et quoque agris. Inde ritus in Ecclesia repraesentativa Judaica solennis fuit, se projicere in terram, se volutare ibi, ac inde pulverem super caput spargere, quando in magno luctu propter clades ab hostibus, ac propter violentiam illatam sanctuariis illorum, fuerunt; per quae repraesentabant quod agnoscerent se ex semet damnatos esse; sic humillimo gestu sollicitantes ut remitterentur illis peccata eorum. Quod illi qui per "draconem" et per "angelos ejus" intelliguntur, separati fuerint e caelo, ac damnati inferno, dum ultimum judicium peragebatur, et quoque postea, mihi datum est oculo teste videre, de qua re tamen ad finem hujus operis plura dicentur. Ex his constare potest quod per "projici e caelo in terram" significetur damnari inferno.

VERSUS 10–12.

743. ***"Et audivi vocem magnam dicentem in caelo, Nunc facta est salus et potentia et regnum Dei nostri, et [potestas] Christi Ipsius, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, accusans illos coram Deo nostro dies et noctes. Et illi vicerunt eum per sanguinem Agni, et per Verbum testimonii illorum, et non dilexerunt animam suam usque ad mortem. Propter hoc gaudete, caeli, et in illis habitantes; vae habitantibus terram et mare, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod exiguum tempus habeat."***

10. ***"Et audivi vocem magnam dicentem in caelo,"*** significat *gaudium angelorum caeli ex luce et sapientia tunc apud illos* [n. 744]; ***"Nunc facta est salus et potentia et regnum Dei nostri, et potestas Christi Ipsius,"*** significat *quod nunc potentia Domino salvandi illos qui ab ecclesia Ipsius sunt, per Divinum suum Verum, qui corde et anima id recipiunt* [n. 745]; ***"quia projectus est accusator fratrum nostrorum,"*** significat *postquam separati a caelo sunt ac damnati inferno illi qui impugnaverunt vitam fidei quae est charitas* [n. 746]; ***"accusans illos coram Deo [nostro] dies et noctes,"*** significat *et objurgarunt illos et litigaverunt cum illis ex Verbo continue* [n. 747].

11. ***"Et illi vicerunt eum per sanguinem Agni,"*** significat *resistentiam et victoriam per Divinum Verum procedens ex Divino Humano Domini* [n. 748]; ***"et per verbum testimonii eorum,"*** significat *et per confessionem et agnitionem Divini in Humano Ipsius* [n. 749]; ***"et non dilexerunt animam suam usque ad mortem,"*** significat *fideles qui propter illa vera tentationes passi sunt, ac vitam mundi prae vita caeli nihili fecerunt* [n. 750.]

12. ***"Propter hoc gaudete, caeli et in illis habitantes,"*** significat *salvationem et inde gaudium illorum qui spirituales per receptionem Divini Veri fiunt* [n. 751]; ***"vae habitantibus terram et mare,"*** significat *lamentationem super illos qui mere naturales et sensuales fiunt* [n. 752]; ***"quia descendit diabolus ad vos,"*** significat *quia recipiunt mala ex inferno* [n. 753]; ***"habens iram magnam,"*** significat *odium contra vera et bona spiritualia, quae sunt fidei et vitae ex Verbo, proinde contra eos qui in illis sunt* [n. 754]; ***"sciens quod exiguum tempus habeat,"*** significat *quia status mutatus est* [n. 755].

744. [*Vers.* 10.] ***"Et audivi vocem magnam dicentem in caelo."***—Quod significet *gaudium angelorum caeli ex luce et sapientia tunc apud illos*, constat ex significatione "vocis magnae dicentis," quod sit testificatio gaudii ex corde, de qua sequitur; et ex significatione "in caelo," quod sit apud angelos caeli: quod sit ex luce et sapientia tunc apud illos, sequitur; nam cum "dracones," per quos intellecti sunt qui quidem in aliqua scientia cognitionum veri et boni ex Verbo sunt, sed usque non in veris et bonis quia non in vita illorum, projecti fuerunt, et sic non amplius in conjunctione cum caelo, tunc angeli venerunt in lucem et sapientiam; inde eorum gaudium. Quod angeli tunc in lucem et sapientiam venerint, causa erat, quia est nexus omnium in caelis a primis eorum ad postremos; hoc est, a primis qui in intimo seu tertio caelo sunt, ad postremos

qui in ultimo seu primo caelo; influit enim Dominus per tertium caelum in ultimum, et per influxum conjungit caelos; inde est quod universum caelum in conspectu Domini sit sicut unus Homo: quare cum ultima caelorum nexum habent cum talibus, qui conjuncti sunt inferno, ita cum illis qui per "draconem et ejus angelos" significantur, tunc in eodem gradu in quo conjunctio ultimi caeli est cum talibus, diminuitur lux et intelligentia angelorum caeli. Similis rés est sicut cum ultimis in homine, quae sunt extremae cutes, quae corpus in communi et in parte investiunt, tum musculi intra cutes illas, et quoque nervi in ultimis, ex quibus ligaturae et membranae expansae super interiora; illa extrema si laesa aut aliquo modo infecta sunt, aut si tendinea facta sunt, in eodem gradu perit vita agendi sentiendique interioribus, quae ab extremis illis investita et inclusa sunt; inde patet quod salus corporis pendeat a statu extremorum, sicut domus a suis fundamentis. Hoc imprimis comparet apud homines senic confectos; apud quos extrema primum indurescunt, et inde facultate agendi sentiendique deprivantur, et pedetentim interiora, unde mors eorum. Par ratio est cum caelis, qui sicut unus Homo in conspectu Domini sunt, quando postrema quasi occalescunt, quod fit cum illa conjunctionem cum infernis habent. Ita fuit cum caelis quamdiu dracones ibi visi sunt; nam dracones, ut prius dictum est, conjunctionem habuerunt cum ultimis caeli quoad externa, sed cum infernis quoad interna eorum: inde est quod dictum sit quod "draco visus sit in caelo," et quod "pugna fuerit cum illo et cum Michaele in caelo," et denique quod "projectus sit e caelo," per quod significatur quod separatus sit. Inde nunc est quod per "vocem magnam auditam in caelo" significetur testificatio gaudii ex corde apud angelos caeli. Quod gaudium fuerit illis ex luce et sapientia tunc, sequitur ex illis quae praecedunt; nempe, sicut homo in sua vita activa et sensitiva ab interioribus est, dum extrema in sua integritate sunt, ita quoque caeli inferiores et superiores in sua intelligentia et sapientia, et inde in gaudio sui cordis sunt; quare etiam per eadem verba intelligitur quod gaudium angelis fuerit ex luce et sapientia tunc apud illos.

745. ***"Nunc facta est salus et potentia et regnum Dei nostri, et potestas Christi Ipsius."***—Quod significet *quod nunc potentia*

Domino salvandi illos qui ab ecclesia Ipsius sunt per Divinum suum Verum, qui corde et anima id recipiunt, constat ex significatione "salutis," quod sit salvatio; ex significatione "potentiae," quod sit quod possit, ita possibilitas (de qua sequitur); ex significatione "regni," quod sit caelum et ecclesia (de qua supra, n. 48, [1]685); ex significatione "Dei nostri," quod sit Dominus quoad suum Divinum; et ex significatione "potestatis Christi Ipsius," quod sit efficacia Divini Veri, ita per Divinum Verum. Quod per "Christum" intelligatur Dominus quoad Divinum Verum, videatur supra (n. 684, 685); et quod "potestas," cum de Domino, significet salvationem generis humani (supra, n. 293); et quod potestas salvandi Domino sit per Divinum suum Verum (etiam supra, n. 333, 726); et quia Dominus non alios salvare potest quam illos qui anima et corde recipiunt Divinum Verum ab Ipso, ideo hoc etiam significatur. Inde constare potest quod per "Nunc facta est salus et potentia et regnum Dei nostri, et potestas Christi Ipsius," significetur quod nunc potentia Domino salvandi illos qui ab ecclesia Ipsius sunt, per Divinum suum Verum, qui corde et anima id recipiunt: dicitur, qui recipiunt corde et anima, et per id intelligitur amore et fide, tum voluntate et intellectu; per "animam" enim in Verbo, ubi dicitur "anima et cor," significatur fides, tum intellectus, et per "cor" amor, tum voluntas; nam ibi per "animam" in sensu ultimo intelligitur respiratio hominis, quae etiam spiritus ejus vocatur; quare dicitur "animare" pro respirare, tum "emittere animam" et "spiritum" cum moritur homo: quod etiam "anima" significet fidem, ut et intellectum, ac "cor" amorem, ut et voluntatem, est ex correspondentia; fides enim ac intellectus correspondet animationi seu respirationi pulmonum, ac amor et voluntas correspondet motui ac pulsui cordis (de qua correspondentia videatur supra, n. 167; et in *Arcanis Caelestibus*, n. 2930, 3883–3896, 9050). Quod "Nunc facta sit salus et potentia Dei nostri," significat quod Dominus nunc possit salvare, sic ut "potentia" ibi significet quod possit, ita possibilitatem, est quia Dominus non potuerit salvare illos qui ab ecclesia Ipsius fuerunt, priusquam draco cum angelis ejus expulsus, hoc est, separatus a caelo esset. Qui non scit leges ordinis Divini, credere potest quod Dominus salvare possit quemlibet, ita malos aeque ac bonos; inde

opinio quorundam est, quod in fine etiam salventur omnes qui in inferno sunt; sed quod nemo salvari possit ex misericordia immediata, sed ex mediata, et quod usque ex pura misericordia salventur qui Divinum Verum anima et corde a Domino recipiunt, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 521–527). Hoc quoque intelligitur per haec verba apud *Johannem*,

> "Proprii Ipsum non receperunt; quotquot vero receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, credentibus in nomen Ipsius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt" (i. 11–13):

per "proprios" qui non receperunt, intelliguntur illi qui ab ecclesia ubi Verbum, et per id Dominus potuit illis notus esse; quare illi qui ab Ecclesia Judaica erant per "proprios" ibi intelliguntur: quod Dominus "dederit credentibus in nomen Ipsius potestatem ut filii Dei essent" significat quod [1]illis qui receperunt ab Ipso Divina vera anima et corde, seu fide et vita, dederit caelum; per "credere in nomen Ipsius" significatur recipere Dominum fide et vita, nam per "nomen Domini" significatur omne per quod colitur; per "filios Dei" intelliguntur qui a Domino regenerantur: "qui non ex sanguinibus" significat qui non falsificaverunt et adulteraverunt Verbum; "qui non ex voluntate carnis," significat qui non in malis ex proprio suo sunt; "qui non ex voluntate viri" significat qui non in falsis ex proprio suo sunt; "voluntas" enim significat proprium hominis, "caro" significat malum, ac "vir" significat falsum: "sed ex Deo nati sunt," significat qui regenerati sunt per vera ex Verbo et per vitam secundum illa. Ex his quoque constare potest quod non salvari possint qui non volunt reformari ac regenerari a Domino, quod fit per receptionem Divini Veri fide et vita.

746[a]. ***"Quia projectus est accusator fratrum nostrorum."***—Quod significet *postquam separati a caelo sunt ac damnati inferno illi qui impugnaverunt vitam fidei quae est charitas*, constat ex significatione "projectus esse," cum de dracone, quod sit quod illi qui per "draconem" intelliguntur, sint separati a caelo, ac damnati inferno (de qua supra, n. 739[a], 742): ex significatione "accusatoris fratrum nostorum," quod sint qui impugnarunt vitam fidei, quae est charitas; per "accusatorem" enim significatur impug-

nator, objurgator, et increpator; nam qui accusat, etiam impugnat, objurgat et increpat; eadem quoque vox in lingua originali significat adversarium et increpatorem; et quod mirum est, illi qui dracones sunt, tametsi vitam nihili faciunt, usque in mundo spirituali accusant fideles si aliquod ignorantiae malum animadvertunt, inquirunt enim eorum vitam, ut probro afficiant ac condemnent; inde accusatores vocantur; per "fratres" autem, quos accusant, intelliguntur omnes qui in caelis sunt, tum omnes qui in terris, qui in bono charitatis sunt; causa quod dicantur "fratres," est, quia unus est omnibus illis Pater, nempe Dominus; ac qui in bono amoris in Dominum sunt, et in bono charitatis erga proximum, sunt Ipsius filii, et quoque vocantur "filii Dei," "filii regni," et "heredes;" inde sequitur, quod quia sunt filii unius Patris, etiam fratres sint. Etiam mandatum ex Domino Patre primarium est, ut se mutuo ament; inde amor est ex quo sunt fratres: amor quoque est conjunctio spiritualis. Ex hoc derivatum est, quod apud antiquos in ecclesiis in quibus charitas fuit essentiale, omnes vocati sint fratres; similiter in Ecclesia nostra Christiana in principio ejus. Inde nunc est, quod "frater" in spirituali sensu significet charitatem. Quod omnes qui ab una ecclesia olim fuerunt, se vocaverint fratres, et quod Dominus illos qui in amore in Ipsum et in charitate erga proximum sunt, nominet fratres, constare potest ex multis locis in Verbo; sed ut distincte percipiatur quid significat "frater," ex Verbo illustrabitur.

[**b.**] (i.) *Quod omnes qui ab Ecclesia Israelitica fuerunt, vocaverint se "fratres,"* constat ex sequentibus his locis:—

Apud *Esaiam*,

> "Tunc adducent omnes fratres vestros, ex omnibus gentibus, munus Jehovae" (lxvi. 20);

apud *Jeremiam*,

> "Non servire facient Judaeum fratrem suum quisquam" (xxxiv. 9);

apud *Ezechielem*,

> "Fili hominis, fratres tui, fratres tui, [1]filii cognationis tuae, et tota domus Israelis" (xi. 15);

apud *Micham*,

> "Donec residuum fratrum ejus revertantur ad filios Israelis" (v. 2 [*B. A.* 3]);

apud *Mosen*,

"Moses exivit ad fratres suos, ut videret onera illorum" (*Exod.* ii. [1]11);
Dixit Moses ad Jethronem socerum suum, "Revertar ad fratres meos qui in Aegypto" (*Exod.* iv. 18);
"Quando depauperabitur frater tuus" (*Levit.* xxv. 25, 35, 47);
"Quod ad fratres vestros filios Israelis, vir in fratrem suum non dominabitur cum saevitia" (*Levit.* xxv. 46);
"Utinam emortui essemus, cum mortui sunt fratres nostri coram Jehovah" (*Num.* xx. 3);
Ecce "vir de filiis Israelis venit et adduxit ad fratres suos Midianitidem" (*Num.* xxv. 6);
"Aperies manum tuam fratri tuo;....quando venditur tibi frater tuus Hebraeus aut Hebraea, serviet tibi sex annos" (*Deutr.* xv. 11, 12);
"Si quis furatus fuerit animam de fratribus suis,...et questum fecerit in eo" (*Deutr.* xxiv. [2]7);
"Quadragies [3]percutiet eum, nec addet,....ne vilis habeatur frater tuus in oculis tuis" (*Deutr.* xxv. 3, et alibi):

ex his constare potest quod filii Israelis omnes inter se dicti fuerint fratres: quod ita dicti sint, fuit causa proxima, quia omnes fuerunt ex Jacobo, qui communis eorum pater fuit; at causa remota fuit, quia "frater" significat bonum charitatis, quod bonum, quia est essentiale ecclesiae, etiam omnes spiritualiter conjungit; tum quia "Israel" in supremo sensu significat Dominum, ac inde "filii Israelis" ecclesiam.

[c.] (ii.) *Quod etiam se dixerint "virum et fratrem," tum "socium et fratrem,"* ut in sequentibus:—Apud *Esaiam*,

"Obscurata est terra, et factus est populus sicut cibus ignis, vir fratri suo non parcent,....vir carnem brachii sui comedent, Menascheh Ephraimum, et Ephraimus Menaschen" (ix. 18, [19,] 20 [*B. A.* 19–21]):

per "virum et fratrem" significatur verum et bonum, ac in opposito sensu falsum et malum; quare etiam dicitur, "Menascheh comedet Ephraimum, et Ephraimus Menaschen," per "Menascheh" enim significatur bonum voluntarium, et per "Ephraimum" verum intellectuale, utrumque ecclesiae externae, ac in opposito sensu malum et falsum. (Sed haec videantur explicata supra, n. 386[*b*], 440[*b*], 600[*b*], 617[*e*].) Apud eundem,

"Commiscebo..Aegyptum cum Aegypto, ut pugnent vir contra fratrem suum, et vir contra socium suum, urbs contra urbem, et regnum contra regnum" (xix. 2):

per "Aegyptum" hic significatur naturalis homo separatus a spirituali; qui quia in nulla luce veri est, disceptat continue de bono et malo, ac de vero et falso; disceptatio illa significatur per "Commiscebo Aegyptum cum Aegypto,

ut pugnent vir contra fratrem suum, et vir contra socium suum;" per "fratrem" et "socium" significatur bonum ex quo verum, ac verum ex bono, et in opposito sensu malum ex quo falsum, ac falsum ex malo; quare etiam dicitur, "urbs contra urbem, et regnum contra regnum;" per "urbem" significatur doctrina, et per "regnum" ecclesia ex illa, quae similiter pugnaturae sunt. Apud eundem,

"Vir socium suum adjuvant, et fratri suo dicit, Confirma te" (xli. 6):

similia hic per "socium" et "fratrem," quae nunc supra, significantur. Apud *Jeremiam*,

"Vir a socio suo cavete vobis, et super ullo fratre ne confidite; omnis namque frater..supplantat, et omnis socius calumniatur" (ix. 3 [*B. A.* 4]):

apud eundem,

"Dispergam eos, virum cum fratre suo" (xiii. 14);

apud eundem,

"Sic dicetis vir ad socium suum, et vir ad fratrem suum, Quid respondit Jehovah?" (xxiii. 35;)

apud eundem,

"Non obedivistis Mihi, ut proclamaretis libertatem vir fratri suo, et vir socio suo" (xxxiv. 9, 17);

apud *Ezechielem*,

"Gladius viri contra fratrem suum erit" (xxxviii. [1]21);

apud *Joelem*,

"Non vir fratrem suum propellunt" (ii. [2]8);

apud *Micham*,

"Omnes sanguinibus insidiantur, vir fratrem suum venantur in reti" (vii. 2):

apud *Sachariam*,

"Benignitatem et misericordiam facite vir cum fratre suo" (vii. 9);

apud *Malachiam*,

"Quare perfide agimus, vir contra fratrem suum?" (ii. 10;)

apud *Mosen*,

"Facta est caligo tenebrarum in omni terra Aegypti.., nec [3]vidit vir fratrem suum" (*Exod.* x. [22,] 23);

apud eundem,

"A fine septem annorum....remittet omnis creditor manum suam,

quando credidit quid socio suo, nec urgeat socium suum, nec fratrem suum" (*Deutr.* xv. 1, 2);

et alibi. In sensu proximo per "virum" intelligitur quisque, per "fratrem" qui ex eadem tribu, quia in cognatione, et per "socium" qui ex alia tribu, quia solum in affinitate; at in sensu spirituali per "virum" significatur omnis qui in veris est, tum qui in falsis, per "fratrem" omnis qui in bono charitatis est, et abstracte ipsum illud bonum, et per "socium" omnis qui in vero ex illo bono est, et abstracte ipsum illud verum; et in opposito sensu malum oppositum bono charitatis, ac falsum oppositum vero ex illo bono: quod "frater" et "socius" dicantur, est [1]quia duo sunt quae faciunt ecclesiam, nempe charitas et fides, sicut duo quae faciunt vitam hominis, voluntas et intellectus; inde etiam sunt duo quae sicut unum agunt; prout duo oculi, duae aures, duae nares, duae manus, duo pedes, duo lobi pulmonum, duae camerae cordis, duo hemisphaeria cerebri, et sic porro, quorum unum se refert ad bonum ex quo verum, et alterum ad verum ex bono; inde est quod dicatur "frater" et "socius," et quod "frater" significet bonum et "socius" verum ejus.

[d.] (iii.) *Quod Dominus illos qui ab ecclesia Ipsius in bono charitatis sunt, nominet "fratres,"* constat ex his:— Apud *Evangelistas,*

Jesus "extendens manum suam super discipulos suos dixit, Ecce mater mea, et fratres mei; quisquis..fecerit voluntatem Patris mei,... ille meus frater et soror et mater est" (*Matth.* xii. 49; *Marc.* iii. 33-35):

per "discipulos," supra quos Dominus extendit manum, significantur omnes qui ab ecclesia Ipsius; per "fratres Ipsius" significantur qui in bono charitatis ab Ipso sunt; per "sorores" qui in veris ex illo bono; et per "matrem" significatur ecclesia ex illis. Apud *Matthaeum,*

Jesus dixit Mariae Magdalenae et alteri Mariae, "Ne timetote; abite, annuntiate fratribus meis, ut abeant in Galilaeam, et ibi Me videbunt" (xxviii. 10):

per "fratres" etiam hic intelliguntur discipuli, per quos significantur omnes qui ab ecclesia in bono charitatis sunt. Apud *Johannem,*

Jesus dixit Mariae, "Abi ad fratres meos, et dic illis, Ascendo ad Patrem meum" (xx. 17);

similiter hic discipuli vocantur "fratres," quia per "discipulos" aeque ac per "fratres" significantur omnes qui ab ecclesia Ipsius in bono charitatis sunt. Apud *Matthaeum*,

> "Respondens Rex dixit illis, Dico vobis, in quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis" (xxv. 40):

quod illi qui bona charitatis praestiterunt hic dicantur a Domino "fratres," constat ex praecedentibus ibi; at sciendum est quod Dominus, tametsi illorum Pater est, usque nominet illos "fratres;" sed illorum Pater est ex Divino Amore, sed Frater ex Divino quod procedit ex Ipso: causa est, quia omnes in caelis sunt receptiones Divini quod procedit ex Ipso, ac Divinum quod procedit ex Domino, cujus receptiones sunt, est Dominus in caelo, et quoque in ecclesia; et hoc non est angeli nec hominis, sed Domini apud illos; quare Dominus ipsum bonum charitatis apud illos, quod est suum, vocat Fratrem; proinde etiam angelos et homines, quia sunt subjecta recipientia illius boni. Verbo, Divinum procedens, quod est Divinum Domini in caelis, est Divinum natum a Domino in caelo; quare ex illo Divino, angeli qui sunt recipientes ejus, vocantur "filii Dei;" et quia hi ex illo Divino apud se recepto sunt fratres, est Dominus in illis qui dicit "Frater;" angeli enim non loquuntur ex se sed ex Domino, dum ex bono charitatis: inde nunc est quod Dominus dicat, "In quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis;" sunt itaque bona charitatis, quae in praecedentibus enumerantur, quae in sensu spirituali sunt Domini fratres, et quae propter praedictam causam vocantur a Domino "fratres:" per "Regem" etiam, qui ita illos vocat, significatur Divinum procedens, quod una voce vocatur Divinum Verum, seu Divinum spirituale, quod in sua essentia est bonum charitatis. Tenendum itaque est quod Dominus non vocaverit illos "fratres" ex eo quod Ipse Homo fuerit sicut illi, secundum opinionem in Christiano orbe receptam; ex quo sequitur quod ideo non liceat alicui homini vocare Dominum fratrem; est enim Deus etiam quoad Humanum, et Deus non est frater, sed est Pater. Quod Dominus dicatur frater in ecclesiis in terris, est quia de Humano Ipsius non aliam ideam captaverunt quam sicut de humano alius hominis, cum tamen

Humanum Domini est Divinum. Quoniam reges olim repraesentabant Dominum quoad Divinum Verum, ac Divinum Verum receptum ab angelis in regno Domini spirituali est idem cum Divino Bono spirituali, ac Bonum spirituale est Bonum charitatis, ideo etiam reges super filios Israelis vocabant subditos suos "fratres;" tametsi non licuerit vicissim subditis vocare regem suum fratrem; minus Dominum, qui est Rex regum et Dominus dominorum:—Ut apud *Davidem*,

> "Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio congregationis laudabo Te" (Ps. xxii. 23 [*B. A.* 22]);

apud eundem,

> "Alienus factus sum fratribus meis, et extraneus filiis matris meae" (Ps. lxix. 9 [*B. A.* 8]);

apud eundem,

> "Propter fratres meos, et socios meos, loquar..pacem in Te" (Ps. cxxii. 8):

haec locutus est David sicut de se, sed usque per "Davidem" ibi in sensu repraesentativo spirituali intelligitur Dominus. Apud *Mosen*,

> "E medio fratrum tuorum pones super [1]eos regem, non poteris dare super [1]eos virum alienigenam, qui non frater tuus sit:....sed ne efferat se cor ejus prae fratribus ejus" (*Deutr.* xvii. 15, 20):

per "fratres," ex quibus poneretur rex, significantur omnes qui ab ecclesia sunt: nam dicitur, "Non potes dare super [1]eos virum alienigenam;" per "virum alienigenam" et per "alienum" significatur qui non ab ecclesia est. Apud eundem,

> "Prophetam e medio tui, de fratribus tuis, sicut me excitabit tibi Jehovah Deus tuus; Huic obedietis" (*Deutr.* xviii. 15, 18):

prophetia de Domino, qui intelligitur per "Prophetam," quem Jehovah Deus excitabit de fratribus; qui "fratres tui," ita Mosis, vocantur, ex eo quod per "Mosen" in sensu repraesentativo intelligatur Dominus quoad Verbum, ac per "prophetam" docens Verbum, ita quoque Verbum et doctrina e Verbo; inde est, quod dicatur, "Sicut me excitabit." (Quod Moses repraesentaverit Dominum quoad Legem, ita quoad Verbum, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 4859 fin., 5922, 6723, 6752, 6771, 6827, 7010. 7014, 7089, 7382, 9372, 10234.)

[e.] (iv.) *Quod omnes illi "fratres" a Domino dicantur, qui Ipsum agnoscunt, et in bono charitatis ab Ipso sunt,* sequitur ex eo, quod Dominus sit omnium Pater, et omnium Doctor, et ex Ipso ut Patre est omne bonum charitatis, et ex Ipso ut Doctore est omne verum illius boni. Quare dicit Dominus apud *Matthaeum,*

"Vos nolite vocari Doctor; unus enim est vester Doctor, Christus; omnes autem vos fratres estis. Et Patrem vestrum ne vocetis in terra; unus namque est Pater vester qui in caelis est" (xxiii. 8, 9):

ex his manifeste patet quod verba Domini spiritualiter intelligenda sint; nam quis non potest vocari Doctor, qui doctor est? et quis non Pater, qui est pater? At quia per "patrem" significatur bonum, et per "Patrem in caelis" Divinum Bonum, et quia per "doctorem" seu "rabbi" significatur verum, et per "Doctorem Christum" Divinum Verum, ideo, propter spiritualem sensum in omnibus Verbi, dicitur quod "non patrem in terra vocarent Patrem, nec aliquem Doctorem;" nempe in spirituali sensu, non autem in naturali: in naturali sensu vocari possunt doctores et patres, sed repraesentative; nempe quod doctores mundi quidem doceant verum, sed non a se sed a Domino; et quod patres mundi quidem sint boni, et ducant liberos ad bonum, sed non a se sed a Domino: inde sequitur quod tametsi vocantur doctores et patres, usque non sint doctores et patres, sed solum Dominus: "vocare" et "vocare nomine" aliquem, in Verbo etiam significat agnoscere quale alicujus. Quia omnes in caelo et in ecclesia discipuli et filii Domini sunt ut Doctoris ac ut Patris, ideo dicit Dominus, "Omnes vos fratres estis;" Dominus enim omnes in caelo et in ecclesia, ex consociatione per amorem ab Ipso, et inde per amorem mutuum, qui est charitas, vocat illos "filios" et "heredes;" inde est quod a Domino sint "fratres;" ita intelligendum est, quod usitato dicitur, quod omnes fratres sint in Domino.

[f.] Ex his quoque constare potest quinam per "fratres" a Domino intelliguntur, nempe omnes qui agnoscunt Ipsum, ac in bono charitatis ab Ipso sunt, proinde qui ab ecclesia Ipsius sunt. Hi etiam per "fratres" a Domino intelliguntur in sequentibus locis:—Apud *Lucam,*

Jesus dixit ad Petrum, "Tu quando conversus fueris, confirma fratres tuos" (xxii. 32):

per "fratres" hic non intelliguntur Judaei, sed intelliguntur omnes qui Dominum agnoscunt, et in bono sunt ex charitate et fide, ita omnes qui per Petrum recepturi sunt Evangelium, tam Judaei quam gentes; nam per "Petrum" in Verbo Evangelistarum intelligitur verum ex bono, proinde etiam fides ex charitate: at ibi per "Petrum" intelligitur fides separata a charitate; nam mox prius de eo dicitur,

> "Simon, ecce Satanas expostulavit vos, ut cribraret vos sicut triticum; Ego vero oravi pro te, ut non desinat fides tua" [(vers. 31, 32)];

et dein ad illum dicitur,

> "Dico tibi, Petre, non canet hodie gallus, priusquam ter abnegaveris, non te nosse Me" [(vers. 34)]:

talis etiam est fides absque charitate: at per "Petrum conversum" significatur verum ex bono quod a Domino, seu fides a charitate quae a Domino; ideo dicitur, "Tu ergo quando conversus fueris, confirma fratres tuos." Apud *Matthaeum*,

> "Dixit Petrus.., Domine, quoties peccabit in me frater meus, et remittere debeo illi?" (xviii. 21;)

apud eundem,

> "Sic et Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis suo quisque fratri ex cordibus..delicta eorum" (xviii. 35);

apud eundem,

> "Si..peccaverit in te frater tuus, abi et argue illum inter te et illum solum; si te audierit, lucratus es fratrem tuum" (xviii. 15):

hic per "fratrem" intelligitur in genere proximus, ita omnis homo; in specie autem qui in bono charitatis et inde fide a Domino est, quicunque sit; nam in illis locis de bono charitatis agitur, nam remittere alicui qui peccat contra illum, est charitatis; tum, "Si audierit, lucratus es fratrem," per quod significatur, si agnoscit delicta sua, et conversus fuerit. Apud eundem,

> "Cur..cernis festucam quae in oculo fratris tui, illam vero, quae in oculo tuo, trabem non animadvertis? Aut quomodo dices fratri tuo, Sine, ejiciam festucam ex oculo tuo, cum tamen trabs sit in oculo tuo? Hypocrita, ejice prius trabem ex oculo tuo, et tunc circumspicies ejicere festucam ex oculo fratris tui" (vii. 3–5):

hic quoque, quia de charitate agitur, dicitur "frater;" nam per "ejicere festucam ex oculo fratris" significatur infor-

mare de falso et malo, ac reformare: quod a Domino dicatur "festuca ex oculo fratris," et "trabs in oculo ejus," est propter sensum spiritualem in singulis quae Dominus locutus est; nam absque eo sensu, quid foret videre festucam in oculo alterius, et non animadvertere trabem in oculo suo? tum ejicere trabem ex suo oculo, antequam festucam ex oculo alterius? Per "festucam" enim significatur exile falsum mali, ac per "trabem" magnum falsum mali, ac per "oculum" significatur intellectus et quoque fides; quod per "festucam" et "trabem" significetur falsum mali, est quia per "lignum" significatur bonum, ac inde per "trabem" verum boni, ac in opposito sensu falsum mali, perque "oculum" intellectus et fides; inde patet quid per "videre festucam et trabem," ac per "ejicere illas ex oculo" significatur. (Quod "lignum" significet bonum, et in opposito sensu malum, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 643, 3720, 4943, 8354, 8740: et quod "oculus" significet intellectum et quoque fidem, n. 2701, 4403-4421, 4523-4534, 9051, 10569, ibi; et quoque supra, n. 37, 152: etiam "trabs" aliquibus in locis nominatur, et per illam significatur falsum mali, ut *Genes.* xix. 8; 2 *Reg.* vi. 2, 5, 6; *Habak.* ii. 11; *Cant.* i. 17.) Apud eundem,

> "Qui facit et docet, is magnus vocabitur in regno caelorum. Dico.. vobis, nisi abundaverit justitia vestra supra Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. Audivistis quod veteribus dictum sit, Non occides; quisquis autem occiderit, obnoxius erit judicio: Ego vero dico vobis, quod quisquis irascitur fratri suo temere, obnoxius erit judicio; quisquis vero dixerit fratri suo, Raka, obnoxius erit synedrio; quicunque autem dixerit, Stulte, obnoxius erit gehennae ignis. Si obtuleris manus tuum super altare, et apud hoc recordatus fueris quod frater tuus habeat aliquid contra te, relinque [1]ibi manus coram altari, et abi, prius reconciliare fratri, et tunc veniens offer munus tuum" (v. 19-24):

in toto illo capite agitur de vita interiore hominis, quae est ejus animae, proinde ejus voluntatis et inde cogitationis; ita de vita charitatis, quae est vita spiritualis moralis; quam vitam filii Jacobi prius ignorarunt, ex causa, quia externi homines usque a patribus eorum fuerunt: ideo etiam tenebantur vivere in cultu externo, secundum statuta, quae erant externa repraesentantia interna cultus et ecclesiae. At Dominus in hoc capite docet quod non solum per facta externa repraesentanda essent interiora ecclesiae, sed etiam quod anima et corde amanda et facienda; quare qui ex interiore vita externa ecclesiae facit et docet quod salvaretur, significatur per "Qui facit et docet, magnus vocabitur in regno caelorum:" quod nisi

interna vita sit et inde externa, non in homine caelum sit, et inde in caelo non recipiatur, significatur per "Nisi abundaverit justitia vestra supra Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum;" per "justitiam" significatur bonum vitae ex bono charitatis; et per "abundare super Scribarum et Pharisaeorum," significatur quod interna vita erit, et non externa absque interna; Scribae et Pharisaei solum in externis repraesentativis erant, et non in internis: vita externa ex interna docetur in praecepto Decalogi, quod "non occidendum;" sed nesciebant quod velle occidere hominem sit illum occidere; quare primum dicitur, "Audivistis quod veteribus dictum sit, Non occides, et quisquis occiderit, obnoxius erit judicio;" invaluerat enim apud Judaeos ab antiquo tempore dogma quod propter injurias sibi factas liceret occidere, imprimis gentes, et quod propter id punirentur modo leviter aut graviter secundum circumstantias quoad inimicitias, consequenter solum quoad corpus, et non quoad animam; hoc intelligitur per quod "obnoxius erit judicio." Quod qui absque sontica causa cogitat prave de proximo, ac se avertit a bono charitatis, quoad animam leviter plectetur, significatur per quod "quisquis irascitur fratri suo temere, obnoxius erit judicio;" "irasci" significat prave cogitare, nam distinguitur a "dicere raka," et "dicere stultum;" "frater" est proximus, et quoque bonum charitatis, et "obnoxius judicio" est inquiri et secundum circumstantias plecti: quod qui ex prava cogitatione contumeliis afficit proximum, ita qui bonum charitatis sicut vile contemnit, is gravius plecteretur, significatur per "Quisquis dixerit fratri suo, Raka, obnoxius erit synedrio;" per "dicere raka" significatur ex cogitatione prava contumeliis afficere proximum, ita vile habere bonum charitatis; nam "dicere raka" significat pro vacuo habere, ita pro vili, et "frater" est bonum charitatis; [quod] qui odio habet proximum, ita qui prorsus aversatur bonum charitatis, damnatus sit inferno, significatur per "Quicunque dixerit, Stulte, obnoxius erit gehennae ignis; "dicere stultum" est prorsus aversari, "frater" est bonum charitatis, et "gehenna ignis" est infernum, ubi illi qui id bonum et inde proximum odio habent. Tres gradus odii per illa tria describuntur; primus est pravae cogitationis, quod est "irasci;" alter est pravae

intentionis inde, quod est "dicere, Raka;" et tertius est pravae voluntatis, quod est "dicere, Stulte;" omnes hi gradus sunt gradus odii contra bonum charitatis, nam odium est bono charitatis oppositum: et tres gradus punitionis significantur per "judicium," "synedrium," et "gehennam ignis;" punitiones pro malis levioribus significantur per "judicium," punitiones pro malis gravioribus per "synedrium," et punitiones pro malis gravissimis per "gehennam ignis." Quoniam universum caelum est in bono charitatis erga proximum, et universum infernum est in iracundia, inimicitia et odio contra proximum, et inde haec sunt opposita illi bono; et quia cultus Domini est cultus ex caelo, quia est internus, ac nullus cultus si ejus aliquid est ex inferno, et tamen ex inferno est cultus externus absque interno, ideo dicitur, "Si obtuleris munus tuum super altari, et apud hoc recordatus fueris quod frater tuus habeat aliquid contra te, abi, prius reconciliare fratri, et tunc veniens offer munus super altare;" per "munus super altari" significatur cultus Domini ex amore et charitate, per "fratrem" intelligitur proximus, et abstracte significatur bonum charitatis, per "habere contra te" significatur iracundia, inimicitia seu odium, et per "reconciliari" significatur dissipatio eorum, et inde sequens conjunctio per amorem. Ex his constare potest quod per "fratrem" a Domino intelligatur simile quod per "proximum;" et per "proximum" in spirituali sensu significatur bonum in omni complexu; et bonum in omni complexu est bonum charitatis. Simile per "fratrem" in Veteri Testamento in multis locis in sensu spirituali intelligitur:—Ut apud *Mosen*,

"Non odio habebis fratrem tuum corde tuo" (*Levit.* xix. 17);

apud *Davidem*,

"Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres una" (Ps. cxxxiii. 1).

In hoc sensu etiam

Lothus habitatores Sodomae appellavit "fratres" (*Gen.* xix. 7):

et quoque intelligitur

Per "foedus fratrum" inter filios Israelis et Edomum (*Amos* i. 9);
Ac per "fraternitatem inter Jehudam et Israelem" (*Sach.* xi. [1]14):

nam per "filios Israelis ac Edomum," tum per "Jehudam

et Israelem" in sensu spirituali non intelliguntur illi, sed bona et vera caeli et ecclesiae, quorum omnia inter se conjuncta sunt.

747. *"Accusans illos coram Deo dies et noctes."*—Quod significet *et objurgaverunt* [*illos*] *et litigaverunt cum illis ex Verbo continue*, constat ex significatione "accusare," quod sit impugnare (de qua supra, n. 746[a]); inde sequitur quod etiam sit objurgare et litigare, nam qui accusat etiam litigat et objurgat; ex significatione "coram Deo," quod sit ex Verbo (de qua sequitur); et ex significatione "dierum et noctium," quod sit continue et absque intermissione; per "dies et noctes" enim significantur omnes status vitae, per "diem" status vitae quando mens in idea clara est, et per "noctem" quando mens in idea obscura est; quod per hos binos status vitae significetur continue, est quia in mundo spirituali non aliqua distinctio temporum in annos, menses, septimanas, dies et horas est, sed pro illis mutationes status; sunt enim ibi angeli et spiritus nunc in idea clara, nunc in idea obscura; quod angeli et spiritus alternis sint in statu clarae perceptionis, et in statu obscurae, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 154–161): in particulari autem succedunt status illorum varie, sicut ab una affectione in alteram; hi status sunt, ex quibus angeli et spiritus tempora sua numerant, ita qui loco temporum in mundo sunt, quae sunt anni, menses, septimanae, dies, noctes, horae: quia nunc status vitae illorum in genere mutantur quoad intellectum clarum et obscurum, ac ita continue succedunt, inde per "dies et noctes" significatur continue. Quod "accusare coram Deo" significet objurgare et litigare ex Verbo, est quia illi qui per "draconem" intelliguntur, qui sunt qui fidem separant a vita, ratiocinentur ac litigent ex Verbo; ac litigare ex Verbo est "coram Deo," Deus enim in Verbo est, quia Verbum est a Deo, et est Divinum Verum procedens a Domino: inde est quod dicatur apud *Johannem*,

"In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum" (i. 1).

Quod litigent pro fide separata a vita charitatis, est quia suam haeresin ex quibusdam locis in Verbo, non nisi quam secundum litteram intellectis, confirmant; et quando illam

confirmarunt, credunt esse ipsum ecclesiae verum, tametsi est falsum. In genere, per "accusare dies et noctes" significatur influxus falsi continuus ex illis qui per "draconem" intelliguntur; et quia falsa eorum sunt ex falsificato Verbo, inde hoc per "accusare coram Deo" significatur.

748. [*Vers.* 11.] ***"Et illi vicerunt illum per sanguinem Agni."***—Quod significet ***resistentiam et victoriam per Divinum Verum procedens ex Divino Humano Domini***, constat ex significatione "sanguinis," cum de Domino, quod sit Divinum Verum procedens (de qua supra, n. 328[*a–c*], 329[*a–f*]); ex significatione "Agni," quod sit Dominus quoad Divinum Humanum (de qua etiam supra, n. 314); ex quibus constare potest quod per "vincere draconem per sanguinem Agni" significetur vincere illum, hoc est, illos qui per "draconem et angelos ejus" significantur, per Divinum Verum procedens ex Divino Humano Domini. Dicitur Divinum Verum procedens ex Divino Humano Domini, ex causa, quia omne Divinum Verum, quod implet caelos, et facit sapientiam angelorum in caelis, procedit ex Divino Humano Domini; Divinum enim Humanum Domini unitum est ipsi Divino, quod in Ipso ex conceptione erat, adeo ut unum sint: ipsum Divinum, quod a conceptione in Ipso erat, est quod vocavit Patrem; hoc cum Humano Ipsius unitum est sicut anima cum corpore; inde est quod Dominus dicat

> Se unum esse cum Patre (*Joh.* x. 30, 38);
> Et quod Ipse in Patre sit et Pater in Ipso (*Joh.* xiv. 7–11);

et quia talis unio est, ideo Divinum Verum post glorificationem Humani Ipsius procedit ex Divino Humano Ipsius. Divinum Verum procedens ex Divino Humano Domini est quod vocatur "Spiritus Sanctus;" quod hic procedat ex Humano Domini glorificato, docet Ipse apud *Johannem*,

> "Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum glorificatus erat" (vii. 39);

Humanum glorificatum est Divinum Humanum. (Sed de his plura videantur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 280–310; tum in opere *De Caelo et Inferno*, a principio ad finem: quod per "sanguinem Agni" intelligatur Divinum procedens ex Divino Humano Domini, videatur supra, n. 476.) Ex his videri potest quantum differt sensus litterae Verbi ex sensu spirituali ejus; tum quomodo falsificatur Verbum, si modo exterius, et non simul interius, spectetur. Quantum differt, constare potest ex eo, quod per "sanguinem Agni"

in sensu litterae intelligatur passio crucis Domini, at in sensu spirituali Divinum Verum procedens ex Divino Humano Domini; quare si pro ipso vero assumitur quod Michael draconem vicerit per passionem crucis Domini, inde sequitur quod Dominus per illam sustulerit omnia peccata mundi, et quoque per illam Patrem suum ad misericordiam pro humano genere commoverit; cum tamen hoc et illud non concordat cum Divino Vero quod est apud angelos in caelo, et quoque discordat cum genuino intellectu Veri. Quis usquam intelligere potest quod Dominus per passionem crucis sustulerit omnia peccata mundi, cum tamen unusquisque homo post mortem fit qualis ejus vita fuit in mundo, et qui mala faciunt in infernum [1]veniunt, et qui bona faciunt in caelum? Quis intelligere potest quod Deus Pater ad misericordiam ex sanguine Filii in cruce commoveretur, et quod tali medio opus habuerit, cum tamen est ipsa Misericordia, ipse Amor, et ipsum Bonum in Se? Ex his patet quod Verbum hic, et in mille aliis locis, falsificetur, si modo exterius, et non simul interius, spectatur: exterius illud spectare est ex littera, at interius spectare est ex doctrina genuini Veri. Si ex doctrina credatur quod Dominus subjugaverit inferna, et simul glorificaverit Humanum suum per tentationes, et quod passio crucis fuerit ultima tentatio et plena victoria, per quam subjugavit inferna, et glorificavit Humanum suum, tunc cadit id sub intellectum, et inde in fidem; fitque hoc, quod Michael vicerit per passionem crucis, verum apparens; at quod vicerit illum per Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini, fit verum reale: at si apparens verum sumitur pro vero reali, et confirmatur, tunc falsificatur Verbum, secundum illa quae supra (n. 719), illustrationis causa, allata sunt.

749. ***"Et per verbum testimonii eorum."***—Quod significet *et per confessionem et agnitionem Divini in Humano Ipsius*, constat ex significatione "verbi testimonii," quod sit confessio Domini et agnitio Divini in Humano Ipsius (de qua supra, n. 392, 635, 649). Quod hoc sit "verbum testimonii," patet a sequentibus his in *Apocalypsi*,

> Dixit angelus ad Johannem, "Conservus..tuus sum, et fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu; Deum adora, nam testimonium Jesu est spiritus prophetiae" (xix. 10):

et postquam angelus illa dixit,

Apparuit equus albus, super quo Sedens vocabatur "Verbum Dei," et quoque "Rex regum et Dominus dominorum" (vers. 13, 16):

inde constare potest quod per "verbum testimonii eorum" significetur confessio et agnitio Divini in Humano Domini. Qui in illa agnitione sunt, illi quoque in agnitione sunt quod Humanum Domini Divinum sit, nam Ipsum Divinum non alibi potest habitare quam in Divino quod a Se est. Sed hoc quia nostrates eruditi aegre possunt comprehendere, ideo in cogitatione sua separant Divinum ab Humano Domini, et Divinum extra aut supra illud ponunt; quod tamen contra doctrinam Christianam de Trinitate est, quae vocatur *Confessio Athanasiana* seu *Nicaena*, quae talis est, quod Divinum assumpserit ad Se Humanum, et quod non sint duo, sed unita Persona, prorsus sicut anima et corpus.

750[*a*]. ***"Et non dilexerunt animam suam usque ad mortem."***—Quod significet ***fideles qui propter illa vera tentationes passi sunt, et vitam mundi prae vita caeli nihili fecerunt***, constat ex significatione "non diligere animam," quod sit nihili facere vitam mundi prae vita caeli, de qua sequitur; et ex significatione "usque ad mortem," quod sit tentationes pati; nam qui in tentationum pugnis sunt, illi nihili faciunt vitam mundi prae vita caeli, consequenter nihili faciunt mortem corporis sui prae vita animae suae, ut constare potest ex martyriis: causa est, quia sciunt quod vita in mundo, quae est aliquot annorum, nihil sit respective ad vitam in caelo, quae est vita aeterna; immo ne quidem ratio datur inter tempora vitae hominum in mundo, et inter vitam in caelo in aeternum duraturam; cogitet qui potest num sit aliqua ratio inter centum millia annorum ac aeternum, et comperiet quod non sit. Talia cum multis aliis influunt e caelo apud illos qui tentationes spirituales patiuntur; quare "animam suam," hoc est, vitam in mundo, "non diligunt usque ad mortem." Quid per "animam" intelligitur, parum in orbe notum est, ex causa quia eruditi de sede animae in corpore plura hypothetice tradiderunt, tum etiam de ejus essentia, et quoque de ejus influxu et operatione in corpus; et ex ideis inde captis de ejus immortalitate: inde fluxit quod credatur quod anima sit aliquod cogitativum, in sua essentia aethereum, et quod separata a corpore sit absque motoriis et sensoriis, qualia in mundo, antequam iterum conjungitur corpori, quod tem-

pore ultimi judicii futurum dicunt. Quia inde idea incongrua de anima hominis in erudito orbe capta est, interest ex Verbo illustrare quid per "animam" intelligitur. In genere per "animam" intelligitur homo, et in specie vita hominis; et quia in unoquovis homine sunt tres gradus vitae, ita quoque totidem animae gradus sunt. At quia omnis vita hominis residet in binis facultatibus ejus, quae vocantur voluntas et intellectus, quare aliquoties in Verbo dicuntur "vitae" in plurali; et quia per "animam" intelligitur vita, sequitur quod sit anima voluntatis et anima intellectus, et quod anima voluntatis sit affectio quae est amoris, et quod anima intellectus sit cogitatio inde. Proprie autem per "animam" in Verbo intelligitur vita intellectus hominis, quae est cogitatio, et per "cor" vita voluntatis quae est affectio. Et quia respiratio pulmonum correspondet vitae intellectus quae est cogitatio, et pulsus cordis correspondet vitae voluntatis quae est affectio, ideo per "animam" in sensu naturali ultimo intelligitur vita respirationis; exinde venit quod de morituris dicatur quod animam suam aut spiritum suum emittant, tum quod non amplius animent, aut quod non ex ore sentiatur aliquis spiritus. Quod talia per "animam" in Verbo intelligantur, constare potest ex locis ibi, ubi nominatur.

[b.] (i.) Quod "anima" in genere significet hominem constat ex his sequentibus:—Apud *Mosen*,

"Sumpsit Abramus....omnem....animam, quam nacti sunt in Charane, et abiverunt in terram Canaanem" (*Gen.* xii. [1]5);
"Rex Sodomae dixit ad Abramum, Da mihi animas, substantiam sume tibi" (*Gen.* xiv. 21);
"Omnes animae filiorum et filiarum" ex Lea, "triginta et tres" (*Gen.* xlvi. 15);
"Filii Josephi....animae duae; omnis anima domus Jacobi, quae venit in Aegyptum, septuaginta" (*Gen.* xlvi. 27);
"Omnis anima quae comedit cadaver aut discerptum,....immunda illa ad vesperam" (*Levit.* xvii. 15);
"De urbibus populorum....non vivificabis ullam animam" (*Deutr.* xx. 16);
"Si furatus sit animam de fratribus suis,...et quaestum fecerit" (*Deutr.* xxiv. [2]7).
Anima comedens adipem et sanguinem, exscindetur (*Levit.* vii. 27);
"Anima" quae non circumcidetur, "exscindetur e populis suis" ([3]*Gen.* xvii. 14);

et alibi: in quibus locis "anima" dicitur pro homine.

[c.] (ii.) Quod "anima" in specie significet vitam corporis, constat ex his:—Apud *Lucam*,

Dives cogitabat apud se, "Dicam animae meae, Anima, habes multa bona reposita in annos multos; feriare, ede, bibe, et bono esto animo: sed dixit ei Deus, Insipiens, hac nocte animam tuam requirent a te" (xii. 19, 20);

apud *Mosen*,

"Cum exiret anima" Rachelis,..."vocavit nomen ejus Benoni" (*Gen.* [1]xxxv. 18);
"Mortui sunt omnes viri qui quaesiverunt animam tuam" (*Exod.* iv. 19);

[et alibi,]

"Per manum quaerentium animam" tuam (*Jerem.* xix. 7, 9; cap. [2]xxxiv. 21);
"Qui desciverit ad Chaldaeos...vivet, et fiet illi anima in spolium" (*Jerem.* xxi. 9);
"Dabo animam tuam in praedam" (*Jerem.* xlv. 5);
"Num erit hoc jejunium quod eligam, dies quo affliget homo animam suam?" (*Esai.* lviii. 5;)
Dixit Reuben ad fratres de Josepho, "Ne percutiamus illum anima" (*Gen.* xxxvii. 21);
"Anima pro anima, oculus pro oculo, dens pro dente" (*Deutr.* xix. 21);
"Non [3]accipies molam aut molarem in pignus, nam animam ille recipit in pignus" (*Deutr.* xxiv. 6);
"Dixit Schimson, Moriatur anima mea cum Philisthaeis" (*Jud.* xvi. 30);
Dixit Isabel ad Eliam quod cras ponet animam ejus sicut animam unius de illis; "et abivit" Elias "pro anima [4]sua" (1 *Reg.* xix. 2, 3);
Petrus dixit, "Animam meam ponam pro Te; respondit..Jesus, Animamne tuam pro Me pones? Amen dico, non canet gallus usque dum Me ter abnegaveris" (*Joh.* xiii. 37, 38):

in his locis dicitur anima pro vita corporis. Similiter Dominus dixit de sui corporis vita, apud *Evangelistas*,

"Sicut Filius hominis non venit ut Ipsi ministretur, sed ut ministret, et det animam suam redemptionem pro multis" (*Matth.* xx. 28; *Marc.* x. 45):

[sic alibi,]

"Ecce Ego amo Te; ideo dabo hominem loco Tui, et populos pro anima tua" (*Esai.* xliii. 4);
Jesus dixit, "Majorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis" (*Joh.* xv. 13);
Jesus dixit, "Ego sum Pastor bonus; Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus. ....Ego pono animam meam, et rursus accipiam illam: nemo tollit illam a Me, sed Ego pono a Me Ipso; potestatem Ego habeo ponendi illam, et potestatem habeo rursus recipiendi illam" (*Joh.* x. 11, 12, 15, 17, 18).

[*d.*] (iii.) Quod "anima" significet vitam spiritus hominis, quae vocatur vita spiritualis ejus, constat ex his:—Apud *Evangelistas*,

Jesus dixit, "Ne timete ab illis qui occidere corpus possunt, animam.. occidere non possunt: timete..potius Ipsum qui potest et corpus et animam perdere in gehenna" (*Matth.* x. 28; *Luc.* xii. 4, 5);
"Quisquis vult invenire animam suam, perdet illam; et quisquis perdiderit animam suam propter" Jesum, "inveniet illam" (*Matth.* x. 39; *Luc.* xvii. 33);

"Qui amat animam suam perdet illam; sed qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternum servabit illam" (*Joh.* xii. 25);
"Jesus dixit.., Quisquis vult post" Ipsum "venire, abneget semet, tollat crucem suam, et sequatur" Ipsum: "qui..voluerit animam suam servare, perdet illam; qui vero perdiderit animam suam" Ipsius "causa, inveniet illam. Quid..prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animae autem jacturam fecerit? aut [1]quod dabit homo pretium sufficiens redemptionis animae suae" (*Matth.* xvi. 24, 25[, 26]; *Marc.* viii. 35-37; *Luc.* ix. 24, 25);
Jesus dixit, Non veni "ad perdendum animas.., sed ad servandum" (*Luc.* ix. 56);
"Maria..dixit" ad Elizabeth, "Magnificat anima mea Dominum" (*Luc.* i. 46);
Simeon dixit ad Mariam de Infante Jesu, "Tuam..quoque animam penetrabit romphaea, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes" (*Luc.* ii. 35);
Jesus dixit de ultimis temporibus, "In patientia..possidete animas vestras" (*Luc.* xxi. [2]19):

[et alibi,]

"[3]Erunt fundamenta contusa, omnes facientes mercedem cum stagnis animae" (*Esai.* xix. 9, 10);
"Cum periculo animarum nostrarum adducimus panem nostrum propter gladium deserti" (*Thren.* v. 9);
"[4]Foderunt..foveam animae meae" (*Jerem.* xviii. 20);
"Fiet..anima eorum sicut hortus irriguus" (*Jerem.* xxxi. 12);
"Irrigabo animam lassam, et omnem animam, quae dolet, implebo" (*Jerem.* xxxi. 25);
"Vae consuentibus pulvillos subter omnes axillas manuum mearum, et facientibus pepla super caput omnis staturae, ad venandum animas; animas venamini populo meo, ut animas vobis vivificetis: profanasti..Me apud populum meum...ad occidendum animas quae non mori debent, et ad vivificandum animas quae non vivere debent" (*Ezech.* xiii. 18, 19);
"Ecce omnes animae meae sunt; sicut anima patris ita anima filii, meae sunt; anima quae peccaverit, illa morietur" (*Ezech.* xviii. 4, 20);
"Abibo...prae amaritudine animae meae" (*Esai.* xxxviii. 15);
"Circumdederunt me aquae usque ad animam" (*Jon.* ii. 6 [*B. A.* 5]);
"Venerunt aquae usque ad animam, submersus sum in luto profunditatis" (*Psalm.* lxix. 2[, 3] [*B. A.* 1, 2]);
"[5]Afflixerunt compede pedem meum, in terram venit anima mea" (*Psalm.* cv. 18);
"Educ e carcere animam meam" (*Psalm.* cxlii. 8 [*B. A.* 7]);
"Liberasti..animam meam a morte" (*Psalm.* lvi. 14 [*B. A.* 13]);
"Ad eripiendum a morte animam eorum, et ad vivificandum eos in fame" (*Psalm.* xxxiii. 19);
"Ne tradas me in animam hostium meorum" (*Psalm.* xxvii. 12; Ps. xli. 3 [*B. A.* 2]);
"Afflixi fame animam meam,....ne dicant in corde suo, Eia animae" ejus (*Psalm.* xxxv. 13, 25);
"Non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum ut videat corruptionem" (*Psalm.* xvi. 10);
"Vir timens Jehovam, docebit eum viam quam eliget; anima ejus in bono pernoctabit" (*Psalm.* xxv. 12, 13);
"Mundus manibus et purus corde, qui non effert ad vanitatem animam suam" (*Psalm.* xxiv. 4);
"Animas egenorum servabit, a dolo et violentia redimet animam eorum" (*Psalm.* lxxii. 13, 14);

"Benedic, anima mea, Jehovae" (*Psalm.* ciii. 1, 22);
"Omnis anima laudet Jah" (*Psalm.* cl. 6);
"Petent cibum animae suae" (*Psalm.* lxxviii. 18);
"Jehovah...inspiravit in nares" hominis "spiraculum vitarum, et factus est homo in animam viventem" (*Gen.* ii. 7):

in his locis dicitur "anima" pro vita spiritus hominis, quae vita spiritualis ejus vocatur.

[*e.*] (iv.) Quoniam binae vitae facultates homini sunt, nempe facultas intelligendi et facultas volendi, et utraque facultas facit vitam spiritualem hominis, constare potest ex quibusdam locis supra allatis, tum ex sequentibus, quod "anima" significet illam facultatem quae vocatur vita intellectus hominis:—Ut apud *Mosen*,

"Amabis Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis" (*Deutr.* vi. 5; cap. x. 12; cap. xi. 13; cap. xxvi. 16);

et apud *Evangelistas*,

"Jesus..dixit.., Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua" (*Matth.* xxii. [1]37; *Marc.* xii. [2]30, 33; *Luc.* x. 27):

per "amare Jehovam Deum toto corde et tota anima" intelligitur omni voluntate et omni intellectu, tum omni amore et omni fide; "cor" enim significat amorem et voluntatem, et "anima" significat fidem et intellectum; quod "cor" duo illa significet, nempe amorem et voluntatem, est quia amor hominis est voluntatis ejus; quod "anima" etiam significet duo, nempe fidem et intellectum, est quia fides est intellectus; quod "cor" et "anima" illa significent, est quia cor hominis correspondet bono amoris quod est voluntatis ejus, et anima pulmonum correspondet vero fidei quod est intellectus hominis: "[ex] omnibus viribus" et "[ex] tota mente" significat super omnia. Apud *Ezechielem*,

"Argentum eorum et aurum eorum non poterit eripere eos in die irae Jehovae, animam eorum non saturabunt, et viscera eorum non implebunt" (vii. 19):

hic quoque "anima" pro intellectu veri, quae "non saturari" dicitur, quando non verum in ecclesia; et "viscera" pro voluntate boni, quae "non impleri" dicuntur, quando non bonum in ecclesia: quoniam "argentum" ex correspondentia significat verum, et in opposito sensu falsum,

ac "aurum" significat bonum, et in opposito sensu malum, ideo dicitur, "Argentum eorum et aurum eorum non poterit eripere eos in die irae Jehovae;" "argentum et aurum" est non verum et non bonum, et quoque falsum et malum; "dies irae" est dies judicii. Apud *Esaiam*,

> "Erit Lux Israelis in ignem, et Sanctus ejus in flammam, quae accendet et comedet....gloriam silvae ejus et Carmelum.., ab anima..usque ad carnem consumet" (x. 17, 18):

per "Lucem Israelis" et per "Sanctum ejus," qui erunt in ignem et flammam, intelligitur Dominus quoad ultimum judicium; per "ignem et flammam" significatur exitium illorum qui in falsis mali sunt: per "gloriam silvae et Carmelum," quae "ignis et flamma comedet et consumet," significatur ecclesiae verum ac bonum veri, quae, quia versa sunt in falsa et mala falsi, destruentur: "ab anima usque ad carnem" significat usque ab intellectu ejus et ad voluntatem ejus; "anima" est intellectus veri, et "caro" est voluntas boni. Apud eundem,

> "Stultus stultitiam loquitur,....ad evacuandum animam esurientis, et potum sitientis deficere faciet" (xxxii. 6):

hic etiam per "animam" significatur homo quoad intellectum boni et veri, per "animam esurientis" intellectus boni, et per "animam sitientis potum" intellectus veri; quod homo qui in falsis mali est, deprivare conetur illo hominem qui in vero ex bono est, significatur per quod "stultus stultitiam loquatur ad evacuandum et ad deficere faciendum animam." Apud eundem,

> "Erit sicut cum somniat famelicus, quasi esset comedens, sed quando evigilat, jejuna est anima ejus; et quando somniat sitiens, quasi esset bibens, sed quando evigilat, ecce lassus, et anima ejus appetens; sic erit multitudo omnium gentium militantium contra montem Zionis" (xxix. 8):

haec dicta sunt de illis qui in falsis ex malo sunt, et putant usque illa esse vera ex bono; falsa mali pugnantia contra bona ecclesiae, [1]significantur per "multitudinem omnium gentium militantium contra montem Zionis;" "multitudo" praedicatur de veris, "gentes" significant mala, et "mons Zionis" significat ecclesiam quoad bonum amoris: mala quae creduntur esse bona, cum tamen sunt mala falsi, significantur per "Erit sicut somnians famelicus, quasi

esset comedens, sed quando evigilat, jejuna est anima ejus;" per "somniantem famelicum quasi comedentem" significatur opinio et fides erronea de bono, "somniare" significat opinionem et fidem erroneam, "famelicus et quasi comedens" significat quasi desiderium ad bonum quo nutriendus, "quando evigilat" [1]significat quando detegitur quid bonum, "jejuna anima" significat non intellectum boni: similia dicuntur de vero, quae significantur per "quando somniat sitiens, quasi esset bibens; sed quando evigilat, ecce lassus, et anima ejus appetens;" per "sitientem et quasi bibentem dum somniat" significatur opinio et fides sicut veri; "sed quando evigilat, ecce lassus, et anima ejus appetens," significat quod usque non verum sit sed falsum; per "animam" ibi significatur fides falsi ex non intellecto vero, nam malum et falsum, sicut bonum et verum, sunt fidei et intellectus, quando sunt solius cogitationis; nam homo potest cogitare, sicut intelligere et inde credere malum esse bonum, sicut falsum esse verum; tales sunt omnes illi qui in falsis doctrinae sunt, et solum fidem habent magistris et libris, nec cogitant num falsa ac mala sint, credentes esse vera et bona, quia confirmari possunt, non scientes quod falsum et malum aeque confirmari possint sicut verum et bonum. Apud eundem,

> "Si exprompseris famelico animam tuam, et animam afflictam saturaveris, . . exorietur in tenebris lux tua, et caligo tua sicut meridies" ([2]lviii. 10):

"expromere famelico animam, et animam afflictam saturare," significat docere illum quid bonum et quid verum qui desiderat; per "famelicum" significatur desiderans bonum, et per "afflictum" desiderans verum, et per "expromere animam" significatur docere illa, ita ex intellectu, doctrina, ac fide; quod illis qui in ignorantia sunt, sed usque in desiderio, dabitur intellectus veri et boni, significatur per "Exorietur in tenebris lux tua, et caligo tua sicut meridies;" "tenebrae" et "caligo" sunt ignorantia veri et boni, "lux" et "meridies" sunt intellectus eorum. In *Threnis*,

> "Omnis populus gementes, quaerentes panem, dederunt desiderabilia sua pro cibo, ad recreandum animam. . . . . Procul est a me consolans, recreans animam meam, facti sunt filii mei devastati, eo quod invaluerit hostis. . . . . Sacerdotes mei et seniores mei in urbe ex-

spirarunt, quia quaesiverunt cibum sibi, quo recrearent animam suam" (i. 11, 16, 19):

haec dicta sunt de ecclesia, in qua non verum et bonum doctrinae amplius, unde homines ejus desiderantes illa deficiunt: defectus boni et veri in doctrina, ac desiderium ad illa ad vitam fidei et intellectus nutriendam, significatur per "Omnis populus gementes, quaerentes panem dederunt desiderabilia pro cibo, ad recreandum animam;" defectus significatur per "gementes," desiderium ad bonum per "quaerentes panem," desiderium ad verum per "dare desiderabilia sua pro cibo," nutritio fidei et intellectus per "ad recreandum animam:" quod non sit aliqua nutritio fidei et intellectus, quia non amplius sunt vera propter mala vitae, significatur per "Procul est a me consolans, recreans animam meam, facti sunt filii mei devastati, eo quod invaluerit hostis;" "filii devastati" significant vera non amplius, "hostis" qui invaluit significat malum ab inferno, ita malum vitae: quod non aliqui docentes bonum et verum sint amplius, significatur per quod "sacerdotes et seniores mei in urbe exspirarunt; "sacerdotes" significant docentes bonum, "seniores" docentes verum, "urbs" significat doctrinam, et "exspirare" quod non sint amplius: quod nec illis aliqua nutritio spiritualis, significatur per "quia quaesiverunt cibum sibi, quo recrearent animam suam." In *Threnis*,

"Matribus suis dicunt, Ubi frumentum et vinum? cum deficiunt sicut confossus in platea urbis, cum effunditur anima eorum super sinum matrum eorum" (ii. 12):

per haec similia significantur quae supra, nempe quod talis desolatio ecclesiae ex defectu boni et veri in doctrina sit, ut vita spiritualis ibi deficiat et pereat: per "matres" significantur vera ecclesiae; quod illis dicant, "Ubi frumentum et vinum?" significat, Ubi nunc bonum doctrinae ac verum ejus? Quod "super sinum matrum effundatur anima illorum," significat quod deficiat et pereat vita spiritualis propter desolationem ex defectu veritatum: quia per "animam" intelligitur vita fidei et intellectus boni et veri, quae est vita spiritualis hominis, dicitur quod "deficiant sicut confossus in platea urbis;" per "confossum" significatur qui perit per falsa, et per "plateam urbis" significatur verum doctrinae. Apud *Jonam*,

"Cum deficeret super me anima mea" (ii. 8 [*B. A.* 7]):

agitur ibi de tentationibus, et per quod "deficeret super eum anima ejus," significatur quod deficeret verum fide et intellectu. Apud *Davidem*,

"Contabuit prae indignitate oculus meus, [anima mea,] et venter meus" (Ps. xxxi. 10 [*B. A.* 9]);

apud eundem,

"Incurvata..est ad pulverem anima [1]mea, adhaesit terrae venter noster" (Ps. xliv. 26 [*B. A.* 25]):

status tentationum per haec quoque describitur: per "oculum" significatur intellectus, per "animam" fides et intellectus veri, per "ventrem" fides et intellectus boni; quod hoc per "ventrem" significetur, est quia venter recipit cibum, et per "cibum" et "panem" significatur bonum nutriens, hic intellectum et fidem: defectus eorum in tentatione, significatur per "contabescere prae indignitate," perque "incurvari ad pulverem," et "adhaerere terrae." Apud *Mosen*,

"Dixerunt, Nunc..anima nostra arida est, non quicquam nisi quam ad mannam oculi nostri" (*Num.* xi. 6):

quoniam per "mannam" significatur nutritio spiritualis, etiam fides et intellectus seu intelligentia hominis est quae spiritualiter nutriuntur, et quia filiis Israelis non erat nutritio naturalis, quam tamen desiderabant, ideo dixerunt, "Anima nostra arida est, non quicquam nisi ad mannam oculi nostri;" per "animam aridam" significatur vita fidei et intellectus deficiens quando non simul nutritio naturalis; per "non quicquam nisi quod ad mannam oculi nostri" significatur quod solum sit nutritio spiritualis; et quia hanc fastidiverunt, data est illis caro "coturnicum" seu "selav," per quarum carnem significatur nutritio naturalis. In *Libro Primo Samuelis*,

Dixit Channah ad Eli, "Effudi animam meam coram Jehovah" (i. 15);

per "effundere animam coram Jehovah" significatur expromere cogitationes animi et cordis sui. Apud *Evangelistas*,

"Non solliciti sitis animae vestrae, quid esuri sitis, et quid bibituri, neque corpori, quid induturi; nonne anima plus est alimento, et corpus indumento?" (*Matth.* vi. 25; *Luc.* xii. 22, 23:)

haec tametsi de vita corporis dicta sunt, usque significant talia quae sunt vitae spiritus; nam omnia sensus litterae Verbi, qui naturalis est, continent in se sensum internum qui est spiritualis: in hoc sensu per "edere," "bibere," et per "alimentum" significatur nutritio spiritualis, quae est nutritio fidei et cum illa nutritio intellectus, unde intelligentia in spiritualibus; inde dicitur, "Ne solliciti sitis animae vestrae, quid esuri sitis et quid bibituri; nonne anima plus quam alimento?" "Edere" est intellectualiter ita spiritualiter percipere bonum, "bibere" est intellectualiter ita spiritualiter percipere verum, ac "alimentum" est bonum et verum ex quibus nutritio: per "induere corpus" et per "indumentum" significatur verum investiens bonum amoris et voluntatis; per "indumentum" significatur id verum, et per "corpus" significatur bonum amoris quod est bonum voluntatis. Apud *Davidem*,

> "Anima mea in medio leonum cubo, inflammantur filii hominis" (Ps. lvii. 5 [*B. A.* 4]):

per "animam" etiam hic significatur vita spiritualis quae est vita fidei, ita quoque vita intellectus; nam intellectus formatur ex veris, et consistit ex illis, sicut etiam fides: quia haec per "animam" significantur, et agitur ibi de vastatione veri, ideo dicitur, "In medio leonum cubo;" per "leones" significantur falsa destruentia vera ecclesiae: etiam dicitur, "Inflammantur filii hominis;" per "filios hominis" significantur vera doctrinae et ecclesiae, quae cum ab amore corporeo occupantur, et sic pereunt, dicuntur "inflammari." Apud *Mosen*,

> Abrahamus "locutus est cum" filiis Cheti,.."Si est cum anima vestra, ut sepeliam mortuum meum" (*Gen.* xxiii. 8):

"anima" significat ibi cogitationem ex vero. (Sed illa in *Arcanis Caelestibus*, n. 2930, explicata sunt.) Apud *Jeremiam*,

> "Abhorrebunt te amatores, animam tuam quaerent" (iv. 30):

per "amatores" intelliguntur qui in amore mali sunt; per "animam quaerere" significatur velle destruere fidem et intellectum veri per falsa mali. Apud *Ezechielem*,

> "Javan et Thubal,...cum anima hominis et vasis aeris, dederunt negotiationem" (xxvii. 13):

haec de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cogni-

tiones veri et boni; per "negotiationem" significatur comparatio et communicatio illarum; per "Javanem et Thubalem" sigificantur cultus externus repraesentativus, ac [1]per "animam hominis" significatur scientia veri in naturali homine, et per "vasa aeris" scientia boni in naturali homine. Scientia veri naturalis etiam significatur per "animas hominum," *Apoc.* xviii. 13; per "animas hominum" proprie intelliguntur mancipia seu servi, per quos etiam in sensu spirituali significantur vera scientifica naturalis hominis inservientia spirituali.

[*f.*] (v.) Quoniam vita fidei et quoque vita intellectus hominis est ex Divino Vero, quare etiam Divinum Verum per "animam" significatur, ut constare potest a sequentibus locis:—Apud *Jeremiam,*

> "Plantabo eos in terra hac, in veritate, in toto corde meo, et in tota anima mea" (xxxii. 41):

quia duo sunt quae procedunt a Domino, Divinum Bonum ac Divinum Verum, et haec recepta ab angelis caeli et ab hominibus ecclesiae faciunt vitam caelestem apud illos, inde constare potest quid significatur per "plantare eos in toto corde et in tota anima," nempe quod sit in Divino suo Bono et in Divino suo Vero; nam "cor" significat Divinum Bonum Divini Amoris, et "anima" Divinum Verum. Apud eundem,

> "Juravit Jehovah..per animam suam" (li. 14; *Amos* vi. 8):

Jehovah dicitur "jurare per animam suam" quando confirmat per Divinum suum Verum, "jurare" enim significat confirmare, et "anima Jehovae" Divinum Verum. Apud *Davidem,*

> "Jehovah justum probat, impium et amantem violentiam odit anima Ipsius" (Ps. xi. 5):

per "animam Jehovae" hic quoque significatur Divinum Verum, nam per "violentum" in Verbo significatur qui violentiam infert Divino Vero; quod quia fit per falsum mali, ideo hoc significatur per "impium et amantem violentiam." Apud *Esaiam,*

> "Electus meus, in quo beneplacitum habet anima mea; dedi spiritum meum super Illum" (xlii. 1):

haec de Domino, qui intelligitur per "Electum Jehovae;"

et quia per "spiritum Jehovae," qui super Illum datus est, significatur Divinum procedens, ideo per "animam Jehovae," quae beneplacitum habet in Ipso, significatur Divinum Verum; in hoc enim Divino fuit Dominus quoad Humanum suum in mundo. Apud *Jeremiam*,

"Dixit Jehovah..., Si staret Moses et Samuel coram Me, non anima mea erga populum hunc" (xv. 1):

per "Mosen" et "Samuelem" in sensu repraesentativo significatur Verbum; et quia Verbum est Divinum Verum, et per "populum" ibi intelliguntur filii Israelis, apud quos non aliquod Divinum Verum nisi falsificatum et adulteratum erat, dicitur, "Non anima mea erga populum hunc." Apud eundem,

"Annon sumet ultionem anima mea?" (v. 9, 29:)

etiam hic per "animam Jehovae" intelligitur Divinum Verum; ex hoc quando Dominus judicium facit, dicitur quod "ultionem sumet anima Ipsius;" simile significatur per "Filium hominis" qui "judicium facturus est;" "Filius hominis" est quoque Dominus quoad Divinum Verum. Apud eundem,

"Castigationem admitte, Hierosolyma, ne luxetur anima mea a te, ac redigam te in vastitatem" (vi. 8):

per "Hierosolymam" significatur ecclesia quoad doctrinam; per "castigationem admittere" significatur recipere disciplinam; per "ne luxetur anima mea a te" significatur ne recedat Divinum Verum ab illis; et per "redigere in vastitatem" significatur ne ecclesia desoletur quoad omne verum. Apud *Esaiam*,

"Jehovah....dans animam populo super terra, et spiritum ambulantibus in ea" (xlii. 5):

per "animam," quam Jehovah dat populo super terra, significatur Divinum Verum a Domino illis qui ab ecclesia Ipsius erunt; per "spiritum" quem Jehovah dabit ambulantibus in terra, significatur vita secundum Divinum Verum; "ambulare" significat vivere.

[*g*.] (vi.) Quoniam per "animam," ubi de Domino, significatur Divinum Verum, inde per "animam" etiam significatur vita spiritualis ex vero:—Apud *Mosen*,

"Anima omnis carnis sanguis illa" (*Levit.* xvii. 14):

quia ultima vita hominis, quae est vita corporis ejus, consistit in sanguine, ideo dicitur quod "anima omnis carnis," hoc est, vita ejus, "sit sanguis ejus:" at quia in singulis Verbi est sensus spiritualis, et in eo sensu per "sanguinem" significatur verum doctrinae ex Verbo, ideo illud quoque per "animam carnis" significatur. Quod "sanguis" significet verum doctrinae ex Verbo, quod est Divinum Verum, videatur supra (n. 328[a-c], 329, 476). Quoniam "sanguis" illud significabat, ideo interdictum fuit filiis Israelis edere sanguinem, et ideo sanguis holocaustorum et sacrificiorum spargebatur circum altare, ac per sanguinem fiebant sanctificationes et quoque inaugurationes, tum etiam per sanguinem iniebatur foedus Dei Israelis, hoc est, Domini, cum populo: et quoque a Domino initum est foedus novum cum hodierna ecclesia; quare sanguis Domini vocatus est "sanguis foederis," hoc est, conjunctionis cum Domino, et hoc quia Divinum Verum procedens a Domino conjungit: ex his nunc patet cur sanguis dicitur "anima." Propter hanc "sanguinis" significationem est quod ab antiquissimo tempore vetitum fuerit edere sanguinem:—Ut constare potest apud *Mosen*,

> "Omne repens quod vivum est, vobis esto in cibum,....attamen carnem cum anima ejus, sanguine ejus, non comedetis" (*Gen.* ix. [3,] 4):

hic quoque dicitur quod "sanguis sit anima carnis," quem comedere vetitum fuit, quia per "esum sanguinis" significabatur profanatio veri. Apud eundem,

> "Quisquis....comederit ullum sanguinem, dabo facies meas contra animam comedentem sanguinem, ut exscindam eam e medio populi ejus: nam anima carnis in sanguine illa: ideo dedi..eum super altare, ad expiandum animas vestras, eo quod sanguis ipse pro anima expiet" (*Levit.* xvii. 10, 11):

quia "anima," sicut "sanguis," significat verum ex Verbo, quod est Divinum Verum procedens a Domino, et quia omnis cultus Domini fit per Divinum Verum, ideo dicitur, "Quia anima carnis in sanguine est, ideo dedi eum super altare;" "dare sanguinem super altare" significat cultum ex Divino Vero: et quoniam omnis liberatio a malis et falsis, quae est expiatio, fit per Divinum Verum et per vitam secundum illud, ideo dicitur, "ad expiandum animas vestras, ex eo quod sanguis ipse pro anima expiet." Apud eundem,

"**Maxime sanguinem ex animabus vestris quaeram, de manu omnis ferae quaeram illum, imprimis de manu hominis, de manu viri fratris ejus quaeram animam hominis" (*Gen.* ix. 5):**

quod hic per "sanguinem" et quoque per "animam" intelligatur vita spiritualis hominis, quae est vita secundum Divinum Verum, constare potest ex eo, quod qui illam vitam exstinguit, pereat morte aeterna; illam enim non alius exstinguit quam qui in malo et falso infernali est. (Sed haec videantur in *Arcanis Caelestibus* explicata.)

[*h.*] (vii.) Quod per "animam viventem" significetur vita in communi, constare potest ex locis ubi bestiae, aves, reptilia et pisces vocantur "animae viventes:"—Ut in sequentibus,

"**Dixit Deus, Prorepere facient aquae reptile, animam viventem. .... Creavit Deus cetos magnos, et omnem animam viventem, reptantem, quam prorepere fecerunt aquae" (*Gen.* i. 20, 21);**

"**Dixit Deus, Producat terra animam viventem secundum speciem suam, bestiam...et feram" (*Gen.* i. 24);**

"**Adduxit" Jehovah "ad hominem omnem bestiam agri, et omnem avem caelorum, ad videndum, quid vocaret id; et quicquid vocabat id homo, animam viventem, id nomen ejus" (*Gen.* ii. 19);**

"**Omnis anima vivens, quae natat, quocunque venerint fluvii, vivet; unde fit piscis multus" (*Ezech.* xlvii. 9);**

"**Omnis anima vivens mortua est in mari" (*Apoc.* xvi. 3):**

per omnia "animalia" in sensu spirituali significantur illa quae naturalis hominis et ejus vitae sunt; et quia per vitam naturalis hominis, quae est vita in ultimis, significatur vita in omni complexu, inde est quod dicantur "animae viventes." Ex his nunc constare potest quid in Verbo significatur per "animam," quod nempe vita hominis, tam naturalis quam spiritualis ejus, ita tam corporis quam spiritus ejus. Inde videri potest quam perversa idea, primum ab eruditis, et inde a vulgo, de anima hominis capta sit; nempe, quod sit aliquod ens individuum residens in aliquo loco corporis, sive in cerebro, sive in corde, sive alibi; et quod per mortem solutum ab homine, absque corpore sit, et absque sensoriis et motoriis, qualia sunt corpori, et quod haec accessura illi die ultimi judicii; tum quod sit interea quoddam volitans in aethere, aut permanens in quodam ubi, exspectans accessorium suum, quod est corpus. Haec nunc est idea mundi de anima hominis; cum tamen per "animam" in Verbo nihil tale intelligitur, sed intelligitur vita hominis, quae nusquam datur separata a corpore, sed in corpore; nam corpus est forma externa

illius vitae quae vocatur anima, efficiens ejus arbitria et nutus in utroque mundo, tam naturali in quo homines vivunt, quam spirituali in quo spiritus et angeli: et quia Divinum procedens a Domino facit vitam omnium, ideo illud per "animam" in caelesti sensu significatur. Quia Divinum procedens, ubicunque venit, format imaginem Domini, ita format angelos et spiritus, ut sint formae humanae secundum receptionem, inde nunc sequitur quod per animam viventem post mortem intelligendus sit ejus spiritus, qui homo est tam anima quam corpore, anima qua dominetur super corpus, et corpore quo anima sua arbitria in mundo, in quo est, efficiat.

751. [*Vers.* 12.] ***"Propter hoc gaudete, caeli et in illis habitantes."***—Quod significet *salvationem et inde gaudium illorum qui spirituales per receptionem Divini Veri fiunt*, constat ex significatione "gaudere," quod sit gaudium propter salvationem; ex significatione "caelorum," quod sint spirituales (de qua sequitur), et ex significatione "habitantium," quod sint qui vivunt, hic spiritualiter. (Quod "habitare" significet vivere, videatur supra, n. 133, 479, 662.) Quod "caeli" significent spirituales, est quia omnes illi qui in caelis sunt spirituales sunt; et quia homines, qui facti sunt spirituales, similiter in caelis sunt, tametsi quoad corpus in mundo, ideo per "habitantes in caelis" non solum angeli, sed etiam homines intelliguntur: omnis enim homo apud quem mens interior, quae vocatur mens spiritualis, aperta est, in caelis est, immo etiam quandoque inter angelos in caelis apparet: quod ita sit, in mundo adhuc ignotum est; quare sciendum est quod homo quoad spiritum suum inter spiritus et angelos sit, et quidem in ea societate illorum in quam venturus est post mortem: causa est, quia mens spiritualis hominis prorsus formata est ad imaginem caeli, usque adeo ut sit caelum in minima forma; quare non alibi est quam ubi est forma ejus, et hoc tametsi illa mens adhuc in corpore est. Sed haec melius illustrata sunt in opere *De Caelo et Inferno* (n. 51-58), ubi ostensum est quod unusquisque angelus, et quoque unusquisque homo quoad interiora sua, si hic spiritualis est, sit caelum in minima forma, correspondens caelo in maxima. Inde est quod in Verbo ubi agitur de creatione caeli et terrae, intelligatur in communi ecclesia interna et externa, tum in particulari homo internus et externus, seu spiritualis et naturalis. Ex

his constare potest quod per "caelos et in illis habitantes" significentur omnes ibi, tum homines qui spirituales per Divini Veri receptionem doctrina et vita fiunt.

752. *"Vae habitantibus terram et mare."*—Quod significet *lamentationem super illos qui mere naturales et sensuales fiunt*, constat ex significatione "vae," quod sit lamentatio (de qua supra, n. [1]531); ex significatione "habitantium terram et mare," quod sit mere naturales et sensuales; nam cum per "habitantes in caelis" significantur spirituales, per "inhabitantes terram et mare" significantur naturales et sensuales, est enim mens naturalis et sensualis infra mentem spiritualem, sicut est terra et mare infra caelos; et quoque in mundo spirituali apparent caeli in editis, et longe infra illos terrae et maria, ac in caelis habitant spirituales, et super terris longe infra illos habitant naturales, ac in maribus sensuales; quisque enim habitat alte et profunde, sicut interiora ejus, quae vocantur mentis, aperta aut clausa sunt. Inde est quod in Verbo per "caelum et terram" quibusdam in locis significetur ecclesia interna et externa, seu ecclesia spiritualis et naturalis; tum in particulari homo spiritualis et naturalis, ex causa quia ecclesia est in homine, et inde homo est ecclesia, qui spiritualis est. Quod hic per "terram et mare" significentur mere naturales et sensuales, est quia per "terram" hic intelligitur illa terra in quam "draco projectus est," et in quam "descendit diabolus," ut mox sequitur: ac mere naturalis seu externus homo ibi est; nam naturalis homo absque spirituali, seu externus homo absque interno, est super terra damnata, sub qua est infernum: homo enim nascitur sensualis et naturalis, ita sicut in inferno, quia in omnis generis mala; at per regenerationem fit spiritualis, et per illam extrahitur homo ab inferno, et elevatur in caelum a Domino; inde est, quod haec lamentatio sit super illos qui mere naturales et sensuales sunt. Quod lamentatio sit super illos, est quia intelliguntur illi qui in fide separata a charitate sunt, ita qui dicunt se in fide esse, tametsi in nulla vita fidei; quod illi mere naturales et sensuales fiant, supra (n. 714, 739) ostensum est; illi etiam per "draconem et ejus angelos," ac per "serpentem antiquum," intelliguntur; hic autem qui facile a dracone et ejus angelis se patiuntur seduci: hi itaque sunt, de quibus dicitur, "Vae

habitantibus terram et mare." (Quod per "caelum et terram" significetur ecclesia interna quae spiritualis, et ecclesia externa quae naturalis, videatur supra, n. 304. Quod per "terram" etiam significetur damnatio, n. 742. Quod per "maria" significentur extrema vitae hominis, quae vocantur sensualia, n. 275, 342, 511: quod etiam significent inferna, n. 537, 538.)

753. *"Quia descendit diabolus ad vos."*—Quod significet *quia recipiunt mala ex inferno*, constat ex significatione "diaboli," quod sit infernum ex quo mala (de qua supra, n. 740); et ex significatione "descendere ad illos," cum de diabolo, quod sit esse inter illos, seducere illos, et recipi ab illis; per illos, ad quos descendit diabolus, intelliguntur "inhabitantes terram et mare," per quos significantur mere naturales et sensuales, qui tales facti sunt quia rejecerunt vitam fidei, quae vocatur charitas; et qui hanc rejiciunt ex religione, credentes et dicentes corde suo quod facta nihil ad salutem faciant, sed solum fides, et pietas in cultu, illi manent naturales, immo fiunt sensuales, quantum bona actu seu facta rejiciunt, et se tradunt voluptatibus oriundis ex amoribus sui et mundi: hi quia naturales manent, immo sensuales fiunt, mala ex inferno ascendentia cum jucundo recipiunt, nam naturalis homo in illis ex nativitate est, et nisi spiritualis etiam fiat, in illis manet; nam cum homo fit spiritualis communicat cum caelis, et inde bona recipit, et bona per caelum a Domino removent mala, quod unice fit per vitam secundum praecepta ex Verbo.

754. *"Habens iram magnam."*—Quod significet *odium contra vera et bona spiritualia, quae sunt fidei et vitae ex Verbo, proinde contra eos qui in illis sunt*, constat ex significatione "irae magnae," cum de diabolo, quod sit odium: "ira" enim, cum de Domino, significat zelum, in quo tamen intus est caelum; at cum de diabolo,est odium, in quo intus est infernum; quod haec et plura alia per "iram" et "excandescentiam" significentur, videatur supra (n. 413, 481 fin., 647, 693). Quod odium diaboli sit contra vera et bona spiritualia, est quia vera et bona mere naturalia sunt illis prorsus opposita; vera enim et bona mere naturalia sunt in sua essentia falsa et mala, tametsi coram illis qui mere naturales et sensuales sunt, apparent sicut vera et bona, quia bona eorum sunt voluptates et jucunditates scaturientes ex amoribus sui et mundi, et vera eorum sunt quae illis bonis favent; et quia amores sui et mundi ex inferno sunt, ideo in sua essentia sunt mala et falsa.

At vera et bona spiritualia in sua essentia sunt vera et bona, quia bona sunt jucunditates scaturientes ex amore in Dominum et ex amore erga proximum, et vera sunt quae illa bona docent; et quia haec vera et bona per caelum ex Domino sunt, ideo vocantur spiritualia, omne enim id quod procedit ex Domino spirituale vocatur: et quoniam homo haec vera et bona non recipere potest, nisi illa credat et illa faciat, ideo additur, *quae sunt fidei et vitae ex Verbo:* vivere ex Verbo est vivere ex Domino, nam Dominus est in Verbo, immo est Verbum. Nunc quia vera et bona mere naturalia, quae in sua essentia sunt falsa et mala, prorsus opposita sunt veris et bonis spiritualibus, quae in sua essentia sunt vera et bona, ideo diabolus, per quem intelligitur infernum, in continuo odio est contra ea: inde est quod ex infernis odia varii generis continuo ascendant, et vicissim ex caelis amores spirituales etiam varii generis descendant; et quod inter odia infernorum et inter amores caelorum sit aequilibrium, in quo homines in mundo tenentur, ob causam ut ex libero secundum rationem possint agere: quapropter qui non vivunt ex Verbo, sed ex mundo, illi quia naturales manent, recipiunt ex inferno mala et inde falsa, et ex illis concipiunt odium contra vera et bona spiritualia. Odium quidem illorum non apparet in mundo, quia latet intus in spiritu eorum reconditum, at manifestatur post mortem, quando spiritus fiunt; tunc contra illos qui in veris et bonis spiritualibus sunt, tanto odio flagrant ut non describi possit; est odium internecinum: ut primum enim vident angelum, qui in illis veris et bonis est, immo si modo audiunt nominari Dominum, a quo illa vera et bona sunt, illico in furores odii veniunt, ac nihil jucundius sentiunt quam persequi illos, malefacere illis; et quia non trucidare corpus eorum possunt, flagrante corde trucidare animam eorum conantur. Quod dicatur, "Vae habitantibus terram et mare, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam," est quia post ultimum judicium status mundi spiritualis prorsus mutatus est; ante illud judicium permissum fuit illis qui civilem et moralem vitam in externis potuerunt agere, tametsi non spirituales essent, sibi tanquam caelos formare, et ibi frui voluptatibus qualibus in mundo; at postquam ultimum judicium peractum est, tunc non amplius id permittitur,

nunc enim unusquisque fertur secundum vitam suam, qui mere naturalis est, ad infernum, et qui spiritualis ad caelum; hoc quoque est, quod "draco et angeli ejus e caelo projecti sint in terram;" nempe quod prius datum sit illis conjunctionem habere cum angelis qui in caelis ultimis erant, et propterea sibi tales caelos formare; nunc id non amplius conceditur. Hoc itaque est quod in specie intelligitur per odium contra illos qui in veris et bonis spiritualibus sunt, quod odium significatur per "iram magnam" quam habet diabolus contra inhabitantes terram et mare.

755. ***"Sciens quod exiguum tempus habeat."***—Quod significet *quia status mutatus est*, constat ex significatione "temporis," quod sit status procedens vitae (de qua supra, n. 571, 610, 664, 673); inde per quod "exiguum tempus habeat" significatur quod prior status mutatus sit; prior enim status describitur per quod "draco et angeli ejus visi sint in caelo," at posterior status describitur per quod post pugnam cum Michaele et angelis ejus "projecti sint in terram;" qualis hic status est, in mox praecedente articulo paucis dictum est; at plenior hujus status descriptio post finem hujus operis dabitur.

VERSUS 13, 14.

756. ***"Et cum vidit draco quod projectus in terram, persecutus est mulierem quae peperit masculum. Et datae mulieri duae alae aquilae magnae, ut volaret in desertum in locum suum, ubi aleretur ibi tempus et tempora et dimidium temporis a facie serpentis."***

13. ***"Et cum vidit draco quod projectus in terram,"*** significat *cum religio solius fidei separatae a vita charitatis non agnosceretur, sed pro vili haberetur* [n. 757]; ***"persecutus est mulierem quae peperit masculum,"*** significat *quod illi qui per "draconem" intelliguntur ex odio et inimicitia rejicerent et calumniarentur ecclesiam, quae Nova Hierosolyma, quia ei doctrina vitae* [n. 758].

14. ***"Et datae mulieri duae alae aquilae magnae,"*** significat *intelligentiam et circumspectionem spiritualem, quae a Domino datur illis qui ab ea ecclesia sunt* [n. 759]; ***"ut volaret in desertum in locum suum,"*** significat *adhuc inter paucos, quia inter illos qui non in vita charitatis, et inde nec in veris* [n. 760]; ***"ut aleretur ibi tempus et tempora et dimidium temporis a facie serpentis,"*** significat *usque dum ecclesia crescit et venit ad suum plenum* [n. 761].

757. [*Vers.* 13.] ***"Et cum vidit draco quod projectus in terram."***—Quod significat *cum religio solius fidei separatae a vita charitatis non agnosceretur, sed pro vili haberetur*, constat ex significatione "videre," quod sit animadvertere et percipere; ex significatione "draconis," quod sint qui vitam

nihili faciunt in ecclesia; et quia id praecipue faciunt illi quibus doctrina est quod sola fides justificet, et prorsus non vita fidei, quae est charitas (de qua supra, n. 714[*b*], 715, 716, 718, 737), inde per "draconem" hic significatur religio solius fidei separatae a vita charitatis: et ex significatione "projecti in terram," quod sit quod separatus a caelo ac damnatus inferno (de qua supra, n. 739[*a*], 742, 746[*a*]); quod hic per "projectus esse in terram" significetur quod religio illa non agnosceretur, sed pro vili haberetur, est quia dum aliquid religionis aut doctrinae non concordat cum vero et bono, tunc separatur a caelo, et non amplius agnoscitur, sed pro vili habetur. Hoc fit primum in mundo spirituali, et postea in mundo naturali; nam in talibus quae caeli et ecclesiae sunt, uterque mundus unum agit; homo enim qui in mundo naturali vivit, de spiritualibus non aliter potest cogitare quam sicut angeli et spiritus apud illum cogitant, quoniam spiritualia sunt supra cogitationem naturalem hominis, et quae supra sunt, dependent ex influxu, tametsi eum modo recipiunt illi qui interius spirituales sunt, qui sunt qui in affectione veri propter verum sunt, qui etiam sunt qui vivunt secundum vera; ab his religio fidei separatae a vita charitatis non agnoscitur, sed pro vili habetur. Aliter ab illis qui non afficiuntur veris nisi propter famam, honores et lucra, proinde qui vitam charitatis nihili faciunt; hi non aliquem influxum e caelo recipiunt, quare unum faciunt cum inferno; hi sunt qui per "draconem" significantur.

758. ***"Persecutus est mulierem quae peperit masculum."***— Quod significet *quod illi, qui per "draconem" intelliguntur, ex odio et inimicitia rejicerent et calumniarentur ecclesiam, quae est Nova Hierosolyma, quia ei doctrina vitae*, constat ex significatione "persequi," cum de illis qui per "draconem" intelliguntur, quod sit ex odio et inimicitia rejicere et calumniari (de qua sequitur); ex significatione "mulieris," quod sit ecclesia quae Nova Hierosolyma vocatur (de qua supra, n. 707, 721[*a*], 730[*a*]); et ex significatione "masculi," quod sit doctrina illius ecclesiae, quae est doctrina vitae (de qua supra, n. 724[*a*], 725): inde constat quod "draco persecutus sit mulierem quae peperit masculum," significet quod illi, qui per "draconem" intelliguntur, ex odio et inimicitia rejicient et calumniabuntur ecclesiam, quae Nova Hierosolyma, quia ei doctrina vitae. Quod "persequi" hic signifi-

cet ex odio et inimicitia rejicere et calumniari, sequitur ex praecedentibus his, quod "draco steterit juxta mulierem parituram, ut devoraret fetum ejus;" tum quod "pugnaverit cum Michaele et angelis ejus," et quod "cum projectus est in terram, iram magnam habuerit," et quod ex hac ira, per quam significatur odium, "persecutus sit mulierem;" quod per "iram" ejus significetur odium, videatur supra (n. 754); et porro describitur odium ejus in sequentibus, per quod "ex ore suo ejecerit aquam tanquam flumen post mulierem, ut illam absorberet," et demum, cum omnia incassum tentatus est, quod "iratus abiverit facere bellum cum reliquis seminis ejus." Quod tale odium sit illis qui per "draconem" intelliguntur, contra illos qui per "mulierem," est quia tale odium est illis qui in fide separata sunt contra illos qui in charitate sunt; et quia illi qui in fide separata sunt conjunctionem cum infernis habent, inde simile odium est illis quale est infernis contra caelos. Unde hoc odium est, paucis dicetur. Omnes qui in infernis sunt, in amoribus sui et mundi sunt; at omnes qui in caelis, in amoribus in Dominum et erga proximum sunt; et hi amores sunt illis prorsus oppositi. Qui in amoribus sui et mundi sunt, non amant nisi quam suum proprium, et proprium hominis non est nisi quam malum; at qui in amoribus in Dominum et erga proximum sunt, non amant suum proprium, nam amant Dominum supra se, et proximum extra se; etiam detinentur a suo proprio, ac tenentur in proprio Domini, quod est Divinum. Praeterea omnia jucunda vitae sunt jucunda amorum; jucunda amorum sui et mundi sunt jucunda odii varii generis, at jucunda amorum in Dominum et erga proximum sunt jucunda charitatis varii generis, et haec sunt illis e diametro opposita; et quia illi qui in infernis sunt, omnia quae agunt ex jucundis amorum suorum agunt, quae, ut dictum est, sunt jucunda odii varii generis, inde patet unde tale odium draconi sit contra mulierem; nam per "draconem" intelliguntur qui in amore sui sunt: quare vocatur "draco magnus rufus;" per "magnum rufum" significatur ille amor; et quoque vocatur "diabolus et satanas;" per "diabolum" intelligitur omne malum quod ex inferno, et per "satanam" omne falsum inde, ac malum est in odio contra bonum, et falsum est in odio contra

verum; et quoque vocatur "serpens antiquus," per quem intelligitur sensuale, quod est ultimum vitae hominis, et in illo sensuali residet omne tale. Simile odium est illis qui in fide separata sunt contra illos qui in charitate, quod odium non manifestatur in hoc mundo, sed in mundo spirituali, quando spiritus facti sunt. Quod odium illud sit internecinum, et quod sit ipsum jucundum vitae spirituum malorum, videatur supra (n. 754); sed quod tale jucundum vertatur in dirum infernale, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 485-490).

759. [*Vers.* 14.] ***"Et datae mulieri duae alae aquilae magnae."***—Quod significet *intelligentiam et circumspectionem spiritualem, quae a Domino datur illis qui ab ea ecclesia sunt*, constat ex significatione "mulieris," quod sit ecclesia quae Nova Hierosolyma vocatur (de qua supra); proinde quod sint homines illius ecclesiae: ex significatione "alarum," quod sint spiritualia (de qua supra, n. 282, 283, 529); et ex significatione "aquilae," quod sit intelligentia et circumspectio (de qua etiam supra, n. 282); inde sequitur, quod per quod "datae mulieri duae alae aquilae magnae," significetur intelligentia spiritualis et circumspectio, quae a Domino datur illis qui ab ea ecclesia sunt. Quid per haec intelligitur, etiam dicetur. Quoniam omnes qui per "draconem et ejus angelos" intelliguntur, sunt naturales, immo sensuales, ut supra ostensum est, et illi ex apparentiis, quae quoad plurimam partem sunt fallaciae, ratiocinantur, et per id simplices seducunt, quare datum est hominibus Novae Ecclesiae, quae Sancta Hierosolyma vocatur, Divina vera quae in Verbo sunt, non sensualiter, hoc est, secundum apparentias, intueri, sed spiritualiter, hoc est, secundum essentias; ideo detectus est sensus internus Verbi, qui spiritualis est, et solum pro illis qui ab illa ecclesia erunt. Ex illo sensu apparet Divinum Verum quale est in sua luce spirituali, et ex hac luce quale est Divinum Verum in sua luce naturali. Divinum Verum est Verbum; et illi qui ab ea ecclesia sunt illustrantur ex luce Verbi spirituali per influxum e caelo a Domino, ex causa quia agnoscunt Divinum in Humano Domini, et ab Ipso in affectione veri spirituali sunt: ab his et non ab aliis lux spiritualis, quae jugiter influit per caelum a Domino apud omnes qui legunt Verbum, recipitur; inde illorum illustratio. Quomodo

illustratio fit, etiam dicetur. Unusquisque homo quoad cogitationes et affectiones suas est in mundo spirituali; consequenter quoad spiritum suum, nam spiritus hominis est qui cogitat et qui afficitur: homo qui spiritualis factus est per regenerationem a Domino, quoad spiritum suum est in societate caelesti; at homo naturalis, qui est qui non regeneratus, quoad spiritum suum est in societate infernali; apud hunc influunt continuo mala ab inferno, et quoque cum jucundo recipiuntur; apud illum autem influunt continuo bona e caelo, et quoque recipiuntur; et quia bona influunt in affectionem ejus, et per affectionem in cogitationem, inde ei illustratio. Haec illustratio est quae intelligitur per intelligentiam et circumspectionem spiritualem, quae significatur per "alas aquilae," quae datae sunt mulieri, quibus volavit in desertum. Hi, nempe spirituales, sunt quoque comparative sicut aquilae alte volantes; at illi qui mere naturales sunt, comparative sunt sicut serpentes, qui humi repunt, ac vident aquilas super se; quare etiam in mox sequente versu draco dicitur "serpens." Praeterea per "alas aquilae," quae datae sunt mulieri, significatur intellectus veri; nam omnes qui ab illa ecclesia sunt intellectum illustratum habent, ex quo videre possunt verum ex luce veri, hoc est, num sit verum vel non verum; et quia ita vident verum, agnoscunt illud, et recipiunt illud affectione quae est voluntatis: ex eo fiunt vera apud illos spiritualia; consequenter mens spiritualis, quae supra mentem naturalem est, apud illos aperitur, et aperta accipit visum angelicum, qui est visus ipsius veri ex luce ejus. At vero qui non ab ecclesia illa sunt, qui sunt qui non agnoscunt Divinum in Humano Domini, quique non amant verum quia verum est, ita spiritualiter, illi non intellectum illustratum possunt habere, ex quo videre possunt num verum sit vel non; sed apparentias veri vident ut genuina vera, et illas sicut genuina vera ex sensu litterae Verbi confirmant; in quo tamen sensu Verbi pleraque sunt apparentiae veri, quae si confirmantur ut genuina vera, falsificantur; et falsificata vera sunt falsa. Hi quia non videre possunt vera ex luce veri, et sic intellectu capere illa, in obscura, immo in caeca fide sunt, de credendis; et caeca fides est sicut oculus qui parum vel nihil videt; immo caeca fides non est fides, sed modo persuasio: et quia illa

persuasio ex alio est, sive ex magistro, sive ex praedicatore, sive ex Verbo non intellecto, est fides historica, quae naturalis est et non spiritualis. Hi quia non vident vera, etiam dicunt et volunt ut ecclesiae doctrinalia non aliquo intellectu adeantur et lustrentur, sed ex obedientia quae vocatur fidei, recipiantur: et quae ex caeca fidei obedientia recipiuntur, non sciuntur num vera sint vel num falsa; et talia non aperire possunt viam ad caelum: in caelo enim non agnoscitur aliquod ut verum nisi quod videtur, hoc est, intelligitur; lux etiam caeli talis est ut ex illa appareant vera coram intellectu mentis, sicut apparent objecta mundi coram visu oculi; quapròpter illi qui in mundo non aliter viderunt vera quam ex visu fidei caeco, illi cum in caelum ad angelos feruntur, prorsus nihil vident, ne quidem angelos ibi, minus magnifica eorum; et quoque tunc quoad intellectum stupescunt, et inde quoad oculos caligantur, et sic recedunt. At sciendum quod omnes illi tales sint, qui a fide separaverunt charitatem; qui autem non separaverunt, sed vixerunt vitam fidei, quae vocatur charitas, illi omnes in desiderio videndi vera sunt; quare dum in mundum spiritualem veniunt, quod fit post obitum, datur illis videre ea: causa est, quia apud hos spiritualis mens aperta est, et inde in luce caeli sunt, in quam post excessum e mundo naturali actualiter immittuntur. Ex his constare potest quid per "alas aquilae" significatur, nempe quod intellectus veri; et quia per "mulierem" intelligitur Nova Hierosolyma, significatur quod intellectus veri datus sit et dabitur illis qui ab ea ecclesia futuri sunt.

760. ***"Ut volaret in desertum in locum suum."***—Quod significet *adhuc inter paucos, quia inter illos qui non in vita charitatis sunt, ut ecclesia interea provideatur inter plures*, constat ex illis quae supra (n. 730[a], 731) explicata sunt, ubi simile dicitur; cum differentia solum, quod ibi de muliere dicatur, quod "fugerit in desertum, ubi habet locum praeparatum a Deo," hic autem quod "volaverit in desertum in locum suum."

761. ***"Ut aleretur ibi tempus et tempora et dimidium temporis a facie serpentis."***—Quod significet *usque dum ecclesia crescit et venit ad suum plenum*, constat ex significatione "ali," quod sit sustentari et interea crescere; a significatione "temporis et temporum et dimidii temporis," quod sit sta-

tus incrementi ecclesiae usque ad suum plenum, simile enim per illa significatur quod supra (vers. 6) per "dies mille ducentos sexaginta," nam simile de muliere ibi dicitur, nempe quod "fugerit in desertum, ubi habet locum praeparatum a Deo, ut ibi alant eam diebus mille ducentis sexaginta;" quod per hunc numerum simile significetur quod per numerum "tria et dimidium," tum quod per numerum "septem," nempe usque dum crescit in plenum, videatur supra (n. 732): quod autem hic "tempus, tempora ac dimidium temporis" dicatur, est quia numeri illi praedicti in suis locis etiam significant tempora, et per "tempora" significantur status vitae qui procedunt (videatur supra, n. 571, 610, 664, 673, 747), hic itaque qui procedunt et crescunt usque ad plenum: quod dicatur "tempus, tempora et dimidium temporis," est quia "tempus" in singulari significat statum boni, "tempora" in plurali significant statum veri, utrumque quoad implantationem eorum, et "dimidium temporis" significat sanctum ecclesiae: causa quod talia significentur, est quia res in singulari involvit bonum, in plurali vera, et dimidium sanctum; quod dimidium involvit sanctum, est quia "tria" significant plenum, similiter "tria et dimidium" ac "septem;" at "septem" significant plenum dum agitur de sanctis, ac dimidium illud post tria, implet et facit numerum septem, nam tria et dimidium duplicata sunt septem, ac numerus duplicatus et multiplicatus simile significat cum numero qui duplicatur aut multiplicatur, ut hic "septem" simile cum "tribus et dimidio:" quod "septem" significent plenum et totum, et dicantur de sanctis, videatur supra (n. 20, 24, 257). Quod per "tempus, tempora et dimidium temporis" talia significentur, constare potest ex his apud *Danielem*,

> Vir indutus linteis "sustulit dextram suam et sinistram suam ad caelos, et juravit per Viventem in aeternum, quod ad tempus statum temporum statorum et dimidium, et cum consumpturi essent dispergere manum populi sanctitatis, consummanda essent omnia haec" (xii. 7):

ex quibus patet quod per illa "tempora" significetur consummatio; nam dicitur, "usque dum consummanda essent omnia haec;" per consummationem intelligitur impletio, ita usque ad plenum.

VERSUS 15, 16.

762. *"Et ejecit serpens post mulierem ex ore suo aquam tanquam flumen, ut illam a flumine absorptam faceret. Et adjuvit terra mulierem, et aperuit terra os suum, et deglutivit flumen quod ejecit draco ex ore suo."*

15. *"Et ejecit serpens post mulierem ex ore suo aquam tanquam flumen,"* significat *astutas ratiocinationes in copia de justificatione per solam fidem ex illis qui sensualiter et non spiritualiter cogitant* [n. 763]; *"ut illam a flumine absorptam faceret,"* significat *ut ecclesia illa per ratiocinationes occaecaretur et dissiparetur* [n. 763½].

16. *"Et adjuvit terra mulierem, et aperuit terra os suum, et deglutivit flumen quod ejecit draco ex ore suo,"* significat *quod illi qui ab ecclesia quae non in veris, operam praestiterint, et astutas ratiocinationes illorum qui a fide separata essent, non receperint* [n. 764].

763. [*Vers.* 15.] *"Et ejecit serpens post mulierem ex ore suo aquam tanquam flumen."*—Quod significet *astutas ratiocinationes in copia de justificatione per solam fidem ex illis qui sensualiter et non spiritualiter cogitant*, constat ex significatione "serpentis," quod sint sensuales, et abstracte quod sit sensuale, quod est ultimum naturalis apud hominem (de qua supra, n. 70, 581, 739); quod etiam "dracones" sint sensuales, videatur supra (n. 714); ex significatione "mulieris," quod sit ecclesia, quae Nova Hierosolyma erit (de qua in hoc capite pluries supra); ex significatione "oris," quod sit cogitatio, unde loquela (de qua etiam supra, n. 580); ex significatione "aquae," quod sit verum fidei, et in opposito sensu falsum (de qua supra, n. 483, 518, 537, 538); et ex significatione "fluminis," quod sit intelligentia ex intellectu veri, et in opposito sensu ratiocinatio ex falsis (de qua etiam supra, n. 518); inde per "ejectionem aquae tanquam fluminis," significatur ratiocinatio ex falsis in copia: quod sint acutae ratiocinationes de justificatione per solam fidem ex illis qui sensualiter et non spiritualiter cogitant, est quia per "draconem" intelliguntur qui justificationem ex sola fide defendunt, et qui sensuales sunt, et inde sensualiter et non spiritualiter cogitant et ratiocinantur; (quod per "draconem" significentur illi qui justificationem per solam fidem defendunt, videatur supra, n. 714;) et quia per "dracones" et per "serpentes" significantur sensuales, et quia sensuales homines etiam prae reliquis astuti sunt, exque falsis et ex fallaciis acriter ratiocinantur: (quod per "draconem" ut per "serpentem" in sensu abstracto significetur astutia, videatur supra, n. 715, 739, 581): ex his nunc patet quid significatur per quod "draco ejecerit post mulierem ex ore suo aquam sicut flumen." Quia talia significantur, etiam aliquid dicetur

de astutis ratiocinationibus illorum de justificatione per solam fidem. Dogma illorum est quod homo justificetur et salvetur per solam fidem absque operibus Legis, quae sunt bona charitatis: at quia in Verbo utriusque Testamenti vident quod toties dicantur "opera" et "facta," tum "facere" et "amare," non possunt aliter quam affirmare quod bene vivendum sit; sed quia separaverunt opera aut facta a fide sicut non justificantia et salvantia, astute conjungunt illa et fidem, sed usque ita ut potius separent quam conjungunt. Sed quia ratiocinationes illorum in tali copia sunt, et cum tali astutia, ut non paucis possint expromi, ideo in singulari opusculo *De Fide Spirituali* detegentur, et ad captum etiam simplicium sistentur videndae. Creditur in vulgo, et quoque credunt ipsi qui justificationem per solam fidem defendunt, quod spiritualiter cogitent et ratiocinentur, quia acute et astute: sed sciendum est quod nemo spiritualiter cogitet et ratiocinetur, quam qui in illustratione est a Domino, et inde in affectione veri spirituali; hi enim in luce veri sunt, et lux veri est lux caeli, ex qua intelligentia et sapientia est angelis; illa lux est quae vocatur spiritualis, et consequenter illi qui in ea luce sunt spirituales sunt: illi autem qui in falsis sunt, utcunque acute cogitant et ratiocinantur, non spirituales sunt, sed naturales, immo sensuales; sunt enim cogitationes et inde ratiocinationes illorum pleraeque ex fallaciis sensuum, quas aliqui eloquio exornant, ac flosculis concinnant, et per apparentias ex sola Natura confirmant; quidam autem scientifica ratiociniis addunt et inaptant, et ex igne amoris sui et inde fastus propriae intelligentiae illa pronuntiant, ita cum sono sicut affectionis veri. In talibus consistit astutia illorum, quae apparet sicut sapientia coram illis qui non aliquo intellectu possunt aut audent intrare in talia quae ecclesiae et Verbi sunt. Quod sensuales homines astute cogitare, loqui et agere possunt, est quia omne malum residet in sensuali hominis, et malitia in illo tantum excellet quantum intelligentia apud spiritualem hominem; ut mihi constare potuit ex malitia infernalium, quae talis est et tanta ut non describi possit; ac omnes in infernis sunt sensuales: hoc intelligitur per Domini verba apud *Lucam*,

> Quod filii hujus saeculi prudentiores sint supra filios lucis in generatione sua (xvi. 8);

et per haec de serpente apud *Mosen*,

> "Serpens fuit astutus prae omni fera agri, quam fecerat Jehovah Deus" (*Gen.* iii. 1);

per "serpentem" significatur sensuale hominis.

[**763½.** ***"Ut illam a flumine absorptam faceret."***—Quod significet *ut ecclesia illa per ratiocinationes occaecaretur et dissiparetur*, videatur mox supra (n. 762).]

764. [*Vers.* 16.] ***"Et adjuvit terra mulierem, et aperuit terra os suum, et deglutivit flumen quod ejecit draco ex ore suo."***—Quod significet *quod illi qui ab ecclesia quae non in veris operam praestiterint, et astutas ratiocinationes illorum qui a fide separata essent, non receperint*, constat ex significatione "terrae" quae adjuvit mulierem, quod sit ecclesia quae non in veris, nam per "terram" hic intelligitur terra deserti, in quam mulier fugit, et ubi habuit locum praeparatum a Deo: (quod "terra deserti" significet ecclesiam quae non in veris quia non in bono, constat ex significatione "terrae," quod sit ecclesia, de qua supra, n. 29, 304, 417[*a*], 697, 741, 742, 752; et ex significatione "deserti," quod sit ubi non verum, de qua etiam supra, n. 730:) ex significatione "adjuvare mulierem," quod sit operam praestare Novae Ecclesiae, quae Sancta Hierosolyma vocatur: et ex significatione "aperire os suum et deglutire flumen, quod ejecit draco ex ore suo," quod sit acutas ratiocinationes illorum, qui a fide separata essent; "flumen" enim "aquarum, quod draco ejecit ex ore suo," significat acutas ratiocinationes ex falsis, ut ex articulis binis praecedentibus patet; et "aperire os et deglutire," cum de ecclesia, quae significatur per "terram," significat auferre; et quia aufertur cum non recipitur, significat non recipere. Haec ita intelligenda sunt: in antecedentibus dicitur quod "mulier fugerit in desertum ubi habet locum praeparatum a Deo," et postea quod "nacta sit alas aquilae, et volaverit in locum suum," per quae significatum est quod ecclesia, quae Nova Hierosolyma vocatur, commoratura sit inter illos qui in doctrina fidei separatae sunt, dum crescit in plenum, usque dum providetur inter plures; sed in ea ecclesia dracones sunt, qui separant fidem a bonis operibus non solum doctrina sed etiam vita; at reliqui in eadem ecclesia, qui vivunt vitam fidei, quae est charitas, non dracones sunt, tametsi inter illos; nam non aliter sciunt quam quod ex doctrina sit quod fides producat fructus, qui sunt

bona opera, et quod fides quae justificat et salvat, sit credere illa quae in Verbo sunt et facere illa; at dracones prorsus aliter sentiunt; sed quomodo hi sentiunt, non capiunt illi, et quia non capiunt, nec recipiunt: ex quibus patet, quod ecclesia ex illis, qui non dracones sunt, intelligatur per "terram, quae adjuvit mulierem, et deglutivit flumen quod draco ejecit ex ore suo." Quales autem, et quam astutae et simul perniciosae ratiocinationes illorum qui per "draconem" intelliguntur, de separatione fidei a bonis operibus, et de conjunctione eorum, sunt, alibi, volente Domino, revelabitur; tum quod illae ratiocinationes sint modo apud antistites eruditos, et non notae, quia non intellectae, populo ecclesiae, et quod inde sit quod Nova Ecclesia, quae Sancta Hierosolyma vocatur, ab his adjuvetur, et quoque crescat.

VERSUS 17.

[1]**766.** ***"Et iratus est draco contra mulierem, et abivit facere bellum cum reliquis seminis ejus, observantibus mandata Dei, et habentibus testimonium Jesu Christi."***

17. ***"Et iratus est draco contra mulierem,"*** significat *odium illorum, qui per "draconem" intelliguntur, contra ecclesiam, quae Nova Hierosolyma, incensum a percepto favore plurium* [n. 767]; ***"et abivit facere bellum cum reliquis seminis ejus,"*** significat *et inde ex vita mali ardentem conatum impugnandi vera doctrinae illius ecclesiae* [n. 768]; ***"observantibus mandata Dei,"*** significat *apud illos qui vitam fidei, quae est charitas, vivunt* [n. 769]; ***"et habentibus testimonium Jesu Christi,"*** significat *et agnoscunt Divinum in Humano Domini* [n. 770].

767. [*Vers.* 17.] ***"Et iratus est draco contra mulierem."***—Quod significet *odium illorum, qui per "draconem" intelliguntur, contra ecclesiam, quae Nova Hierosolyma, incensum a percepto favore plurium*, constat ex significatione "irae," cum de dracone, quod sit odium (de qua supra, n. 754, 758), inde "iratus esse," quod sit in odio esse; quod odium illud sit odium grave incensum ex percepto favore plurium, fluit ex illis quae praecedunt, et ex illis quae sequuntur; ex his quae praecedunt, quod "terra aperuerit os suum, et adjuverit mulierem, et deglutiverit flumen quod draco ex ore suo ejecit," per quae significatur quod ecclesia, in qua etiam dracones sunt, operam praestiterit, et acutas ratiocinationes illorum de sola fide non receperit; et ex his quae sequuntur, quod "draco abiverit bellum facere cum reliquis seminis ejus," per quae significatur ardens ex illo odio conatus impugnandi

vera doctrinae illius ecclesiae: inde est quod per "iram draconis" hic significetur odium incensum a percepto favore plurium; nam, ut supra dictum est, per quod "mulier fugerit in desertum in locum praeparatum a Deo," significatur quod ecclesia, quae Nova Hierosolyma, esset inter paucos, usque dum providetur inter plures, et crescit in plenum.

768[a]. ***"Et abivit facere bellum cum reliquis seminis ejus."***—Quod significet *et inde ex vita mali ardentem conatum impugnandi vera doctrinae illius ecclesiae*, constat ex significatione "abire," quod sit a vita mali ardens conatus (de qua sequitur); ex significatione "facere bellum," quod sit impugnare et velle destruere (de qua supra, n. 573, 734); ex significatione "seminis ejus," quod sint vera doctrinae ecclesiae (de qua etiam sequitur): quod "reliqui seminis" dicantur, est quia intelliguntur illi qui in iis veris sunt, et in sensu abstracto vera illius ecclesiae, quae impugnare et destruere se posse credunt. Quod "abire" significet ex vita mali ardenter conari, est quia "ire" in sensu spirituali significat vivere; inde in Verbo dicitur "ire cum Domino," et "ambulare cum Ipso" et "post Ipsum," per quae significatur vivere a Domino: at cum "ire" dicitur de dracone, cujus vita est vita mali, significatur ex illa vita conari; et quia conatus ille est conatus ex odio, quod significatur per "iram" ejus supra (n. 754, 758), inde significatur ardens conatus; nam qui ex odio conatur, is ardenter conatur. Quoniam odium illorum, qui per "draconem" intelliguntur, est odium contra illos qui in veris doctrinae ecclesiae, quae est Nova Hierosolyma, sunt, ideo est odium contra vera doctrinae, quae sunt apud illos; illi enim qui in amore erga aliquem sunt, tum qui in odio contra aliquem, illi quidem in [amore sunt erga personam, vel in] odio sunt contra personam, apud quam illa sunt quae vel amant vel odio habent, et ea sunt vera doctrinae apud illos; ideo sunt vera doctrinae quae per "reliquos seminis ejus" significantur. Inde constare potest quod in sensu spirituali Verbi non spectetur persona, sed res abstracte a persona, hic res quae apud personam. Hoc adhuc illustrari potest per hoc: dicitur in Verbo quod "proximus amandus sit sicut ipse se amat;" at in sensu spirituali non intelligitur quod proximus quoad personam ita amandus sit, sed quod illa quae

apud personam a Domino sunt, amanda sint; persona enim actualiter non amatur ex eo quod persona aut homo sit, sed quod talis aut talis sit; ita amatur persona ex quali ejus; quare id quale est quod per "proximum" intelligitur, quod itaque est proximus spiritualis, seu proximus in spirituali sensu, qui amandus est; et hoc, apud illos qui ab ecclesia Domini sunt, est omne quod procedit a Domino, quod in genere se refert ad omne bonum tam spirituale quam morale et civile; quare qui in his bonis sunt, illi amant eos qui in iisdem sunt: hoc itaque est "amare proximum sicut se ipsum." Ex his constare potest quod per "reliquos seminis ejus," nempe "mulieris," per quam significatur ecclesia, intelligantur illi qui in veris doctrinae illius ecclesiae sunt; ac in sensu abstracto a personis, qui est genuinus sensus spiritualis, intelligantur vera doctrinae illius ecclesiae.

[*b.*] Similiter in Verbo alibi, ut in sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> "Inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et inter semen" mulieris; "Ille conculcabit tibi caput, et tu laedes Illi calcaneum" (*Gen.* iii. 15):

prophetia de Domino; per "serpentem" ibi significatur sensuale hominis, ubi hominis proprium est, quod in se non est nisi quam malum; et per "mulierem" significatur ecclesia spiritualis, seu ecclesia quae in Divinis veris est; et quia sensuale hominis deperditum fuit, et homo ecclesiae elevatur a sensuali dum fit spiritualis, inde dicitur quod "inimicitia erit inter te et inter mulierem:" per "semen serpentis" significatur omne falsum ex malo, et per "semen mulieris" omne verum ex bono, et in supremo gradu Divinum Verum; et quia omne Divinum Verum est a Domino, et Dominus per id destruit falsum ex malo, ideo dicitur, "Ille conculcabit tibi caput;" "Ille" significat Dominum, et "caput" omne falsum ex malo: quod usque sensuale nociturum sit Divino Vero in ultimis ejus, quod est Verbum in sensu litterae, significatur per quod "laedet calcaneum;" "calcaneus" significat illud ultimum et illum sensum. Quod laedant et laeserint, constare potest ex unico hoc exemplo, quod Pontificii per "mulierem" intelligant Mariam, et ejus cultum; quare non "Ille" sed *illud* et *illa* in Bibliis illorum legitur. Ita in mille aliis locis. Apud *Jeremiam*,

"Ecce dies venient,...quibus seminabo domum Israelis et domum Jehudae, semine hominis et semine bestiae" (xxxi. 27):

haec de Domino, et de nova ecclesia ab Ipso; adventus Ipsius significatur per "Ecce dies venient;" per "seminare domum Israelis et domum Jehudae" significatur reformare illos qui ab ea ecclesia erunt; per "domum Israelis" significatur ecclesia spiritualis, et per "domum Jehudae" ecclesia caelestis; et quia reformatio fit per vera spiritualia et per vera naturalia inde, dicitur, "semine hominis et semine bestiae;" per "semen hominis" significatur verum spirituale ex quo homini intelligentia; et per "semen bestiae" significatur verum naturale ex quo homini scientia, et secundum id vita; utrumque ex affectione boni: quod "homo" significet affectionem veri et boni spiritualis videatur supra (n. 280); et quod "bestia" affectionem naturalem (n. 650); "ita semen hominis et semen bestiae" significat vera illarum affectionum. Apud *Malachiam*,

"Non unus..facit cui spiritus; quid num unus quaerit semen Dei?" (ii. 15:)

"Quid num quaerit unus semen Dei?" significat quod nullus quaerat Divinum Verum; quod hic "semen Dei" significet Divinum Verum, patet; inde per "natos a Deo" intelliguntur qui regenerati sunt a Domino per Divinum Verum, et per vitam secundum illud. Apud *Esaiam*,

"Jehovah voluit conterere Ipsum, infirmavit; si posueris reatum animam suam, videbit semen, prolongabit dies, et voluntas Jehovae per manum Ipsius prosperabitur" (liii. 10):

haec de Domino; et de Ipsius tentationibus per quas subjugavit inferna, ibi in toto capite agitur: ingravescentia tentationum describitur per quod "Jehovah voluerit conterere et infirmare Ipsum;" gravissima tentatio, quae fuit passio crucis, significatur per "si posueris reatum animam suam;" per "ponere reatum animam suam" significatur ultima tentatio, per quam plene subjugavit inferna, et plene glorificavit Humanum suum, per quae redemptio: Divinum Verum quod dein processit ex Divino Humano Ipsius, et salvatio omnium qui Divinum Verum ab Ipso recipiunt, significatur per "Videbit semen:" quod in aeternum duraturum, significatur per "prolongabit dies;" "prolongare," cum de Domino, significat durationem in aeternum, et

"dies" significant status lucis, qui sunt status illustrationum omnium per Divinum Verum: quod hoc a Divino Ipsius ad salvandum genus humanum, significatur per quod "voluntas Jehovae per manum Ipsius prosperabitur." Apud eundem,

"Ne timeto, quia Tecum Ego; ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente colligam te; dicam septentrioni, Da; et meridiei, Ne inhibe; adduc filios meos e longinquo, et filias meas ab extremitate terrae" (xliii. 5, 6):

creditur quod per haec significetur reductio filiorum Israelis in terram Canaanem; sed hoc ibi non intelligitur, sed intelligitur salvatio a Domino omnium qui ab Ipso Divinum Verum recipiunt, a quibus nova ecclesia; haec per "semen Ipsius" quod ab oriente adducetur, ab occidente colligetur, et quod septentrio dabit, et [1]meridies non prohibebit, significatur: quare etiam sequitur, "Adduc filios meos e longinquo, et filias meas ab extremitate terrae;" per "filios" significantur qui in veris ecclesiae sunt, et per "filias" qui in bonis ejus. (Sed haec videantur supra, n. 422[*b*],[2]724[*d*], explicata.) Apud eundem,

"Ad dextram et sinistram erumpes, et semen tuum gentes hereditabit, et urbes desolatas habitari facient" (liv. 3):

haec de ecclesia a Domino apud gentes, quae ecclesia ibi intelligitur per "sterilem" quae non pepererat, cui multi filii (vers. 1, ibi): per "semen quod hereditabit gentes" significatur Divinum Verum quod gentibus dabitur; per "ad dextram et ad sinistram erumpere" significatur extensio et multiplicatio; per "dextram" significatur verum quod in luce est, et per "sinistram" verum quod in umbra, ex causa quia in mundo spirituali ad dextram est meridies, ubi illi qui in clara luce veri sunt, et ad sinistram est septentrio, ubi illi qui in obscura luce veri sunt; per "urbes desolatas habitari facere" significatur vita eorum secundum Divina vera, quae antehac deperdita sunt; "urbes" sunt vera doctrinae ex Verbo, "habitari" significat vivere secundum illa, "urbes desolatae" [3]significant illa vera antehac deperdita, nempe apud gentem Judaicam. Apud eundem,

"Notum fiet in gentibus semen eorum, et prognati eorum in medio populorum; omnes videntes eos agnoscent eos, quod illi semen cui benedixit Jehovah" (lxi. 9):

haec quoque de ecclesia a Domino instauranda; et per "semen" quod in gentibus notum fiet, significatur Divinum Verum quod recepturi illi qui in bono vitae sunt; et per "prognatos in medio populorum" significatur vita secundum illud; per "videntes" qui "agnoscent eos quod illi semen," significatur illustratio quod genuinum verum sit quod recipiunt; "cui benedixit Jehovah," significat quod a Domino: sed haec per illa significantur in sensu a personis abstracto, at in sensu stricto intelliguntur illi qui Divinum Verum a Domino recepturi sunt. Apud eundem,

> "Semen benedictorum Jehovae illi, et prognati illorum cum illis" (lxv. 23):

etiam hic de ecclesia a Domino; et per "semen benedictorum Jehovae" intelliguntur illi qui Divinum Verum a Domino recepturi sunt; et per "prognatos illorum" intelliguntur qui vivunt secundum illud; in sensu autem a personis abstracto, qui est genuinus sensus spiritualis, per "semen" intelligitur Divinum Verum, et per "prognatos" vita secundum illud (ut mox supra). Quod per "prognatos" intelligantur illi qui vivunt secundum Divinum Verum, et in sensu abstracto vita secundum illud, est quia in lingua originali vox *prognatus* est a voce quae significat exire et procedere; et quod exit et procedit a Divino Vero recepto est vita secundum illud. Apud eundem,

> "Quemadmodum caeli novi et terra nova, quae facturus sum, stabunt coram Me,..sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum" (lxvi. 22):

haec quoque de Domino, et de salvatione fidelium ab Ipso: ecclesia nova ab Ipso intelligitur per "caelos novos et terram novam," per "caelos novos" ecclesia interna, et per "terram novam" ecclesia externa; quod Divinum Verum et quale ejus persistet, significatur per quod "stabit semen vestrum, et nomen vestrum;" per "semen" significatur Divinum Verum, quod etiam est verum doctrinae ex Verbo, et per "nomen" significatur quale ejus. (Quod per "nomen" significetur quale rei et quale status, videatur supra, n. 148.) Apud *Davidem*,

> "Terram fundasti, et opus manuum tuarum caeli; illi peribunt, et Tu perstabis; et omnes sicut vestes veterascent, sicut vestem mutabis eos, et mutabuntur; Tu autem idem, et anni tui non consumentur, filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum coram Te stabilietur" (Ps. cii. 26–29 [*B. A.* 25–28]):

per "terram" quam Deus formavit, et per "caelos" qui opus manuum Ipsius, qui peribunt, significatur simile quod per "priorem terram" et "prius caelum" quae transierant (in *Apocalypsi*, cap. xxi. 1; de quibus ibi); et quia facies terrae et caelorum in mundo spirituali, die ultimi judicii prorsus mutabitur, ac loco priorum nova terra et novi caeli futuri, ideo dicitur quod "omnes sicut vestes veterascent, sicut vestem mutabis, et mutabuntur:" comparantur vestibus, quia "vestes" significant vera externa, quae illis qui in priori caelo et in priori terra, quae non permanent, quia in veris internis non sunt: status Divini Veri, quod a Domino in aeternum permansurum est, significatur per "Tu perstabis, et Tu idem, et anni tui non consumentur;" per "annos Dei" significantur status Divini Veri: "filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum coram Te stabilietur," significat quod angelis et hominibus, qui receptiones Divini Veri sunt, vita aeterna erit, ac quod vera doctrinae apud illos in aeternum permansura sint; "filii servorum Dei" sunt angeli et homines, qui receptiones Divini Veri sunt; ac "semen eorum" sunt vera doctrinae. Apud eundem,

> "Semen quod serviet Ipsi numerabitur Domino in generationem" (Ps. xxii. 31 [*B. A.* 30]):

hic quoque de Domino; et per "semen quod serviet Ipsi" intelliguntur qui in veris doctrinae ex Verbo sunt: et per "numerabitur Domino in generationem" significatur quod Ipsius erunt in aeternum; "numerari" significat ordinari et disponi, hic adnumerari seu adjici, ita esse Ipsius.

[*c*.] In Verbo in plurimis locis dicitur, "Semen Abrahami," "Isaci" et "Jacobi," tum "semen Israelis;" et per id in sensu litterae historico intelligitur posteritas eorum, sed in sensu spirituali intelligitur Divinum Verum, ac verum doctrinae ex Verbo, ex causa, quia per "Abrahamum," "Isacum," "Jacobum" et "Israelem" in hoc sensu intelligitur Dominus, ut constare potest ex locis in Verbo ubi illi nominantur; ut ab hoc,

> Quod venturi sint ab oriente usque et occidente, et accubituri cum Abrahamo, Isaco et Jacobo in regno caelorum (*Matth.* viii. 11);

per quod intelligitur quod fruituri bono caelesti a Domino: ita quoque alibi: et quia Dominus per illos in sensu interno

intelligitur, ideo per "semen" eorum significatur Divinum Verum quod a Domino, proinde etiam verum doctrinae quod ex Verbo; ut in his locis:—Apud *Mosen*,

> Jehovah dixit Abramo, "Omnem terram, quam tu vides, tibi dabo et semini tuo in perpetuum: et ponam semen tuum sicut pulverem terrae" (*Gen.* xiii. 15, 16);
> "Suspice versus caelos, et numera stellas;....sic erit semen tuum" (*Gen.* xv. [1]5);
> "Benedicentur in semine tuo omnes gentes" (*Gen.* xxii. 18);
> Ad Isacum, "Tibi et semini tuo dabo omnes terras has,....et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli; et benedicetur in semine tuo omnibus gentibus terrae" (*Gen.* xxvi. 3–5);
> Ad Jacobum, "Semini tuo post te dabo terram hanc" (*Gen.* xxxv. 12);
> Terra data "Abrahamo, Isaco et Jacobo,....et semini illorum post illos" (*Deutr.* i. 8);
> Semen patrum vestrorum, Abrahami, Isaci et Jacobi (*Deutr.* iv. 37; cap. x. 15; cap. xi. 9):

quoniam per "Abrahamum," "Isacum" et "Jacobum" intelligitur Dominus, ut dictum est, per "Abrahamum" Dominus quoad Divinum caeleste ecclesiae, per "Isacum" quoad Divinum spirituale ecclesiae, et per "Jacobum" quoad Divinum naturale ecclesiae, ideo per "semen" eorum significatur Divinum Verum procedens a Domino; per "semen Abrahami" Divinum Verum caeleste, per "Isaci" Divinum Verum spirituale, et per "Jacobi" Divinum Verum naturale; consequenter etiam intelliguntur illi qui in Divino Vero a Domino sunt: per "terram" autem, quam Dominus daturus est illis, intelligitur ecclesia, quae in Divino Vero ab Ipso est; inde sciri potest quid significatur per quod "in semine illorum benedicentur omnes gentes;" non enim in posteritate illorum, nempe in gente Judaica et Israelitica, benedici potuerunt, sed in Domino et a Domino per receptionem Divini Veri ab Ipso. Quod per "semen Abrahami" non intellecti sint Judaei, constat ex Domini verbis apud *Johannem*,

> Responderunt Judaei, "Semen Abrahami sumus, et nemini servi fuimus unquam:....Jesus..respondit,....Scio quod semen Abrahami sitis, sed quaeritis Me occidere, quia Verbum meum non locum habet in vobis;....vos ex patre diabolo estis" (*Joh.* viii. 33, [34,] 37, 44):

ex quibus patet quod illi non intellecti sint per "semen Abrahami," sed quod per "Abrahamum" intelligatur Dominus, et per "semen Abrahami" Divinum Verum a Domino, quod est Verbum; nam dicitur, "Scio quod semen Abra-

hami sitis, sed quaeritis Me occidere, quia Verbum meum non locum habet in vobis:" quod dixerit Dominus, "Scio quod semen Abrahami sitis," significat quod sciat quod verum ecclesiae, quod est Verbum, apud illos esset; sed quod usque Dominum rejicerent, significatur per "Quaeritis Me occidere;" et quod non in Divinis veris a Domino essent, significatur per "quia Verbum meum non locum habet in vobis;" et quod non nisi quam malum et inde falsum apud illos esset, significatur per "Vos ex patre diabolo estis," et "Non est veritas in illo," et postea, "Quando loquitur mendacium, ex propriis loquitur;" per "mendacium" significatur Divinum Verum seu Verbum adulteratum: quod dixerit Dominus, "Scio quod semen Abrahami sitis," erat quoque quia per "Jehudam" significatur Dominus quoad Verbum (videatur supra, n. 119, 433[a]). Apud *Davidem*,

> "Facturus cadere eos in deserto, et facturus cadere semen eorum in gentes, et dispersurus eos in terras" (Ps. cvi. 26, 27):

per "facere cadere semen eorum inter gentes, et dispergere eos in terras," significatur quod Divinum Verum apud illos periturum sit per mala et per falsa. Simile significatur per "semen Israelis," in his locis:—

> "Tu Israel servus meus, Jacobus quem elegi, semen Abrahami amici mei, quem apprehendi a finibus terrae" (*Esai.* xli. 8, 9);
> "Effundam spiritum meum super semen" Israelis et Jacobi, "et benedictionem meam super natos" eorum (*Esai.* xliv. 3);
> "In Jehovah justificabuntur, et gloriabuntur omne semen Israelis" (*Esai.* xlv. 25);
> "Jehovah qui ascendere fecit, et reduxit semen domus Israelis, [1]e terra septentrionem versus, et ex omnibus terris quo depuli eos, ut habitent super terra sua" (*Jerem.* xxiii. 8):

per "Israelem" in supremo sensu intelligitur Dominus quoad ecclesiae internum; quare per "semen ejus" similiter intelligitur Divinum Verum, quod apud illos qui ab ecclesia, quae per "Israelem" significatur, sunt: per "Israelem" intelligitur ecclesia apud illos qui interius naturales sunt, et in veris ibi ex origine spirituali; ideo per "Israelem" significatur ecclesia spiritualis naturalis.

[*d.*] Quoniam per "Davidem" in Verbo intelligitur Dominus quoad regium, et per regium Domini significatur Divinum Verum in ecclesia, inde quoque per "semen" ejus intelliguntur illi qui in veris ecclesiae ex Verbo sunt,

qui etiam vocantur "filii regis" et "filii regni," proinde etiam Divinum id Verum apud illos, in his sequentibus locis:—

"Sicut non numerabitur exercitus caelorum, et non mensuratur arena maris, ita multiplicabo semen Davidis.., et Levitas ministros meos" (*Jerem.* xxxiii. 22);

"Pepigi foedus electo meo, juravi Davidi servo meo, in aeternum usque firmabo semen tuum, et aedificabo in generationem et generationem thronum tuum. ....Ponam in aeternum semen illius, et thronum illius sicut dies caelorum. ....Semen illius in aeternum erit, et thronus illius sicut sol coram Me" (Ps. lxxxix. 4, 5, 30, 37 [*B. A.* 3, 4, 29, 36]):

quod per "Davidem" in Verbo intelligatur Dominus quoad regium, quod est Divinum Verum in regno spirituali Domini, videatur supra (n. 205): inde per "semen" ejus significatur Divinum id Verum apud illos qui in veris ex bono sunt, ita quoque qui in veris doctrinae ex Verbo sunt; nam vera doctrinae ex Verbo, seu vera Verbi, omnia sunt ex bono: et quia illi per "semen Davidis" intelliguntur, ita etiam in sensu abstracto per id intelligitur verum Verbi, seu verum doctrinae ex Verbo. Quod per "semen Davidis" non intelligantur posteri ejus, quisque potest videre, nam dicitur quod "semen ejus multiplicabitur sicut exercitus caelorum et arena maris," quodque "firmabitur et ponetur in aeternum," et quod "thronus ejus aedificabitur in generationem et generationem," quodque "erit sicut dies caelorum," et "sicut sol;" quae de Davidis semine, hoc est, posteritate, deque ejus throno, prorsus non dici possunt; nam ubinam nunc semen ejus et thronus ejus? At omnia illa coincidunt, cum per "Davidem" intelligitur Dominus, per "thronum ejus" caelum et ecclesia, ac per "semen ejus" verum caeli et ecclesiae. Apud *Jeremiam*,

"Si non foedus meum diei et noctis, statuta caeli et terrae non posuero etiam semen Jacobi et Davidis servi mei reprobarem, ut non sumam de semine ejus dominantes super semen Abrahami, Isaci et Jacobi, et reducam captivitatem.., et miserebor.." (xxxiii. 25, 26);

apud eundem,

"Dixit Jehovah dans solem in lucem diei, statuta lunae et stellarum in lucem noctis:....Si recesserint statuta haec coram Me,..etiam semen Israelis cessabunt, ut non sint gens coram Me omnibus diebus" (xxxi. 35, 36):

in his locis per "semen Jacobi" et "Davidis," tum per "semen Israelis," etiam intelliguntur illi qui in Divinis

veris sunt; sed per "semen Jacobi" illi qui in Divino Vero naturali, per "Davidem" qui in Divino Vero spirituali, et per "Israelem" qui in Divino Vero naturali spirituali, quod est medium inter Divinum Verum naturale et spirituale; sunt enim gradus Divini Veri, sicut sunt gradus receptionis ejus ab angelis in tribus caelis, et in ecclesia: per "foedus diei et noctis," et per "statuta caeli et terrae," significatur conjunctio Domini cum illis qui in Divinis veris sunt in caelis, et qui in Divinis veris in terris; per "foedus" significatur conjunctio; per "statuta" significantur leges conjunctionis, quae etiam sunt leges ordinis, ac leges ordinis sunt Divina vera; per "diem" significatur lux veri qualis est apud angelos in caelis, et per "noctem" lux veri qualis est apud homines in terris, tum etiam lux veri qualis apud illos qui in caelis et in terris sub Domino ut Luna sunt; quare etiam dicitur, "Dans solem in lucem diei, et statuta lunae et stellarum in lucem noctis:" per "semen" autem "Abrahami, Isaci et Jacobi," intelliguntur hic omnes qui ab ecclesia Domini sunt, in omni gradu; de quibus et de "semine Jacobi et Davidis" dicitur, quod si non agnoscerent Dominum, et non ab Ipso reciperent Divinum Verum, Dominus non regnaturus sit super illos. Apud eundem,

"Non prosperabitur de semine ejus quisquam qui sedeat super throno Davidis, et dominetur amplius in Jehudah" ([1]xxii. 30):

haec de Chonia rege Jehudae, qui ibi vocatur "idolum contemptum et abjectum," et de quo dicitur,

Quod "ille et semen ejus sublati et projecti in terram" (vers. 28, ibi);

per quem regem simile significatur quod per "Satanam," et per "semen ejus" falsum infernale: quod hoc non dominabitur in ecclesia Domini, in qua Divinum Verum caeleste est, significatur per quod "non quisquam ex ejus semine sedebit super throno Davidis et dominabitur amplius in Jehudah;" "Jehudah" ibi est ecclesia caelestis, in qua Dominus regnat. Sicut per Davidem repraesentatum est regium Domini, ita per Aharonem repraesentatum est sacerdotium Ipsius; quare per "semen Aharonis" intelliguntur qui in affectione genuini veri sunt quod a bono caelesti. Propter repraesentationem talium, hoc pro [2]Aharone statutum est,

Sacerdos magnus "viduam aut repudiatam, aut corruptam meretricem ..non accipiet, sed virginem de populis suis accipiet uxorem, ne profanet semen suum in populis suis: Ego..Jehovah sanctificans illum" (*Levit.* xxi. 14, 15):

quoniam per "virum et uxorem" in Verbo, in sensu ejus spirituali, significatur intellectus veri et voluntas boni, et quia cogitatio est intellectus et affectio est voluntatis, ideo etiam per "virum et uxorem" significatur cogitatio veri et affectio boni, tum verum et bonum: inde constare potest quid significatur per "viduam," per "repudiatam," perque "corruptam," et "meretricem;" per "viduam" significatur bonum absque vero, quia a vero, quod est "vir," relictum; per "repudiatam" significatur bonum rejectum a vero, ita discordans; per "corruptam meretricem" significatur bonum adulteratum a falsis, quod non amplius est bonum, sed malum. Quia talia significabantur per illas mulieres, ideo sacerdoti magno interdictum fuit aliquam ex illis in uxorem ducere, quia per sacerdotem magnum repraesentabatur Dominus quoad sacerdotium, per quod significabatur Divinum Bonum; et quia per "virginem" significatur voluntas seu affectio genuini veri, et genuinum verum unum facit et concordat cum Divino Bono, et illa duo in caelo et in ecclesia conjuncta sunt, et conjuncta vocantur conjugium caeleste, ideo sancitum fuit quod sacerdos magnus virginem duceret uxorem: et quia ex hoc conjugio gignitur verum doctrinae, at ex conjugio cum talibus quae significantur per "viduam," "repudiatam," "corruptam meretricem," gignitur falsum doctrinae, ideo dicitur, "ne profanet semen suum in populis suis;" per "semen" significatur genuinum verum doctrinae, et inde quoque doctrina genuini veri ex bono amoris caelestis, et per "populos ejus" significantur illi qui ab ecclesia, in qua est doctrina genuini veri ex Verbo: et quia id erat repraesentativum conjugii caelestis, quod est Domini cum ecclesia, ideo dicitur, "Ego Jehovah sanctificans illum." Quia per sacerdotem magnum repraesentatus est Dominus quoad Divinum [Bonum], et per "semen" ejus significatum est Divinum Verum, quod idem est cum genuino vero doctrinae, ideo statutum est

Quod non vir alienus, qui non ex semine Aharonis est, accedet ad suffiendum suffimentum coram Jehovah (*Num.* xvii. 5 [*B. A.* xvi. 40]):

per "virum alienum" significatur falsum doctrinae, et per "suffire suffimentum" significatur cultus ex bono spirituali, quod in sua essentia est genuinum verum; et per "semen sacerdotis magni" significatur Divinum Verum ex origine caelesti; ideo lex lata est ut non aliquis alienus, nisi qui ex semine Aharonis esset, suffitus in Tentorio conventus coram Jehovah daret. Quando notum est quid caeli et ecclesiae repraesentabatur per alios etiam in Verbo nominatos, etiam scitur quid per "semen" illorum significatur; ut per "semen Noachi," "Ephraimi," et "Kalebi," in sequentibus:

De Noacho, "Erigo foedus meum vobiscum, et cum semine vestro post vos" (*Gen.* ix. 9);
Israel dixit de Ephraimo, "Semen ejus erit plenitudo [1]terrae" (*Gen.* xlviii. 19);
Et dixit Jehovah de Kalebo, "Semen ejus hereditabit terram" (*Num.* xiv. 24):

quid per Noachum et Ephraimum repraesentatum et significatum est, in *Arcanis Caelestibus* explicatum est; per Kalebum autem repraesentati sunt qui intromittendi sunt in ecclesiam: inde etiam per "semen" eorum significatur verum doctrinae ecclesiae. Simile quod per "semen hominis" etiam significatur per "semen agri," ex causa quia per "agrum" significatur aeque ecclesia ac per "hominem:" et quia simile significatur, ideo aliquibus in locis dicitur "semen" et quoque "seminare" de populo terrae sicut de agro, ut in sequentibus:—Apud *Jeremiam*,

"Ego plantaveram te vitem nobilem.., semen veritatis; quomodo..conversa es Mihi in palmites vitis alienae?" (ii. 21;)

apud *Davidem*,

"Fructum eorum de terra [2]perdes, et semen eorum de filiis hominis" (Ps. xxi. 11 [*B. A.* 10]);

apud *Hoscheam*,

"Seminabo" [3]Israelem "Mihi in terra" (ii. 23);

apud *Sachariam*,

"Seminabo" Jehudam et Josephum "inter populos, et in locis remotis recordabuntur Mei" (x. 9);

apud *Ezechielem*,

"Respiciam ad vos ut excolamini, et seminemini; tunc multiplicabo super vobis hominem, omnem domum Israelis totam" (xxxvi. 9):

apud *Jeremiam*,

"Ecce dies venient.., quibus seminabo domum Israelis et domum Jehudae semine hominis et semine bestiae" (xxxi. 27);

[et in parabola Domini,]

Semen seminatum "sunt filii regni" (*Matth.* xiii. 38).

Quod autem "semen agri" simile significet cum "semine hominis," hic ostendere supersedetur, quia hic modo explicatur et ex Verbo confirmatur quid "semen mulieris" significat.

[*e.*] Quoniam per "semen" significatur verum doctrinae ex Verbo, et in supremo sensu Divinum Verum, inde in opposito sensu per "semen" significatur falsum doctrinae, et falsum infernale:—Ut apud *Esaiam*,

"Vos accedite huc, filii praestigiatricis, semen adulteri, et scortata [1]es. Contra quem oblectatis vos? contra quem dilatatis os, elongatis linguam? Nonne vos nati praevaricationis, semen mendacii?" (lvii. 3, 4:)

per "natos praestigiatricis" et per "semen adulteri," significantur falsa ex falsificato et adulterato Verbo; per "natos praestigiatricis" falsa ex illo falsificato, et per "semen adulteri" falsa ex illo adulterato; Verbum dicitur falsificatum quando vera ejus pervertuntur, et dicitur adulteratum quando similiter bona ejus, tum quando vera applicantur amoribus sui: per "natos praevaricationis et semen mendacii," significantur falsa ex prioribus illis falsis scaturientia: per "oblectare se" significatur jucundum ex falsificatis capere: per "dilatare os" significatur jucundum cogitationis inde, et per "elongare linguam" significatur jucundum docendi et propalandi illa. Apud *Esaiam*,

"Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini malorum, filiis corruptoribus, dereliquerunt Jehovam, provocarunt Sanctum Israelis, abalienarunt se retrorsum" (i. 4):

per "gentem peccatricem" significantur illi qui in malis sunt, et per "populum gravem iniquitate" significantur illi qui in falsis inde sunt, nam "gens" in Verbo dicitur de malis, ac "populus" de falsis (videatur supra, n. 175, 331, 625): falsum illorum qui in malis sunt significatur per "semen malorum," et falsa illorum qui in falsis ex malo illo sunt significantur per "filios corruptores:" (quod "filii" significent illos qui in veris sunt, et in opposito sensu qui in falsis, et abstracte vera et falsa, videatur

supra, n. 724:) per "dereliquerunt Jehovam et provocarunt Sanctum Israelis," significatur quod rejecerint Divinum Bonum et Divinum Verum; per "Jehovam" intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum, et per "Sanctum Israelis" Dominus quoad Divinum Verum: et per quod "abalienaverint se retrorsum" significatur quod ex illis prorsus recesserint, et ad infernale malum et falsum abiverint, nam qui in malis et falsis sunt in mundo spirituali se retro vertunt a Domino (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 123). Apud eundem,

> "Non adunaberis cum iis in sepulchro, nam terram tuam perdidisti, populum tuum occidisti, non nominabitur in aeternum semen malitiosorum" (xiv. 20):

haec de Lucifero, per quem intelligitur Babel; et per "semen malitiosorum," quod non nominabitur in aeternum, significatur dirum falsum mali quod ex inferno. (Reliqua videantur explicata supra, n. 589, 659[*e*], 697.) Apud *Mosen*,

> "Qui dederit de semine suo Molecho, moriendo morietur, populus terrae lapidabunt eum lapide: Ego..dabo facies meas contra virum hunc, et exscindam eum e medio populi sui, eo quod de semine suo dederit Molecho, ut pollueret sanctuarium meum, et profanaret nomen sanctitatis meae" (*Levit.* xx. 3; cap. xviii. 21):

per "dare de semine suo Molecho" significatur verum Verbi et inde doctrinae ecclesiae, per applicationem ad spurcos amores corporis, sicut ad neces, odia, vindictas, adulteria et similia, destruere, unde pro Divinis acceptantur falsa infernalia; haec falsa significantur per "semen datum Molecho;" Molech erat deus filiorum Ammonis (1 *Reg.* xi. 7), et positus erat in valle Hinnomis, quae vocabatur Topheth, ubi cremabant filios et filias (2 *Reg.* xxiii. 10); per cujus "ignem" significabantur amores illi supradicti: et quia per "semen datum Molecho" significatur falsum tale infernale, et lapidatio fuit poena mortis pro laeso et destructo vero Verbi et inde doctrinae, dicitur quod "vir qui dederit de semine suo Molecho, moriendo morietur, et populus terrae lapidabunt eum lapide:" (quod lapidatio fuerit poena laesi et destructi veri, videatur supra, n. 655:) quod id falsum sit destructivum omnis boni Verbi et ecclesiae, significatur per "Dabo facies meas contra virum hunc, et exscindam e medio populi sui, quia polluit sanctuarium meum, et profanavit nomen sanctitatis meae;" per "sanctuarium" signi-

ficatur verum caeli et ecclesiae, et per "nomen sanctitatis" significatur omne quale ejus. Ex locis allatis nunc constare potest quod per "semen" in sensu supremo intelligatur Divinum Verum quod a Domino, ac inde verum Verbi et doctrinae ecclesiae quod ex Verbo; et in malo sensu falsum infernale illi Vero oppositum.

769. *"Observantibus mandata Dei."*—Quod significet *apud illos qui vitam fidei, quae est charitas, vivunt*, constat ex significatione "observare mandata Dei," quod sit vivere secundum praecepta in Verbo; et quia illa vita est vita fidei, et quia vita fidei est charitas, ideo per "observare mandata Dei" significatur vivere vitam fidei, quae est charitas; quod vita fidei sit charitas erga proximum, est quia per fidem intelligitur fides Verbi, ita fides veri in Verbo et ex Verbo, et per charitatem significatur amor boni et veri spiritualis, moralis et civilis; et quia id quod homo amat, etiam vult, et quod vult id facit, inde per "observare mandata Dei" significatur vitam fidei, quae est charitas, vivere. Ex his constare potest quod omnes qui separant fidem a charitate, non sciant quid fides nec quid charitas; de fide enim non aliam ideam habent quam sicut de omni re memoriae, quae creditur quia audiverunt a viris eruditis; quae tamen fides est fides historica, nam non vident num ita sit, nisi quam ex alio; et quod videtur ex alio, hoc confirmari potest tam ex Verbi sensu litterae non intellecto quam ex ratiociniis ex apparentiis et scientificis, tametsi foret falsum vero oppositum; et cum confirmatum est, fit fides persuasiva; sed haec fides, et fides historica, non est fides spiritualis, ita non fides salvans, nondum enim vitam a Domino habet: ut vero homo hanc vitam accipiat, vivet secundum praecepta Domini in Verbo; nam vivere secundum illa est vivere a Domino, quia Dominus est Verbum et in Verbo; et haec vita est vita fidei, quae est charitas, et tunc affectio ejus fit charitas, et cogitatio ex illa affectione fit fides; omnis enim cogitatio hominis trahit vitam suam ex affectione, nam cogitare absque affectione nemo potest; quare cum affectio hominis fit spiritualis, tunc etiam cogitatio ejus fit spiritualis; consequenter qualis charitas est apud hominem, talis est ejus fides: inde constare potest quod charitas et fides, unum agant sicut affectio et cogitatio, seu quod idem,

sicut voluntas et intellectus, nam affectio est voluntatis et cogitatio est intellectus; consequenter unum agunt sicut bonum et verum. Inde patet quod vivere secundum praecepta Domini ex Verbo, seu "observare mandata Dei," significet vivere vitam fidei quae est charitas.

770. ***"Et habentibus testimonium Jesu Christi."***—Quod significet *et agnoscunt Divinum in Humano Domini*, constat ex significatione "testimonii Jesu Christi," quod sit confessio et agnitio Divini Domini in Humano Ipsius (de qua supra, n. 392, 635, 649, 749).

VERSUS 18 [*B. A.* xiii. 1].

771. ***"Et steti supra arenam maris."***—Quod significet *continuationem status illorum qui per "draconem"* significantur, constat ex significatione "stare super arena maris," quod sit adhuc videre quales illi sunt qui per "draconem" intelliguntur; nam sequitur quod "viderit ex mari bestiam ascendentem, cui dedit draco virtutem suam et thronum suum et potestatem suam;" et postea, quod "viderit bestiam e terra ascendentem, quae locuta est sicut draco;" praeter plura quae sequuntur: et quia per illas bestias continuatur descriptio status eorum qui dracones sunt, quare id est quod [per] "stare super arena maris" significatur. Praeterea per "arenam maris" significatur sterile, quale est apud illos, qui quidem de fide, sed nihil de vita fidei, quae est charitas, cogitant; ubi enim tales in mundo spirituali habitant, ibi non apparet aliud quam congeries lapidum, et quoque arena, ac raro aliquod gramen ac virgultum; inde quoque est, quod per "arenam maris" status illorum, qui per "draconem" intelliguntur, significetur.

CAPUT XIII.

ET vidi ex mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, et cornua decem, et super cornibus suis decem diademata, et super capitibus suis nomen blasphemiae.

2. Et bestia quam vidi erat similis pardo, et pedes ejus sicut ursi, et os ejus sicut os leonis; et dedit illi draco potentiam suam, et thronum suum, et potestatem magnam.

3. Et vidi unum capitum ejus sicut sauciatum in mortem, et plaga mortis ejus sanata est; et admirata est tota terra post bestiam.

4. Et adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiae, et adoraverunt bestiam, dicentes, Quis similis est bestiae? quis potest pugnare cum ea?

5. Et datum ei os loquens magna et blasphemias; et data ei potestas faciendi menses quadraginta duos.

6. Et aperuit os suum in blasphemiam adversus Deum, blasphemare nomen Ipsius, et tabernaculum Ipsius, et eos in caelo habitantes.

7. Et datum ei bellum facere cum sanctis, et vincere illos; et data ei potestas super omnem tribum, et linguam et gentem.

8. Et adorabunt eam omnes habitantes super terra, quorum non scripta nomina in libro vitae Agni mactati a fundatione mundi.

9. Si quis habet aurem, audiat.

10. Si quis captivitatem duxerit, in captivitatem abibit; si quis machaera occiderit, oportet eum machaera occidi: hic est patientia et fides sanctorum.

11. Et vidi aliam bestiam ascendentem e terra, et habebat cornua duo similia agno, et loquebatur sicut draco.

12. Et potestatem prioris bestiae omnem facit coram illo: et facit ut terra et habitantes in illa adorent bestiam priorem, cujus sanata est plaga mortis ejus.

13. Et facit signa magna, ut et ignem faciat descendere e caelo in terram coram hominibus;

14. Et seducat habitantes super terra, propter signa quae data ei facere coram bestia, dicens habitantibus super terra facere imaginem bestiae, quae habet plagam machaerae et vixit.

15. Et datum ei dare spiritum imagini bestiae, ut et loquatur imago bestiae, et faciat ut quicunque non adorant imaginem bestiae, occidantur.

16. Et facit omnes parvos et magnos, et divites et pauperes, et liberos et servos, ut det illis characterem super manu eorum dextra et super frontibus eorum.

17. Et ut nemo possit emere aut vendere, si non habens characterem aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus.

18. Hic sapientia est; habens intelligentiam computet numerum bestiae, numerus enim hominis est, et numerus ejus sexcenta sexaginta sex.

EXPLICATIO.

VERSUS I.

[1]**773.** ***"Et vidi ex mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, et cornua decem, et super cornibus suis decem diademata, et super capitibus suis nomen blasphemiae."***

1. ***"Et vidi ex mari bestiam ascendentem,"*** significat *ratiocinia ex naturali homine confirmantia separationem fidei a vita* [n. 774]; ***"habentem capita septem,"*** significat *scientiam sanctorum, quae falsificantur et adulterantur* [n. 775]; ***"et cornua decem,"*** significat *multam potentiam* [n. 776]; ***"et super*** [2]***cornibus suis decem diademata,"*** significat *illam ex apparentiis veri in copia* [n. 777]; ***"et super capitibus suis nomen blasphemiae,"*** significat *falsificationes Verbi* [n. 778].

774. [*Vers.* 1.] ***"Et vidi ex mari bestiam ascendentem."***—Quod significet *ratiocinia ex naturali homine confirmantia separationem fidei a vita*, constat ex significatione "bestiae ex mari ascendentis," quod sint illa quae naturalis hominis sunt; per "bestias" enim in Verbo significantur affectiones naturalis hominis in utroque sensu (videatur supra, n. 650), et per "mare" significantur varia quae sunt naturalis hominis, quae se referunt ad ejus scientifica tam vera quam falsa, et ad cogitationes et ratiocinationes inde (videatur etiam supra, n. 275, 342, 511, 537, 538, 600[*a*]); ex quibus patet quod per "bestiam ex mari ascendentem" significentur ratiocinia ex naturali homine: quod sint ratiocinia confirmantia separationem fidei a vita, constat ex eo, quod "draco" in hoc capite ulterius describatur; ejus ratiocinia ex naturali homine confirmantia separationem fidei a vita, per "bestiam ex mari ascendentem," et ejus confirmationes ex sensu litterae Verbi, et hujus falsificationes, per "bestiam ascendentem e terra" (de qua infra a versu 11 ad finem hujus capitis). Quod "draco" in hoc capite ulterius describatur, et quoque per "binas bestias" intelligatur, constat ex eo, quod dicatur quod "draco dederit bestiae ex mari ascendenti potentiam suam et thronum suum, et potestatem magnam;" et porro quod "adoraverint draconem qui dedit potestatem bestiae;" tum quod "altera bestia, quae e terra ascendit, locuta sit sicut draco," et quod "potestatem prioris bestiae omnem fecerit coram dracone:" inde patet quod quantum illi [qui] fidem separant a vita, qui sunt qui significantur per "draconem," per ratiocinia e naturali homine confirmant separationem illam, describantur per bestiam e mari ascendentem;" et quantum confirmant illam sepa-

rationem per sensum litterae Verbi, et per id falsificant illum, describantur per "bestiam e terra ascendentem;" quod ita sit, plene videri potest a descriptione utriusque in sequentibus. Quod ratiocinia e naturali homine intrent in dogmata eorum qui fidem faciunt unicum medium salutis, ita ipsum essentiale ecclesiae, ac sic illam a vita seu a charitate, quam non agnoscunt ut salutis medium ac ut essentiale ecclesiae, separant, parum vident et inde parum sciunt clientes ejus ac docti, ex causa quia cogitatione inhaerent locis Verbi, per quae confirmant; et quia falsa sunt, quae ex sensu Verbi ultimo, qui est sensus litterae Verbi, confirmant, necessum est ut ratiocinia ex naturali homine desumant; nam absque illis impossibile est facere ut falsa appareant sicut vera: sed hoc illustretur exemplo. Ut separetur vita seu charitas a fide, dicunt,

(i.) Quod per lapsum Adami omne liberum faciendi bonum a se deperditum sit; et [ii.], quod inde sit quod homo nullatenus possit implere legem; et [iii.], absque impletione legis nulla salus: et [iv.], quod Dominus in mundum venerit ut impleret legem, et sic justitia et meritum Ipsius imputaretur homini, et per imputationem illam homo solutus esset a jugo legis, usque ut nihil eum condemnet; et [v.], quod imputationem meriti Domini accipiat homo per solam fidem, et nihil per opera.

Quod pleraque haec sint ratiocinia ex naturali homine confirmantia principium captum de sola fide, et connectentia principiata ejus, constare potest ex lustratione singulorum in suo ordine:—Ut

(i.) *Quod per lapsum Adami liberum arbitrium, quod est liberum faciendi bonum a se, deperditum sit*:—hoc ratiocinium est ex falsis, liberum enim faciendi bonum a se, est nulli homini, nec potest esse alicui; nam homo est modo recipiens; quare bonum quod homo recipit, non est hominis sed Domini apud illum. Immo nec angelis est bonum nisi a Domino; et quo plus agnoscunt id et percipiunt id, eo plus angeli sunt, hoc est, superiores et sapientiores reliquis. Eo minus potuit Adamus, qui nondum fuit angelus, in statu boni a se esse. Integritas ejus constiterat in pleniore receptione boni et veri, et inde intelligentiae et sapientiae a Domino, quam ejus posteri; hoc etiam erat imago Dei; nam imago fit qui recipit Dominum, et tantum imago fit quantum recipit. Verbo, liberum est facere bonum a Domino, et servum est facere bonum a se.

Inde patet quod id ratiocinium sit ex falsis, profluentibus ex fallaciis, quae omnes sunt ex naturali homine. Praeterea non ex vero est quod malum hereditarium universo generi humano ingeneratum sit per lapsum Adami; aliunde est ejus origo.

(ii.) *Quod inde sit quod homo nullatenus possit implere legem*, est quoque ratiocinium ex naturali homine. Spiritualis homo novit quod facere legem, et implere illam in externa forma, non salvet; sed quod quantum homo facit legem in externa forma ex interna, salvet. Interna forma, seu internum legis, est amare bonum, sincerum et justum; et externum ejus est facere illa: hoc ita docet Dominus apud *Matthaeum*,

"Purga prius internum poculi et patinae, ut fiat etiam externum..mundum" (xxiii. 26).

Quantum homo ab interno facit legem, tantum implet illam; non autem quantum ab externo absque interno; internum hominis est ejus amor et voluntas: at amare bonum, sincerum et justum, et ex amore velle illa, est a solo Domino; quare duci a Domino est implere legem. Sed haec plenius illustranda sunt in sequentibus.

(iii.) *Quod absque impletione legis nulla salus*, involvit quod si homo potuisset implere legem a se, salvaretur, quod tamen in se est falsum; et quia falsum est, ut usque appareat sicut verum, quia est dogma receptum, confirmandum est per ratiocinia ex naturali homine. Quod falsum sit, patet ex eo, quod homo non aliquod bonum facere possit ex se, sed quod omne bonum sit a Domino, et quod [non] dari possit talis integritatis status, ut aliquod bonum, quod in se bonum est, sit et fiat ab homine, ut supra de Adamo dictum est; et quia talis integritatis status non dari potest, nec usquam datus est, sequitur quod lex implenda sit a Domino, secundum illa quae mox supra dicta sunt. Attamen qui aliter credit quam quod homo facturus sit omnia sicut a se, tametsi id facit a Domino, multum fallitur.

(iv.) *Quod Dominus in mundum venerit ut impleret legem, et sic Ipsius justitia et meritum imputaretur homini, et quod per imputationen illam homo solutus sit a jugo legis, usque ut post justificationem per solam fidem nihil eum condemnet*, est quoque ratiocinium ex naturali homine. Dominus non

ideo in mundum venit, sed ut judicium faceret, et per id omnia in caelis et in infernis in ordinem redigeret, et simul ut glorificaret Humanum suum; per id salvati sunt omnes et salvantur, qui bonum ab Ipso et non a se fecerunt et faciunt, et sic non per aliquam imputationem meriti et justitiae Ipsius; nam docet Dominus,

"Non veni ad solvendum Legem et [1]Prophetam; non veni ad solvendum sed ad implendum. ....Quisquis solverit...praeceptorum eorum minimum, et docuerit ita homines, minimus vocabitur in regno caelorum; qui vero facit et docet, hic magnus vocabitur in regno caelorum" (*Matth.* v. 17, 19, seq.).

(v.) *Quod imputationem meriti Domini accipiat homo per solam fidem, et nihil per opera*, est conclusum ex ratiociniis quae praecedunt; et quia ratiocinia illa sunt ex naturali homine, et non ex rationali illustrato a spirituali, et inde sunt ex falsis et non ex veris, sequitur quod conclusum ex illis cadat.

Ex his constare potest quod ad confirmandum aliquod principium in se falsum, esse debeant ratiocinia ex naturali homine, et confirmationes ex Verbi sensu litterae, nam ratiocinia dabunt apparentiam cohaerentiae locorum ex sensu litterae Verbi desumptorum: quare ratiocinia e naturali homine significantur per "bestiam e mari," et confirmationes ex sensu litterae Verbi per "bestiam e terra ascendentem."

775. ***"Habentem capita septem."***—Quod significet *scientiam sanctorum Verbi, quae falsificantur et adulterantur*, constat ex significatione "capitis," quod sit intelligentia et sapientia, ac in opposito sensu insania et stultitia (de qua supra, n. [2]573, 577); et quia intelligentia et sapientia non praedicari potest de illis qui per ratiocinia ex naturali homine confirmant separationem fidei et vitae, qui per "bestiam ex mari ascendentem" intelliguntur, ideo per "caput ejus" significatur scientia; quod sit scientia sanctorum Verbi, est quia "septem capita" fuerunt, et "septem" praedicantur de sanctis (videatur supra, n. 257): causa quod sit scientia sanctorum Verbi, est quia illi, qui per "draconem" intelliguntur, non sunt contra Verbum, Verbum enim vocant sanctum et Divinum, quia ex illo conquirunt confirmationes dogmatis sui; quod autem sancta Verbi, quorum scientiam habent, ex illis falsificentur et adulterentur,

constabit a sequentibus; et in genere ex hoc, quod qui separant fidem a vita, non aliter possint, quia illa separatio est contra omnia et singula Verbi; nam in omnibus et singulis Verbi est conjugium boni et veri, quod manifeste patet ex sensu spirituali Verbi; sunt ideo in plerisque locis binae expressiones quae apparent sicut repetitiones ejusdem rei, sed usque una illarum se refert ad bonum, et altera ad verum, et sic ambae faciunt sicut conjugium, quod vocatur conjugium Divinum, conjugium caeleste, et conjugium spirituale, quod in se spectatum est conjugium boni et veri; de quo conjugio videatur supra (n. 238, 288[b], 484, 660): simile conjugium erit fidei et amoris, seu fidei et bonorum operum, nam fides est veri ac verum est fidei, et amor est boni ac bonum est amoris; exinde patet quod qui [1]separant fidem a vita ejus, seu quod idem, ab amore, illi non possint aliter quam falsificare Verbum, quia explicant sensum litterae ejus contra conjugium boni et veri, quod in omnibus et singulis Verbi est. Dictum est quod "caput" significet sapientiam et intelligentiam, et quod apud illos qui non in sapientia et intelligentia sunt, significet scientiam; inde apud illos qui falsificant et pervertunt Verbum, significat id insaniam et stultitiam, sicut etiam supra (n. 715), ubi explicatum est quid significatur per "septem capita draconis;" inde simile hic quoque per "caput bestiae" hujus significatur, nam bestia haec est draco quoad ratiocinia ex naturali homine confirmantia separationem fidei a vita. Quod "caput" significet sapientiam, intelligentiam et scientiam veritatum, et in opposito sensu stultitiam, insaniam et scientiam falsitatum, est quia illa resident in capite, et sunt ibi in suis principiis; quod manifeste constare potest ex eo, quod ibi origines omnium fibrarum sint, quae inde procedunt ad omnia organa sensoria et motoria faciei et totius corporis; sunt ibi substantiae infinito numero quae apparent sicut sphaerulae, et ab anatomicis vocantur substantia corticalis et cineritia; ex his procedunt fibrillae, quarum primae sunt inconspicuae, et dein confasciatae, ex quibus producitur substantia medullaris totius cerebri, cerebelli et medullae oblongatae; ex substantia hac medullari protenduntur fibrae conspicuae, quae conjunctae vocantur nervi, per quos cerebrum, cerebellum et medulla spinalis [2]formant totum corpus, ac omnia et singula ejus; et per id fit ut

omnia et singula corporis regantur a cerebris. Ex his constare potest quod intellectus et voluntas, quae una voce vocantur mens, proinde etiam intelligentia et sapientia, resideant in cerebris, et quod ibi sint in suis primis; et quod organa quae formata sunt ad recipiendos sensus, et ad faciendos motus, sint derivationes inde, prorsus sicut rivi a suis fontibus, aut sicut principiata a suis principiis, aut sicut substantiata a suis substantiis; et quod derivationes illae tales sint ut cerebra sint praesentia ubivis, paene sicut sol per lucem et calorem in omnibus et singulis telluris. Inde sequitur quod universum corpus, ac omnia et singula ejus, sint formae sub intuitione, auspicio et obedientia mentis, quae in cerebro, ita ad ejus nutum constructae ut pars in qua non mens illa est praesens, aut cui non dat vitam suam, non sit pars vitae hominis. Ex his constare potest quod mens, dum est in sua cogitatione quae intellectus, et in sua affectione quae voluntatis, extensionem habeat in singula totius corporis, et ibi per suas formas exspatietur, sicut cogitationes et affectiones angelorum in societates universi caeli: similis etiam res est, quia omnia corporis humani correspondent omnibus caeli; quapropter totius caeli forma coram Domino est forma humana. (De qua re multis actum est in *Arcanis Caelestibus*, et quoque in opere *De Caelo et Inferno*.) Haec dicta sunt, ut sciatur unde est quod per "caput" significetur sapientia et intelligentia; tum etiam, unde est quod per "caput" significetur stultitia et insania; nam qualis est homo in suis principiis talis est in toto, nam corpus cum omnibus et singulis ejus est derivatum, ut modo dictum est. Si itaque mens in fide falsi est, et in amore mali, tunc totum corpus ejus in simili est, hoc est, totus homo: quod etiam manifeste constare potest ab homine dum fit spiritus, bonus aut malus; tunc totum spirituale ejus corpus, a capite ad calcem, est prorsus tale qualis est ejus mens; si mens est caelestis, totus spiritus etiam quoad corpus est caelestis; si mens est infernalis, est totus spiritus etiam quoad corpus infernalis; quare hic spiritus apparet in forma dira sicut diabolus, ille autem spiritus in forma pulchra sicut angelus caeli. Sed de hac re alibi plura.

776. *"Et cornua decem."*—Quod significet ***multam potentiam***, constat ex illis quae supra (n. 716) explicata sunt, ubi de "dracone," cui etiam "decem cornua" fuerunt.

Multa potentia quae draconi et huic bestiae addicitur, et quae repraesentatur in mundo spirituali per cornua, et inde repraesentative ostensa est Johanni super draconis bestia, est potentia ratiociniorum e naturali homine ex fallaciis, ita ex falsis; quibus quidem nulla potentia in se est, quia omnis potentia est veris; sed usque multa potentia est falsis quae ex fallaciis sensuum, proinde ratiociniis ex illis, apud homines telluris, antequam in veris ex bono sunt, hoc est, antequam a Domino regenerati sunt: homo enim ex nativitate in malis est, et inde quoque in falsis; nam falsa scaturiunt ex malis, sicut impurae aquae ex impuro fonte; et falsa illa per ratiocinia ex fallaciis sensuum confirmata apparent sicut vera; et quia homo in falsis ex malis est ex nativitate, ideo ille facile arripit, agnoscit et credit illa, concordant enim cum primo ejus naturali lumine, et cum calore luminis istius, qui est ex igne amoris sui aut amoris mundi; et quia homo ad talia credenda facile et quasi sponte aufertur, et sic seducitur, ideo tribuitur hic bestiae, et supra draconi, multa potentia: at contra hominem qui in veris ex bono est, seu contra regeneratum a Domino, non potentiam habent, et semper minorem sicut multiplicantur vera apud illum, et tandem nullam; nam, ut supra dictum est, omnis potentia inest veris ex bono, proinde nulla falsis ex malo. Hoc confirmari potest ex visis et perceptis in mundo spirituali. In quibusdam locis ibi sunt continuae pugnae illorum qui in falsis sunt cum similibus et cum dissimilibus, et visum est quod mali per falsa vicerint, et in partes suas traxerint perplures; quod cum miratus sum, dictum et perceptum est quod falsa valeant contra illos qui in falsis sunt, nam deprehensum est quod illi qui victi et in partes tracti sunt, aeque in falsis fuerint; et vice versa, quod falsa non valeant contra illos qui in veris sunt. Praeterea etiam visum est quod illi qui in falsis essent pugnaverint cum illis qui in veris, et quod etiam hos vicerint; sed usque perceptum est quod hi non fuerint in veris ex bono, sed in veris absque bono. Sed dum illi qui in falsis sunt pugnant contra illos qui in veris ex bono sunt, prorsus nihil valent; sunt sicut paleae in aere, quae flatu hominis absque potentia renitendi quaquaversum disperguntur et dissipantur. Ex his constare potest unde est quod pluries in Verbo mali dicantur "for-

tes" et "potentes." Inde nunc patet causa cur super draconis capite, et super hujus bestiae capite, et similiter infra, super capite bestiae coccineae (*Apoc.* cap. xvii. 3), visa sint "cornua decem."

777. ***"Et super cornibus suis decem diademata."***—Quod significet *illam ex apparentiis veri in copia*, constat ex significatione "cornuum," quod sint potentia (de qua mox supra); ex significatione "decem," quod sint multum, ita quoque copia (de qua supra, n. 675); et ex significatione "diadematum," quod sint vera in ultimo ordinis, quae sunt vera sensus litterae Verbi (de qua etiam supra, n. 717): quod etiam sint apparentiae veri, est quia vera sensus litterae Verbi pleraque sunt apparentiae veri, et per illas Verbi est potentia illis qui per "bestiam" hanc intelliguntur, qui sunt qui per ratiocinia confirmant separationem fidei a vita; sunt enim vera sensus litterae Verbi, quae sunt apparentiae veri, quae per ratiocinia connectunt, ut appareant sicut genuina vera, quae per "diademata" hic significantur: sed quando illa connexa sunt per ratiocinia ex falsis et fallaciis, non amplius sunt vera apparentia, sed vera falsificata, ita falsa, secundum illa quae supra (n. 719), ex solis apparente progressione, illustrata sunt. Quod super capitibus draconis apparuerint "septem diademata," at super cornibus bestiae "decem diademata," est quia per "caput draconis" significatur scientia sanctorum Verbi, quae falsificata et adulterata sunt, ita vera apparentia quae sunt vera sensus litterae Verbi; at per "cornua" significatur eorum multa potentia, quando eadem per ratiocinia ex naturali homine connexa et confirmata sunt; at multa illa potentia non est ex ratiociniis, sed per ratiocinia ex veris sensus litterae Verbi.

778[*a*]. ***"Et super capitibus suis nomen blasphemiae."***—Quod significet *falsificationes Verbi*, constat ex significatione "capitum," quod sint scientia sanctorum Verbi, quae falsificantur et adulterantur (de qua supra, n. 775); ex significatione "nominis," quod sit quale rei et status (de qua supra, n. 102, 135, 696[*a*]), hic quale ratiociniorum ex naturali homine confirmantium separationem fidei a vita, quae per hanc "bestiam" significantur; et ex significatione "blasphemiae," quod sit falsificatio Verbi (de qua sequitur); ex quibus patet quod "super capitibus nomen blasphemiae," signi-

ficet quale eorum qui per ratiocinia ex naturali homine confirmant separationem fidei a vita, et quod quale eorum sit falsificatio Verbi. Quod "blasphemia" significet falsificationem Verbi, est quia in sequentibus per hanc "bestiam" describitur quomodo illi qui per "draconem" intelliguntur, per ratiocinia ex naturali homine, pervertunt sensum litterae Verbi, ut justificationem et salvationem per solam fidem absque bonis operibus confirment; et hoc non fieri potest nisi ut falsificent Verbum, quod in omnibus et singulis conjungit vera bonis et bona veris, ita fidem charitati et charitatem fidei, ut supra (n. 775) ostensum est; inde est quod falsificationes Verbi significentur per "blasphemiam," quae dicitur nomen esse hujus bestiae. Quomodo autem blasphematur Verbum per falsificationem ejus, illustrabitur per hoc exemplum:—Illi qui separant fidem a bonis operibus, dicunt,

Quod Deus Pater removerit, immo rejecerit a Se, humanum genus propter mala; et quod ideo Filius Ipsius missus sit, aut Ipse motus misericordia in mundum venerit; et quod Ipse per ultimae damnationis poenam, quae fuit passio crucis, ac ibi per sanguinem suum, et denique per mortem, reconciliaverit Patri humanum genus, sic intercedendo pro illo.

Hoc quia est inter primaria doctrinae illorum qui fidem a sua vita, quae est charitas, separant, velim paucis dicere quomodo Divinum per id blasphematur. Blasphematur per id, quod credant et cogitent quod Divinum a se removerit aut rejecerit humanum genus, cum tamen Deus est ipse Amor, ipsa Misericordia, et ipsum Bonum, et haec sunt Esse Ipsius; ex quibus patet quod Deo impossibile sit removere aut rejicere aliquem ex humano genere, hoc enim foret agere contra Esse suum, quod, ut dictum est, est a quo omnis amor, omnis misericordia et omne bonum profluit: hoc ne quidem facere potest ullus angelus, aut ullus homo, qui in amore, in misericordia, et in bono a Domino est; cum tamen horum amor est finitus, et Divinus Amor infinitus. Remotionem aut rejectionem humani generis a Deo Patre, vocant justitiam vindicativam; de qua non aliam fovent ideam, quam sicut de rege aut judice vindicante malum sibi illatum; consequenter sicut de eorum vindicta, in qua non potest non esse aliquid irae. Ad hoc confirmandum adducunt loca e Verbo, ubi Deus dicitur "Vindex,"

"Ultor," "Zelotes," "irascens," "excandescens;" quae loca Verbi sic falsificant, nam talia dicuntur in sensu litterae Verbi secundum apparentias: quando enim homo post mortem, dum fit spiritus, in malis est per vitam suam in mundo, tunc avertit se a Domino; et cum ab Ipso se avertit, et Ipsum negat, non amplius potest in tutela Ipsius esse quin malum ejus illum puniat, nam malo inest poena mali, sicut bono inest merces boni; et quia punitio mali a malo, hoc est, a malis, apparet sicut foret punitio a Divino, ideo ex apparentia illa dicitur in Verbo de Divino, quod "irascatur," "condemnet," "conjiciat in infernum," et similia. Quod tamen Dominus nullum condemnet et puniat, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 545-550), ubi agitur de eo, Quod Dominus neminem in Infernum dejiciat, sed quod ipse Spiritus semet. Ex his constare potest quomodo blasphematur Divinum per falsificationem Verbi; cogitatur enim quod Deus aliquo respectu sit vindex, ultor, quod irascatur, conjiciat in infernum, puniat, cum tamen malum se ipsum punit, ita infernum, a quo malum, et non Divinum. Blasphematur Divinum per falsificationem Verbi, etiam per id, quod credant et cogitent quod Deus Pater voluerit reconciliari humano generi per poenam ultimae damnationis, quae erat passio crucis, et sic per sanguinem Filii sui, et quod per id commotus sit et commoveatur ad misericordiam. Quis non, cui intellectus illustratus est, videt, quod etiam hoc contra Divinum sit, et consequenter contra genuinum Verum Verbi? Nam quod contra Divinum est, hoc blasphemia est; inde quoque trahere sensum litterae Verbi ad confirmandum illud, blasphemia est. Sed de hac re in sequentibus plura.

[*b*.] Quid itaque significat "blasphemia," constare potest ex locis in Verbo ubi dicitur, ex quibus haec modo in medium licet afferre:—Apud *Evangelistas*,

> **Jesus dixit, "Omne peccatum et blasphemia remittetur homini, Spiritus vero blasphemia non remittetur hominibus: immo si quis dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur illi; qui vero dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur illi, neque in hoc saeculo neque in futuro" (*Matth.* xii. 31, 32);**
>
> **"Dico vobis quod omnia peccata remittentur filiis hominis;....quisquis autem blasphemaverit in Spiritum.., non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni judicii" (*Marc.* iii. 28, 29);**
>
> **"Omnis..qui dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur illi; ei vero, qui Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur" (*Luc.* xii. 10):**

quid significatur per "peccatum et blasphemiam contra Spiritum sanctum," et per "verbum contra Filium hominis," nondum notum est in ecclesia; et hoc ex causa, quia quid proprie intelligitur per "Spiritum sanctum," et quid proprie per "Filium hominis," non scitum est: per "Spiritum sanctum" intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, quale est in caelis; ita Verbum quale est in sensu spirituali, nam hoc est Divinum Verum in caelo; et per "Filium hominis" intelligitur Divinum Verum quale est in terris, ita Verbum quale est in sensu naturali, nam hoc est Divinum Verum in terris. Quando notum est quid per "Spiritum sanctum," et quid per "Filium hominis," scitur etiam quid significatur per "peccatum et blasphemiam contra Spiritum sanctum," et quid per "verbum contra Filium hominis;" tum etiam sciri potest cur peccatum et blasphemia contra Spiritum sanctum non possit remitti, et quod verbum contra Filium hominis possit. "Peccatum et blasphemia contra Spiritum sanctum" est negare Verbum, tum adulterare ipsa bona et falsificare ipsa vera ejus; at "verbum contra Filium hominis" est interpretari sensum naturalem Verbi, qui est sensus litterae ejus, secundum apparentias. Quod negare Verbum sit peccatum quod "non remitti potest in hoc saeculo nec in futuro," seu in aeternum, et quod "reus sit aeterni judicii," est quia illi qui negant Verbum negant Deum, negant Dominum, negant caelum et infernum, et negant ecclesiam et omnia ejus; et qui illa negant athei sunt, qui tametsi ore creationem universi Summo cuidam Enti, Numini aut Deo addicunt, usque corde illam adscribunt Naturae: hi quia per negationem solverunt omne vinculum cum Domino, non possunt aliter quam separati esse a caelo, et conjuncti inferno. Quod adulterare ipsa bona Verbi, et falsificare ipsa vera ejus, sit blasphemia contra Spiritum sanctum, quae nec remitti possit, est quia per "Spiritum sanctum" intelligitur Dominus quoad Divinum Verum quale est in caelis, ita Verbum quale est in sensu spirituali, ut supra dictum. In sensu spirituali sunt genuina bona et genuina vera; in sensu autem naturali sunt eadem quasi investita, et non nisi quam hic et ibi nuda; quare haec vocantur apparentia bona et vera: haec sunt quae adulterantur et falsificantur, ac dicuntur adulterari et falsificari, quando contra genuina

bona et vera explicantur, nam tunc removet se caelum, et homo sejungitur ab illo, ex causa, ut supra dictum est, quia genuina bona et vera faciunt sensum spiritualem Verbi, in quo angeli caeli sunt. Sit pro exemplo: si Dominus ac Divinum Ipsius negatur, ut factum est a Pharisaeis, qui dixerunt Dominum ex Beelzebule miracula facere, ac immundum spiritum habere; et quia sic negarunt Ipsum et Divinum Ipsius, dixit quod tale esset peccatum et blasphemia in Spiritum sanctum, quia contra Verbum: videantur praecedentia in illis capitibus apud *Evangelistas*. Inde quoque est quod Sociniani et Ariani, qui tametsi non negant Dominum usque negant Divinum Ipsius, extra caelum sint, et non ab ulla societate angelica recipi possint. Sit etiam pro exemplo, qui amoris bona et charitatis opera a mediis salutis excludunt, ac fidem exclusive ab illis pro unico medio assumunt, et haec confirmant non modo doctrina sed etiam vita, dicendo corde, "Bona me non salvant, nec mala damnant, quia fidem habeo:" illi quoque blasphemant Spiritum sanctum, nam genuinum bonum et verum Verbi falsificant, et hoc mille in locis, ubi amor et charitas ac facta et opera nominantur. Praeterea, ut supra dictum est, in omnibus et singulis Verbi est conjugium boni et veri, ita charitatis et fidei; quare cum bonum seu charitas aufertur, perit conjugium illud, et loco ejus fit adulterium; quale adulterium inde fit, alibi dicetur: inde est quod nec illi recipiantur in caelo. Causa etiam est, quia loco amoris caelestis illis est amor terrestris, et loco bonorum operum illis sunt mala opera, quia ex amore terrestri, qui separatus ab amore caelesti est amor infernalis. Aliter vero fit cum illis qui quidem ex doctrina ecclesiae et ex magistris credunt fidem esse unicum medium salutis, aut qui sciunt, et non interius affirmant nec negant, et usque vivunt bene ex Verbo, hoc est, quia mandatum est a Domino in Verbo; illi non blasphemant Spiritum sanctum, non enim adulterant bona Verbi, nec falsificant vera ejus, quare conjunctio eorum est cum angelis caeli: pauci etiam ex illis sciunt quod fides aliud sit quam credere Verbo; dogma justificationis per solam fidem absque operibus legis non capiunt, quia transcendit eorum intellectum. Haec bina exempla adducta sunt, ut sciatur quid per "peccatum" et "blasphemiam" contra Spiritum sanctum

intelligitur; et quod "peccatum" contra illum sit negare Divinum Verum, ita Verbum, et quod "blasphemia" contra illum sit adulterare ipsa bona Verbi et falsificare ipsa vera ejus. Sciatur quod bonum Verbi adulteratum sit malum, et quod verum falsificatum sit falsum.

[c.] Quod "verbum contra Filium hominis" significet interpretari sensum naturalem Verbi, qui est sensus litterae ejus, secundum apparentias, est quia per "Filium hominis" intelligitur Dominus quoad Divinum Verum quale est in terris, ita quale est in sensu naturali; quod id verbum remittatur homini, est quia pleraque in sensu naturali seu in sensu litterae Verbi, sunt bona et vera investita, et modo aliqua nuda, sicut in sensu spirituali ejus; ac bona et vera investita vocantur apparentiae veri; Verbum enim in ultimis est sicut homo indutus veste, qui tamen quoad faciem et quoad manus nudus est; et ubi sic Verbum est nudum, ibi apparent bona et vera ejus nuda sicut in caelo, ita qualia in sensu spirituali sunt: quare non deest quin ex sensu litterae Verbi, doctrina genuini boni ac genuini veri possit ab illustratis a Domino videri, et a non illustratis confirmari. Quod tale sit Verbum in sensu litterae, est ut sit basis sensui spirituali; sic etiam accommodatum est captui simplicium, qui non possunt nisi quam illa quae ita dicta sunt percipere, et percepta credere et facere. Et quia Divina vera in Verbi sensu litterae pleraque sunt apparentiae Veri, ac simplices fide et corde non possunt supra illas elevari, inde non peccatum et blasphemia est interpretari Verbum secundum apparentias, modo ex his non formentur principia, et haec confirmentur usque ad destructionem Divini Veri in genuino suo sensu. Ut pro exemplo, qui haec legit,

> "Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi" (*Joh.* i. 29);

et hoc,

> "Hoc..est sanguis meus, ille novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum" (*Matth.* xxvi. 28);

tum etiam hoc,

> "Michael et angeli ejus pugnarunt contra draconem" et angelos ejus: ...."et illi vicerunt eum per sanguinem Agni" (*Apoc.* xii. 7, 11);

et ex illis simpliciter credit quod Dominus passus sit crucem propter peccata nostra, et quod per illam et per sanguinem

suum redemerit nos ex inferno; hoc quia verum apparens est, et dici et credi potest, ideo hoc simplices fide et corde non damnat: at ex his principium facere, et hoc confirmare usque eo, ut per id reconciliatus sit et reconcilietur Deus Pater, et quod per solam fidem ejus homo justificetur et salvetur absque bonis charitatis, quae sunt bona opera, et in illo principio esse non solum doctrina sed etiam vita, hoc non remitti potest. Ex his constare potest quod per "blasphemiam contra Spiritum sanctum" significetur falsificatio Verbi usque ad destructionem Divini Veri in sensu suo genuino. Quod itaque "nomen blasphemiae" significet falsificationem Divini Veri, ita Verbi, est quia blasphemia dicitur cum quis loquitur contra Deum; et loqui contra Deum, est contra Divinum Verum; nam Divinum Verum procedens a Domino est quod in Verbo intelligitur per "Deum," ac Divinum Bonum quod intelligitur per "Jehovam" et quoque per "Dominum:" et quia blasphemia est loqui contra Deum, ita quoque contra Verbum, quoniam hoc est Divinum Verum, inde sequitur quod blasphemia sit falsificare Verbum; nam qui id falsificant, illi faciunt ut Verum Verbi sit falsum, ac falsum continue loquitur contra verum, immo impugnat illud; inde nunc est quod per "blasphemiam" significetur falsificatio Verbi usque ad destructionem genuini boni ac genuini veri ejus. Simile dicitur de "bestia coccinea" in sequentibus in *Apocalypsi*,

> **Mulier sedens super bestia coccinea, plena erat nominibus blasphemiae (xvii. 3):**

per "bestiam" illam et per "mulierem" illi insidentem intelligitur ibi Babylon, et per "nomina blasphemiae" intelliguntur adulterationes boni et falsificationes veri Verbi, quae, ut dictum est, sunt blasphemiae contra Dominum. Quod blasphemiae significent male et false credere et loqui de Deo, et de Divino Vero, etiam ab aliis locis in Verbo constare potest:—Ut apud *Esaiam*,

> **"Dixit Jehovah, Ne time propter verba quae audivisti, quibus blasphemarunt pueri [regis] Aschuris Me:....ac precatus est Hiskias Rex,....et dixit, Audi," Jehovah, "omnia verba Sancheribi, qui misit ad blasphemandum Deum vivum:" et locutus est Jehovah super illum, "Quem blasphemasti et calumniatus es, et contra quem extulisti vocem, et sublevasti altum oculos tuos? contra Sanctum**

Israelis. Per manum servorum tuorum blasphemasti Dominum" (xxxvii. 6, [15,] 17, 23, 24):

ex his quoque patet quod "blasphemia" dicatur de falsiloquiis contra Deum; nam per "regem Assyriae," qui tunc erat Sancheribus, significatur rationale; per illum autem rationale perversum, quod contra Divinum Verum loquitur, ac id probris afficit, ac per falsa perstringit; quod etiam est id falsificare, ut supra dictum: falsa quae locutus est contra Divinum Verum, significantur per illa quae ibi (vers. 10–13, 24, 25) continentur, quae omnia non solum fuerunt blasphemiae contra Deum, sed etiam falsificationes Divini Veri. Apud *Mosen*,

"Quod ad animam, quae fecerit manu alta,....Jehovam ille blasphemans,....eo quod Verbum Jehovae spreverit, et praeceptum Ipsius irritum fecerit, exscindendo exscindetur anima illa, iniquitas ejus in illa" (*Num.* xv. 30, 31):

agitur ibi de illis qui contra praecepta Dei per Mosen data faciunt, tam per errorem, quam ex proposito (ut patet a versu 23, et sequentibus istius capitis); hic de illis qui faciunt contra ea ex proposito, quod intelligitur per "facere manu alta:" et quia contra praeceptum facere est contra Divinum Verum, et contra hoc ex proposito facere est ex intentione voluntatis facere, et inde falsum loqui, quod est actualis Verbi adulteratio et falsificatio, ideo dicitur "Jehovam ille blasphemans:" et quia hoc simile est cum peccato et blasphemia contra Spiritum sanctum, dicitur quod "exscindendo exscindetur anima haec, iniquitas ejus in illa;" "iniquitas ejus in illa" significat quod non remitti possit. Quod blasphemia dicatur de maliloquiis et falsiloquiis de Deo, proinde de Divino Vero, non vacat hic per plura loca e Verbo confirmare, tam quia quisque videre potest quod blasphemia in spirituali sensu non aliud sit, quam quia genera ejus varia sunt, et ideo in linguis humanis, ut quoque in lingua Hebraea, varia nomina sunt, per quae genera blasphemationis Dei et Divini Veri exprimuntur; ut quae in Latina lingua nominantur calumniae, contumeliae, ignominiae, opprobria, convitia, vituperia, dicteria, subsannationes, illusiones, et plura: haec singula cum differentia generica et specifica in Verbo dicuntur, quas differentias explorare et exponere multis opus est.

VERSUS 2.

779. *"Et bestia quam vidi erat similis pardo, et pedes ejus sicut ursi, et os ejus sicut os leonis; et dedit illi draco potentiam suam, et thronum suum, et potestatem magnam."*

2. ***"Et bestia quam vidi erat similis pardo,"*** significat *ratiocinia discordantia, et usque apparentia sicut cohaereant* [n. 780]; ***"et pedes ejus sicut ursi,"*** significat *ex naturalibus quae sunt fallaciae* [n. 781]; ***"et os ejus sicut os leonis,"*** significat *ratiocinationes ex falsis destruentibus vera Verbi* [n. 782]; ***"et dedit illi draco potentiam suam, et thronum suum, et potestatem magnam,"*** significat *quod illi qui fidem a vita separant, per ratiocinationes ex fallaciis firment doctrinalia sua, et illa corroborent, et sic potenter seducant* [n. 783].

780[*a*]. [*Vers.* 2.] ***"Et bestia quam vidi erat similis pardo."***—Quod significet *ratiocinia discordantia, et usque apparentia sicut cohaereant*, constat ex significatione "bestiae ex mari ascendentis," de qua hic agitur, quod sint ratiocinia ex naturali homine confirmantia separationem fidei a vita (de qua supra, n. 774), hic itaque ratiocinia illa; et ex significatione "pardi," quod sint illa discordantia, et usque apparentia sicut vera. Quod talia significentur per "pardum," est quia pardus quoad pellem est maculis distinctus et variegatus, ex qua variegatione apparet non impulcher; et quia animal saevum est et insidiosum, et prae reliquis celer ad rapiendum, et quia tales etiam sunt qui per ratiocinia solerter callent confirmare dogma de separatione fidei a bonis operibus per ratiocinia ex naturali homine, quod tametsi cum veris discordat, usque per illa faciunt ut illud appareat sicut cum veris cohaereat, ideo illa bestia quoad corpus "similis pardo" apparuit. Quia haec significantur per "pardum," velim primum per aliqua illustrare quomodo illi qui fidem separant a vita ejus, quae sunt bona opera, per ratiocinia faciunt ut discordantia appareant sicut cohaerentia. Haeretica describuntur multis in locis in Verbo per "idola," quae fabricator per varia format, usque ut appareant in figura hominis, sed quibus tamen non potest indi vita, qua videant, audiant, moveant manus ac pedes, et loquantur. Hoc quoque factum vidi in mundo spirituali a quibusdam qui fidem separaverunt a bonis operibus, et perstitit hoc opus per plures horas; et postquam idolum factum est, apparuit quidem id in conspectu plurium sicut imago hominis, sed coram oculis angelorum sicut monstrum: voluerunt etiam aliquid vitae per artes indere, sed

non potuerunt. Quod talia in mundo spirituali fiant, est quia omnia quae ibi apparent sunt repraesentativa spiritualium, quae sistuntur in formis quales existunt in mundo; inde apparent omnis generis bestiae terrae, et aves caeli; etiam inde apparent domus, in illis conclavia, inque his varia decoramenta; tum horti et paradisi pleni arboribus fructiferis et floribus; apparent etiam mensae, et super illis omnis generis edulia; et innumera alia, quae tamen omnia ex origine spirituali sunt, et inde spiritualium repraesentativa. Ex eo est quod ibi a quibusdam formentur plura, per quae effigiantur spiritualia. Inde est quod etiam illi sistere voluerint fidem separatam a bonis operibus sub imagine hominis, ut ex apparentia illa simplicibus persuaderent ut dogma illud haereticum esset Divinum Verum: nam omne verum a Domino in sua forma est homo; inde angeli, quia receptiones Divini Veri a Domino sunt, formae humanae sunt; immo quicquid apud angelum ex Divino Vero est, talis formae est. (Quod ita sit, constare potest ex pluribus in opere *De Caelo et Inferno*, in specie ex illis quae ibi, n. 460, dicta sunt.) Quod "idola" in Verbo significent doctrinalia falsa ex propria intelligentia, apparentia sicut vera, videatur supra (n. 587). Haec dicta sunt, ut sciatur quod omnibus haeresibus, et imprimis universali huic de separatione fidei a bonis operibus, per ratiocinia possit induci apparentia, sicut forent ex veris et non ex falsis. Sed illustretur hoc per exemplum. Quis non potest adduci ad credendum quod sola fides sit unicum medium salutis, quia homo non potest a se facere bonum quod in se est bonum? Hoc apparet cuivis ad primum visum quod sit consequens, ac ita cohaerens cum vero; et tunc nescit quod sit ratiocinium ex naturali homine confirmans separationem fidei a bonis operibus, ex quo ratiocinio persuasus homo cogitat quod non opus habeat attendere ad suam vitam, quia habet fidem; sed qui in illa persuasione est, non scit quod facere bonum ex Verbo, hoc est, quia mandatum est in Verbo, sit facere bonum a Domino; et quod sic faciat bonum a se, sed usque credat quod sit a Domino. Sed de his plura in sequentibus. Ex paucis his videri potest quomodo per ratiocinia facile induci potest apparentia sicut falsum illud, quod universaliter in Ecclesia Christiana regnat, concordet cum hoc vero, quod omne bonum quod in se bonum est,

sit a Domino, et nihil ab homine, et quod ideo homo possit desistere a faciendo bonum, et usque salvari; cum tamen prorsus discordat.

[*b.*] Quod talia per "pardum" significentur, constare potest a sequentibus:—Apud *Jeremiam*,

> "Num convertet Aethiops cutem suam, aut pardus maculas suas? Etiam vos potestis bonum facere, qui edocti estis malum facere" (xiii. 23).

"Num convertet Aethiops cutem suam?" significat quod malum non possit mutare naturam suam; "Aethiops" est malum in sua forma, quia totus niger; et "cutis," quia est extremum hominis, et correspondet ejus sensuali, est natura ejus; "aut pardus maculas suas?" significat quod falsum mali nec possit mutare; "pardus" hic est falsum ex malo, est enim verum falsificatum per ratiocinia, et "maculae" sunt falsificata; quia utrumque est contra bonum, dicitur, "Etiam vos potestis bonum facere, qui edocti estis malum facere:" dicitur quod utrumque sit contra bonum, nempe malum et falsum mali, quia est malum voluntatis, et inde falsum intellectus; malum voluntatis est malum ex natura, et falsum intellectus fit malum per actum, nam voluntas agit per intellectum et facit malum. Apud *Esaiam*,

> "Erit justitia cingulum lumborum Ipsius, et veritas cingulum feminum Ipsius; quare commorabitur lupus cum agno, et pardus cum haedo..; ..vitulus, etiam leo juvenis et saginatum una, et puer parvus ducet eos" (xi. 5, 6):

haec de Domino et de Ipsius regno, ac de statu innocentiae et pacis ibi; quod haec de Domino dicta sint, patet a versu 1, hujus capitis, ubi dicitur quod "virga exibit ex trunco Jischaji, et surculus ex radicibus ejus [fructum] feret:" quod "justitia cingulum lumborum Ipsius erit, et veritas cingulum feminum Ipsius," significat quod Divinum Bonum procedens ex Divino Amore Domini conjunget illos in caelo et in ecclesia qui in amore in Ipsum sunt, et quod Divinum Verum procedens ex Ipso conjunget illos in caelo et in ecclesia qui in amore erga proximum sunt; per "justitiam," cum de Domino, intelligitur Divinum Bonum, ac per "lumbos Ipsius" intelliguntur illi qui in amore in Ipsum sunt, per "veritatem" intelligitur Divinum Verum, per "femina Ipsius" intelliguntur qui in amore erga proximum sunt, ac per "cingulum" significatur conjunctio cum illis

in caelo et in ecclesia: "quare commorabitur," significat statum pacis, qui est quum nihil mali ab inferno timetur, quia non damnum inferre potest; "lupus cum agno, et pardus cum haedo," significat quod non aliquod malum et falsum nociturum sit illis qui in innocentia et in charitate a Domino sunt; per "lupum" significatur malum quod innocentiae oppositum est, et illum destruere conatur, et per "pardum" intelligitur falsum charitati oppositum, quod per ratiocinia pro fide charitatem destruere conatur, per "agnum" significatur innocentia, et per "haedum" charitas; "vitulus etiam et leo juvenis et saginatum una," significat quod falsum infernale non nociturum sit innocentiae naturalis hominis, nec ulli affectioni boni ejus; per "vitulum" significatur innocentia naturalis hominis, per "saginatum" seu "bovem" significatur affectio naturalis hominis, et per "leonem" falsum infernale quoad potentiam et cupidinem destruendi Divinum Verum: "et puer parvus ducet eos," significat statum innocentiae et amoris in Dominum in quo erunt; "puer" significat innocentiam et simul amorem in Dominum, amor enim in Dominum unum facit cum innocentia; nam qui in illo amore, etiam in innocentia sunt, ut sunt illi qui in tertio caelo sunt, qui etiam inde coram oculis aliorum apparent sicut infantes et pueri. Apud *Jeremiam*,

> **"Percussit" magnates Hierosolymae "leo de silva, lupus camporum devastabit eos, pardus vigilans contra urbes eorum, omnis qui exiverit discerpetur, quia multiplicatae sunt praevaricationes eorum, validae factae aversiones" (v. 6):**

haec dicta sunt de falsificatione veri in ecclesia; et per "magnates Hierosolymae" intelliguntur illi qui reliquis praeibunt in docendis veris et bonis, et per "Hierosolymam" intelligitur ecclesia quoad doctrinam: per "leonem e silva," qui percussit magnates, significatur dominium falsi infernalis; per "lupum," qui devastabit, significatur dominium mali inde; utrumque, tam falsum quam malum, destruens vera et bona ecclesiae: per "pardum," qui "vigilat contra urbes," significantur ratiocinia a falsis mali contra vera doctrinae; "urbes" significant doctrinalia, ita vera doctrinae: quod "discerpetur omnis qui exiverit," significat quod quisquis recedit a veris doctrinae a falsis periturus sit: per "praevaricationes" quae multiplicatae, significantur

falsificationes veri; per "aversiones" quae validae factae, significantur adulterationes boni; quod falsificationes veri et adulterationes boni per "praevaricationes" et "aversiones" significentur, constat ex versu sequente, ubi dicitur quod "moechati sint, et domum meretricis turmatim intraverint," per quae falsificationes et adulterationes illae significantur. Apud *Habakuk*,

"Cujus leves sunt prae [1]pardis equi,..acuti sunt prae lupis vesperae, ut diffundant se equites ejus" (i. 8):

haec de devastatione ecclesiae per adulterationem veri; "gens Chaldaea," de qua haec dicuntur, illam significat: "cujus leves sunt prae pardis equi," significat cupidinem seducendi per ratiocinia, et inde solertiam seducendi; cupido et solertia illorum significatur per quod "leves" et celeres sint, ratiocinia ex naturali homine significantur ibi per "equos;" et quia haec per "equos" significantur, et similia per "pardos," ideo dicitur quod "equi eorum prae pardis leves sint;" "acuti sunt prae lupis vesperae," significat astutiam fallendi per fallacias; fallaciae sensuum hic significantur per "lupos vesperae," quia fallaciae sunt ex sensuali homine, qui in tenebris falsa sicut vera videt; "ut diffundant se equites ejus" significat ut vera Verbi per adulterationem fiant haeretica; per "equites" significantur haereses, quia per "equos" ratiocinationes, per quas confirmantur falsa. Apud *Danielem*,

Tertia bestia e mari ascendens erat "sicut pardus, cui alae quatuor, quales avibus, super tergo illius" (vii. 6):

describitur ibi per quatuor bestias e mari ascendentes successiva devastatio ecclesiae; et per tertiam hanc bestiam, quae "sicut pardus," significantur similia quae per "pardum" in hoc loco *Apocalypseos*, nempe ratiocinia discordantia, et usque apparentia sicut cohaereant; "cui alae quatuor, quales avibus, super tergo illius," significat apparentiam intellectus boni et veri ex applicatione sensus litterae Verbi. Apud *Hoscheam*,

"Ego novi te in deserto, in terra siccitatum; cum pascuum eorum, tunc saturati sunt; cum saturati sunt, tunc elatum est cor eorum; propterea obliti sunt Mei, ideo factus sum illis sicut leo, sicut pardus super via observabo" (xiii. 5–7):

"Ego novi te in deserto, in terra siccitatum," significat

statum absque bono et absque veris; "desertum" est status absque bono, et "terra siccitatum" est status absque veris; "cum pascuum eorum, tunc saturati sunt," significat quando illis data sunt bona et vera, hoc est, de illis instructi ex Verbo, usque ad plenam nutritionem animae; "cum saturati sunt, tunc elatum est cor eorum," significat cum ex plenitudine illa extulerint se super omnes, credendo quod ideo illis solis caelum et non aliis: "propterea obliti sunt Mei" significat quod fastus obliteraverit ea, et inde recesserit desiderium, et cum hoc cor eorum a Domino: "ideo factus sum illis sicut leo" significat inde devastationem omnis veri ecclesiae: "et sicut pardus super via observabo" significat falsificationem veri per ratiocinia ex naturali homine; per "pardum" significatur falsificatio per ratiocinia, per "viam" verum ducens ad bonum, et per "observare" intentio pervertendi. Ita dicitur de Domino in sensu litterae Verbi ex apparentia Veri, in qua tamen insitum latet genuinum Verum, quod est sensus spiritualis Verbi, quod Ipse non sit sicut leo, qui ecclesiam devastat, nec sicut pardus qui vera per ratiocinia falsificat, sed homo qui id facit quando corde effertur. Ex his constare potest quid per "pardum" in Verbo significatur.

781[a]. ***"Et pedes ejus sicut ursi."***—Quod significet *ex naturalibus quae sunt fallaciae*, constat ex significatione "pedum," quod sint naturalia (de qua supra, n. 69, 600[a], 632, 666); et ex significatione "ursi," quod sint qui in potentia ex naturali sensu Verbi, tam boni quam mali (de qua sequitur); quod hic per "pedes bestiae," quae quoad corpus similis fuit pardo, et quoad pedes sicut ursus, significentur fallaciae, est quia per "pardum" significantur ratiocinia discordantia et usque apparentia sicut cohaereant (de quo mox supra, n. 780), et illa ratiocinia quatenus sunt ex naturali ultimo, quod est sensuale, sunt fallaciae, quae significantur per "pedes ursi." Multis in locis in Verbo nominantur "bestiae," tam mundae quam immundae, et per illas significantur varia, quae vel caeli vel inferni sunt; per "bestias mundas et utiles" talia quae sunt caeli, ac per "bestias immundas seu inutiles," talia quae sunt inferni; at quid caeli et inferni significant, non aliunde melius sciri potest quam ex repraesentativis in mundo spirituali, ubi etiam bestiae apparent; quae omnia sunt apparentiae repraesentantes illa quae

angeli aut spiritus ex affectionibus, inclinationibus, appetitibus, voluptatibus et cupiditatibus cogitant. Haec sistuntur coram oculis eorum in variis formis, sicut in hortis, in silvis, in agris, in campis, et quoque in fontibus; tum in palatiis, domibus, et inibi conclavibus, in quibus decoramenta et utensilia; sistuntur etiam mensae, super quibus varii generis cibi: praeterea sistuntur illa in formis animalium terrae, volatilium caeli, et reptilium, infinita varietate; non modo in formis animalium et volatilium, qualia sunt super nostra tellure, sed etiam composita ex pluribus, quae nullibi in terris dantur, ex quibus mihi datum est videre plura: et cum illa apparent, noscitur statim ex qua origine spirituali sunt, ita quid significant: sed animalia et volatilia illa illico evanescunt, ut primum spiritus aut angelus desistit a cogitatione et meditatione sua. Quod talia in mundo spirituali appareant, manifeste constare potest a similibus visis a prophetis; ut quod Dominus apparuerit sicut Agnus; quod cherubi visi sint quoad facies sicut leo, sicut bos, et sicut aquila (de quibus apud *Ezechielem*); quod equi visi sint exeuntes ex Libro vitae, cum Agnus aperuit sigilla; tum Equus albus, ut et plures equi albi super quibus in caelo equitabant (apud *Johannem*); et quoque equi albi, [1]badii, rufi, nigri, grandinati (apud *Sachariam*); tum quoque quod visus sit draco rufus, cui plura capita et cornua; et hic nunc visa est bestia similis pardo, cum pedibus ursi, cui os leonis; ut et alia bestia, cui duo cornua similia agno; et postea bestia coccinea super qua sedit mulier: visae etiam sunt Danieli quatuor bestiae ex mari ascendentes, quarum prima apparuit sicut leo cui alae aquilae, altera similis urso, tertia similis pardo, cui quatuor alae, et quarta terribilis. Ex quibus constare potest non modo quod tales bestiae in mundo spirituali appareant, sed etiam quod significent. Inde quoque videri potest quod omnes "bestiae," et quoque omnes "aves," quae memorantur in Verbo, significativae talium sint quae per bestias in mundo spirituali repraesentantur. Quid autem "ursus" significat, in sequentibus dicetur.

[*b.*] Antequam in Verbo ostenditur quid significatur per "ursum," velim aliquot exemplis illustrare quid intelligitur per fallacias, quae per "pedes sicut ursi" hic significantur. Fallaciae dicuntur plura quae homo ratiocinatur

et concludit ex naturali homine absque luce spirituali, quae est lux intellectus illustrati a Domino; naturalis enim homo suae cogitationis ideas capit ex terrestribus, corporeis et mundanis, quae in se sunt materiales; et quando cogitatio hominis non supra illas elevatur, materialiter cogitat de spiritualibus; et materialis cogitatio absque luce spirituali omne suum trahit ex amoribus naturalis hominis et ex eorum jucundis, quae contra amores caelestes et contra eorum jucunda sunt: inde est quod conclusa et ratiocinia ex solo naturali homine, et ejus fatuo lumine, sint fallaciae. Sed exempla illustrent. Fallacia est, Quod fides cogitativa salvet; cum tamen homo talis est qualis ejus vita est. Fallacia est, Quod fides cogitativa sit spiritualis; cum tamen amare Dominum super omnia, et proximum sicut se ipsum, sit ipsum spirituale; et amare est velle et facere. Fallacia est, Quod fides etiam momentanea detur; cum tamen homo purificandus est a malis et inde falsis, et regenerandus a Domino, quod diu perstat, et [sciendum est] quod sicut purificatur et regeneratur fidem spiritualem accipiat. Fallacia est, Quod homo possit recipere fidem et salvari in hora mortis, utcunque ejus vita fuerat; cum tamen vita hominem manet, et homo judicatur secundum facta et opera. Fallacia est, Quod fides per baptismum etiam sit infantibus; cum tamen fides comparanda est per cognitiones veri et boni, et per vitam secundum illas. Fallacia est, Quod per solam fidem ecclesia apud hominem; cum tamen per fidem charitatis est ecclesia apud illum, et charitas est vitae et non fidei separatae. Fallacia est, Quod homo per solam fidem justificetur, et quod justificato per illam meritum Domini imputetur, et quod postea illum nihil condemnet; cum tamen fides absque vita fidei, quae est charitas, est quasi dicatur vivum absque anima, quod in se est mortuum, nam charitas est anima fidei, quia est vita ejus; quare non justificatur homo per fidem mortuam; minus per illam imputatur meritum Domini, et fit salvatio; et ubi non salvatio, est condemnatio. Fallacia est, Quod soli fidei amor et charitas insit; cum tamen amor et charitas est velle et facere; quod enim homo amat, hoc non solum cogitat, sed etiam vult et facit. Fallacia est, Quod ubi legitur "facere" in Verbo, et ubi dicuntur "facta" et "opera," intelligatur fidem habere, quia fidei insunt; cum tamen distincta sunt sicut cogitatio

et voluntas; potest enim homo cogitare multa quae non vult, et quod vult hoc cogitat cum sibi soli relictus est, ac velle est facere: voluntas etiam et inde cogitatio est ipse homo, et non cogitatio separata; ac facta et opera sunt voluntatis et inde cogitationis, at sola fides est cogitationis separatae a factis et operibus quae sunt voluntatis. Fallacia est, Quod fides separanda sit a bonis operibus, quia homo bonum a se non potest facere, et si faciat quod ponat in eo meritum; cum tamen homo non bonum facit a se, sed ex Domino, cum ex Verbo, quia in Verbo est Dominus, et quoque Dominus est Verbum; et tunc homo non bonum facit a se, cum facit sicut a se, et usque credit quod ex Domino, quia ex Verbo; et quia credit quod bonum quod facit sit a Domino, non potest in factis meritum ponere. Fallacia est, Quod intellectus captivandus sit sub obedientia fidei, et quod fides visa intellectu non sit fides spiritualis; cum tamen intellectus est qui illustratur in rebus fidei cum legitur Verbum, et intellectus ab illustratione seclusus non scit num verum sit vel num falsum: inde fides nec fit fides ipsius, sed fides alterius in se; quae fides est fides historica, et cum confirmatur fit fides persuasiva, quae potest videre falsa ut vera, ac vera ut falsa; inde est fides omnium haeresium. Fallacia est, Quod fiducia, quae vocatur fides salvans, capta absque intellectu, sit fiducia spiritualis; cum tamen fiducia absque intellectu est persuasio ex alio, aut ex confirmatione per loca Verbi hic et ibi sparsim collecta, et per ratiocinia ex naturali homine falso principio applicata; talis fiducia caeca fides est, quae quia non videt num verum sit aut falsum, est mere naturalis: praeterea omne verum vult videri, quia est lucis caeli; at verum quod non videtur, potest multis falsificari, et verum falsificatum est falsum. Tales sunt fallaciae solummodo quoad fidem separatam a bonis operibus. Sunt adhuc plures, non modo quoad fidem, sed etiam quoad bona opera, quoad charitatem et quoad proximum, imprimis quoad conjunctiones illorum cum fide ab eruditis artificiose concinnatas. Quod tales fallaciae significentur per "pedes ursi," est quia per "ursum" significantur illi qui in potentia ex naturali sensu Verbi sunt, tam probi quam mali; et quia per "pedes" significantur naturalia, ideo per "pedes ursi" significantur fallaciae, ex quibus per ratiocinia falsificant sensum

litterae Verbi, et in quas vertunt apparentias veri illius sensus.

[c.] Quod "ursus" significet potentiam ex naturali sensu Verbi, tam apud probos quam apud malos, constare potest ex sequentibus:—In *Libro Secundo Regum*,

> "Cum..Elisaeus ascenderet..Bethelem, ille ascendens in via, cum pueri ..exiverunt ex urbe, et illuserunt illi, et dixerunt illi, Ascende calve, ascende calve; et respexit post se, et vidit eos, et maledixit illis in nomine Jehovae; et exiverunt duae ursae e silva, et discerpserunt de iis quadraginta et duos pueros" (ii. 23, 24):

cur pueri maledicti sunt ab Elisaeo, et ideo a binis ursis discerpti, quia vocarunt illum "calvum," non sciri potest nisi sciatur quid repraesentavit Elisaeus, et quid significat "calvus," tum quid significant "ursi." Quod non factum sit ab Elisaeo ex immoderata ira et injusta causa, constare potest ex eo, quod ille non tam immanis potuerit esse solum quia pueri parvi dixerunt, "Ascende calve;" erat quidem convitium in prophetam, sed non tale ut propterea ab ursis discerperentur. Sed ita factum est quia Elisaeus repraesentabat Dominum quoad Verbum, ita Verbum quod a Domino; per "calvum" significabatur Verbum orbatum sensu naturali, qui est sensus litterae ejus, et per "ursas e silva" significabatur potentia ex sensu naturali seu litterae Verbi, ut supra dictum est; et per "pueros" illos significabantur illi qui Verbum blasphemant propter sensum ejus naturalem, quia talis; per "quadraginta duo" significatur blasphematio. Inde nunc patet quod per illa repraesentata et inde significata sit poena blasphemationis Verbi. Omnis enim potentia et sanctitas Verbi residet collecta in ejus sensu litterae; si enim hic non foret, nec foret Verbum; nam sine eo foret Verbum sicut domus absque fundamento, quae vibraretur in aere, ac inde concideretur et dilaberetur; et foret Verbum sicut homo absque cute, quae circumtegit et continet viscera inclusa in suo situ et ordine; et quia tale significatur per "calvum," et per Elisaeum repraesentabatur Verbum, ideo pueri discerpti sunt ab ursis, per quas significabatur potentia ex naturali sensu Verbi, qui est sensus litterae, tam apud probos quam apud malos. Ex his etiam patet quod historica Verbi, aeque ac ejus prophetica, sensum spiritualem contineant. Simile per "ursum" significatur, quem David

percussit; de quo ita in *Libro Primo Samuelis*,

> "Dixit David ad Saulem, Pascens fuit servus tuus patri suo gregem, et venit leo, et quidem cum urso, et abstulit pecudem de grege; exivi post eum, et percussi eum...; et cum surgeret contra me, apprehendi barbam ejus, et percussi eum et occidi eum; tam leonem quam ursum percussit servus tuus: erit ergo Philisthaeus..praeputiatus, sicut unus de illis, eo quod opprobrio provocaverit ordines Dei vivi" (xvii. 34-37):

quod Davidi data sit potentia percutiendi leonem et ursum, qui abstulit pecudem de grege, erat quia per Davidem repraesentabatur Dominus quoad Divinum Verum, quo illi qui ab ecclesia Ipsius sunt instruuntur; et per "leonem" significatur potentia Divini Veri spiritualis, et in opposito sensu, ut hic, potentia falsi infernalis contra Divinum Verum; ac per "ursum" significatur potentia Divini Veri naturalis, et in opposito sensu potentia falsi contra id verum; per "pecudem" autem de grege, significantur illi qui ab ecclesia Domini sunt; et quia haec repraesentata sunt, ideo data est Davidi potentia percutiendi ursum et leonem, ut per id repraesentaretur et significaretur potentia Domini tutandi suos in ecclesia per Divinum suum Verum, a falsis mali quae ab inferno. Quod David "apprehenderit barbam ursi," involvit arcanum, quod quidem aperiri potest, sed vix comprehendi: "barba" significat Divinum Verum in ultimis, in quo ipsa potentia ejus consistit; quod verum etiam mali qui in falsis sunt ore quidem ferunt, sed illo abutuntur ad destruendum; quo tamen ablato, non amplius illis aliqua potentia est; quare ursum occidit et leonem percussit; sed de hac re alibi plura. Per Goliathum autem, qui erat Philisthaeus, et inde vocatur "praeputiatus," significantur illi qui in veris absque bono sunt; et vera absque bono, sunt vera falsificata, quae in se falsa sunt: "praeputiatus" significat illos qui in spurcis amoribus corporeis sunt, nam praeputium illis amoribus correspondet; inde patet quid victoria Davidis super Goliathum repraesentabat. Ex his constare potest, unde est,

> Quod David a Chuschajo comparetur urso orbato in agro (2 *Sam*. xvii. 8).

[*d.*] Apud *Danielem*,

> Bestia altera ascendens e mari, "similis urso, et ad latus ejus erexit se, et tres costae in ore ejus inter dentes ejus; insuper.. dicentes ei, Surge, comede carnem multam" (vii. 5):

describitur per "quatuor bestias e mari ascendentes" status ecclesiae successivus usque ad devastationem, quae est finis ejus; et per "alteram hanc bestiam," quae "similis urso," significatur falsificatio veri Verbi, remanente usque ejus potentia in sensu litterae; cupiditas falsificandi bona ejus significatur per quod "ad latus unum erexerit se;" per "tres costas in ore inter dentes" significantur cognitiones veri ex Verbo in copia, quae per ratiocinia ex fallaciis pervertuntur; et per "comedere carnem multam" significatur destructio boni per falsa, tum appropriatio mali. Apud *Hoscheam*,

> "Factus sum illis sicut leo, sicut pardus super via observabo: occurram illis sicut ursus orbatus,....et comedam ibi sicut immanis leo, fera agri discindet eos" (xiii. 7, 8):

quid significat, "Factus sum illis sicut leo, sicut pardus super via observabo," in mox praecedente articulo explicatum est: per "occurrere illi sicut ursus orbatus" significatur falsificatio sensus litterae Verbi; per "comedere sicut immanis leo" significatur destructio et devastatio omnis veri Verbi et inde ecclesiae; "fera agri discindet eos" significat quod perituri per falsa ex malo. In *Threnis*,

> "Etiamsi clamo et vociferor, obstruit preces meas: circumsepsit vias.. lapide exciso, semitas meas evertit; ursus insidians..mihi, leo in latibulis vias meas pervertit,...posuit Me desolatum" (iii. 8–11):

lamentatio a Deo de desolatione veri in ecclesia, et quod non audiri possint propter falsa, significatur per "Etiamsi clamo et vociferor, obstruit preces meas:" quod falsa ex propria intelligentia influxum veri avertant et rejiciant, significatur per "Circumsepsit vias lapide exciso, semitas meas avertit;" per "vias" et "semitas" Dei significantur vera ducentia ad bonum, et per "lapidem excisum" significantur illa quae propriae intelligentiae sunt; quia haec per "lapidem excisum" significantur, ideo prohibitum fuit construere altare ex lapidibus excisis, similiter templum Hierosolymae: "ursus insidians Mihi" significat quod naturalis homo perverterit sensum litterae Verbi; "leo in latibulis" significat quod interior naturalis homo, ex malis in eo, pervertat omnem sensum veri Verbi et inde ecclesiae, unde falsa: "vias meas pervertit, posuit Me desolatum," signifi-

cat devastationem veri ecclesiae. Apud *Amosum*,

> "Vae desiderantibus diem Jehovae; quid vobis dies Jehovae? ille tenebrarum et non lucis; sicut qui fugit leonem incidat in ursum, aut venit domum, [et] nitatur manu sua super parietem, et mordeat anguis" (v. 18, 19):

per "diem Jehovae" intelligitur adventus Domini, qui est Messias, quem exspectaverunt; et quia crediderunt quod Ille liberaturus esset eos ab hostibus terrae, et evecturus eos in gloriam super omnes gentes, ideo desideraverunt Ipsum: sed quia Dominus non propter aliquod regnum in terra, sed propter regnum in caelo, in mundum venit, et quia Judaica gens in falsis mali fuit, et ea tunc manifestarentur, dicitur, "Vae desiderantibus diem Jehovae; quid vobis dies Jehovae? ille tenebrarum [et] non lucis;" "tenebrae et non lux" sunt falsa in quibus fuerunt: "sicut qui fugit leonem incidat in ursum" significat timorem prae dominio falsi, quaerendo vera ex sensu litterae Verbi, quae non possunt non falsificari; is enim dicitur "fugere leonem, et incidere in ursum," qui interius in falso ex malo est, et fertur ad cognoscendum vera ex sensu litterae Verbi, quem tunc ex interiori dominio falsi ex malo non potest non pervertere; "venit domum, et nitatur manu super parietem, et mordeat eum anguis," significat dum talis consulit Verbum in sensu litterae quaerendo bona, non videat quod mala pervertant illum; "morsus anguis" significat falsificationem, hic ex dominio interiori falsi ex malo. Apud *Esaiam*,

> "Commorabitur lupus cum agno, et pardus cum haedo, cubabit vitulus, et leo juvenis et saginatum una, et puer parvus ducet eos; et juvenca et ursus pascent, et una cubabunt fetus eorum, leo sicut bos comedet stramen" (xi. [1]6, 7):

quid significat quod "lupus cum haedo commorabitur, et vitulus, leo juvenis et saginatum una cubabunt, et puer parvus ducet eos," in praecedente articulo explicatum est: quod "juvenca et ursus pascent, et una cubabunt fetus eorum," significat potentiam et cupidinem naturalis hominis falsificandi vera Verbi, et quod illae non nociturae sint bono naturalis hominis et ejus affectioni; "juvenca" est affectio boni et veri naturalis hominis, et "ursus" est potentia et cupido naturalis hominis falsificandi vera sensus litterae Verbi: "leo sicut bos comedet stramen" significat quod infernale falsum ardens destruere vera

ecclesiae non nociturum sit affectioni boni naturalis hominis, tam apud hominem in se, quam apud homines inter se, et quod nec nociturum sit Verbo; per "stramen" significatur Verbum in littera quod per falsum infernale pervertitur, sed non perverti potest ab illis qui in veris ex bono sunt. Apud eundem,

> "Palpamus sicut caeci parietem, et sicut non oculi palpitamus; offendimus in meridie sicut in crepusculo, inter vivos sicut mortui; fremimus sicut ursi..., et sicut columbae gemendo gemimus; exspectamus judicium, sed non; salutem, procul a nobis; nam multiplicatae sunt praevaricationes nostrae coram Te, et peccata nostra respondent contra nos" (lix. 10–12):

"Palpamus sicut caeci parietem, et sicut non oculi palpitamus," significat non aliquem intellectum veri; "offendimus in meridie sicut in crepusculo" significat lapsum in errores, tametsi in ecclesia sunt ubi est Verbum, ex quo in lucem veri veniri posset; "inter vivos sicut mortui" significat quod possent in vita spirituali per Verbum esse, et tamen non sunt quia in falsis; "fremimus sicut ursi, et sicut columbae gemendo gemimus," significat dolorem naturalis hominis, et dolorem spiritualis hominis inde; "exspectamus judicium, sed non; salutem, procul a nobis," significat spem illustrationis intellectus et inde salvationis, sed in vanum; "multiplicatae sunt praevaricationes [1]coram Te, et peccata nostra respondent contra nos," significat propter falsa ex malo. Ex his nunc constare potest quod per "ursum" significetur naturalis homo quoad potentiam ex sensu litterae Verbi, in utroque sensu, tum quoad cupidinem falsificandi illum sensum: quod haec per "ursum" significentur, patuit etiam mihi ex visis ursis in spirituali mundo, in quorum forma repraesentatae sunt cogitationes illorum qui naturales fuerunt, et Verbo studuerunt, dum per scientiam inde voluerunt praevalere: etiam visi sunt ursi qui inter dentes ferebant costas, sicut describitur ursus in loco supracitato apud *Danielem;* et datum est intelligere quod per "costas" repraesentarentur cognitiones quas in mundo hauserunt ex Verbo. Apparent etiam ibi ursi albi, per quos repraesentabatur potentia spiritualis naturalis hominis per Verbum. Praeterea apparent ibi bestiae compositae ex ursis, pantheris, lupis, bovibus, et quoque eaedem alis praeditae, quae omnia significativa talium sunt, cum in meditatione vadunt.

782. *"Et os ejus sicut os leonis."*—Quod significat *ratiocinationes ex falsis destruentibus vera ecclesiae*, constat ex significatione "oris," quod sit cogitatio (de qua supra, n. 580), hic autem ratiocinatio (de qua sequitur); et ex significatione "leonis," quod sit falsum infernale quoad potentiam (de qua etiam supra, n. 278[c]): causa est, quia per "leonem" significatur Divinum Verum; quare etiam Dominus in Verbo vocatur Leo; inde in opposito sensu per "leonem" significatur falsum infernale quoad potentiam destruendi Divinum Verum, ita Verbum, quod fit imprimis per adulterationes et falsificationes ejus; et quia leo est animal prae reliquis potens, et potentia ejus crescit secundum famem comedendi, ita rapiendi et dilaniandi, ideo per "leonem" etiam significatur cupiditas destruendi vera Verbi. Similia etiam per leones repraesentantur in mundo spirituali; apparent enim ibi etiam leones, sed formae leonum ibi sunt apparentiae oriundae ex illorum cupiditate qui potenter possunt adulterare et falsificare vera Verbi, per quae destruuntur, quibus potentia accedit secundum facultatem ratiocinandi; ex eo est, quod per "leones" in Verbo, in sensu opposito, significetur falsum infernale destruens vera ecclesiae. Quia illa per "leonem" significantur, et per "bestiam quae similis pardo, et cui pedes sicut ursi," significantur ratiocinia confirmantia separationem fidei a vita, per quae adulterantur et falsificantur bona et vera Verbi, ideo per "os" illius bestiae, quod "sicut os leonis," significatur ratiocinatio ex falsis destruentibus vera Verbi. Per "os" in proprio sensu significatur cogitatio; at quia inde est loquela homini, per "os" significantur plura quae ex cogitatione fluunt, sicut instructio, praedicatio, ratiocinatio; hic ratiocinatio, ex causa quia ratiocinia ex naturali homine per "bestiam," de qua hic agitur, significantur. Sed plura de hac re infra in explicatione vers. 5–7, hujus capitis dicentur, ubi haec verba sunt, "Datum est ei os loquens magna et blasphemias; et data est ei potestas bellum faciendi menses quadraginta duos: et aperuit os suum in blasphemiam adversus Deum, blasphemare nomen Ipsius [et] Tabernaculum Ipsius, et eos in caelo habitantes: et datum ei bellum facere cum sanctis, et vincere illos;" ex quibus constabit qualis illis potentia est, et qualis illis cupiditas, et quoque copia per ratiocinia falsificandi vera et adulterandi bona Verbi.

783. ***"Et dedit illi draco potentiam suam, et thronum suum, et potestatem magnam."***—Quod significet *quod illi qui fidem a vita separant, per ratiocinationes ex fallaciis firment doctrinalia sua, et illa corroborent, et sic potenter seducant,* constat ex significatione "bestiae," cui draco dedit suas vires, quod sint ratiocinia ex naturali homine confirmantia separationem fidei a vita (de qua supra, n. 774); quod ratiocinia illa sint ex fallaciis sensuum, est quia bestia illa visa est similis pardo, et pedes ejus sicut ursi, et per "pedes ursi" significantur fallaciae (de quibus etiam supra, n. 781 [a,b]); et ex significatione "dare potentiam, thronum suum, et potestatem magnam," quod sit firmare doctrinalia ac ita illa corroborare; "potentia" significat valorem, "thronus" significat ecclesiam quoad doctrinam, quae ex falsis, "et potestas magna" significat firmationem et corroborationem inde; quod haec accedant ratiociniis et eorum fallaciis, supra ostensum est. Quod [1]illis qui separant fidem a vita, hoc est, a bonis operibus, potentia, thronus et potestas sit, non est quia falsa, in quibus sunt, [2]aliquid potentiae in se habent, nam falsis ex malo prorsus nulla potentia est, quia omnis potentia est veris ex bono; sed falsa in falsa potentiam habent, quia similia in similia: hoc manifeste constare potest spirituum infernalium inter se, exercent enim illam per imaginativa et correspondentiarum simulacra, ex quibus volunt videri potentissimi et validissimi: sed usque illis prorsus nulla potentia est contra vera, et tam nulla, ut sit nihil; quod ex multa experientia confirmare potuissem, si locus exspatiandi usque illuc in explicationibus his super *Apocalypsin* daretur: hoc solum constare potest ex eo, quod inferna, in quibus myriades myriadum sunt, per Divinum Verum procedens a Domino teneantur vincta, ut nullus ex illis hiscat elevare digitum manus: tum etiam ex eo, quod millenae cohortes malorum spiritum possint ab uno angelo per vera a Domino duci, coerci, vinci, dispergi, et hoc modo per visum ex voluntatis intentione: talis potestas etiam mihi aliquoties a Domino data est. Quod ecclesia in fine ejus sit in falsis et inde malis, ac in malis et inde falsis, et tamen veris ex bono est omnis potestas, quae videntur ex Domino per vera ex Verbo posse dari, potest mirum apparere: sed causa est, quia falsa potestatem habent in illos qui in falsis ex malo sunt, et in fine ecclesiae regnant

ea falsa, et quando ea regnant non recipiuntur vera; idcirco falsa per vera non possunt discuti; inde est quod diabolus dicatur tunc "potens," et "vinculis solutus." Inde est quod falsum infernale in Verbo dicatur "leo," "ursus," "lupus," ac "bestia" et "fera" valida et rapax. Ex eo etiam est quod illi qui in falsis sunt, in Verbo dicantur "potentes," "validi," "robusti," "fortes," "heroes," "dynastae," "terribiles," "formidabiles," et "vastatores," ut constare potest ex pluribus locis ibi, ut ex his:—Apud *Jeremiam*,

> "Ecce adducens super vos gentem e longinquo, domus Israelis,...gens valida,....omnes fortes" (v. 15, 16);

apud eundem,

> "Ascendite equi,..insanite currus,..exite fortes" (xlvi. 9);

apud eundem,

> "Gladie contra fortes, ut [1]consternentur" (l. 36);

apud *Ezechielem*,

> "Dabo" Pharaonem "in manum fortis gentium" ([2]xxxi. 11, 12);

apud *Hoscheam*,

> "Confisus es viae tuae, multitudini fortium [tuorum]" (x. 13);

apud *Joelem*,

> "Populus magnus et validus,....sicut heroes currunt,...transcendunt murum" (ii. 2, 7);

apud *Amos*,

> "Perit refugium veloci, et fortis non confirmabit robur suum, nec potens eripiet animam,....fortis corde suo inter heroes fugiet nudus die illo" (ii. 14, 16);

apud *Davidem*,

> "Increpa feram arundinis, congregationem fortium" (Ps. lxviii. 31 [*B. A.* 30, *in margine*]):

in *Libro Primo Samuelis*,

> "Arcus fortium fracti sunt" (ii. 4);

in *Apocalypsi*,

> Omnes "reges..,..magnates,..divites,..chiliarchi, et potentes,....absconderunt se in speluncis, et in petris" (vi. 15);

apud *Matthaeum*,

> "Principes gentium dominantur.., et magnates potestatem habent" (xx. 25);

apud *Lucam*,

"Haec vestra est hora, et potestas tenebrarum" (xxii. 53);

et alibi pluries. Supradictis addendum est quod spiritus infernales se credant validos et potentes prae reliquis, sed hoc ex causa quia valent contra illos qui in malis et inde falsis sunt, ita infernalis spiritus contra infernalem spiritum, seu malum per falsum contra malum per falsum; ex illa apparentia est, quod credant se potentes: sed potentia illa comparari potest myricae contra myricam, pulici contra pulicem, pulveri contra pulverem, et paleae contra paleam, quorum potentia est relativa ad eorum mutuas vires. Accedit quod spiritus infernales animo elati sint, et ex levissima causa velint robusti, fortes et heroes audiri. Quia hic agitur de potentia et de potestate magna quam draco ex se dedit bestiae ex mari ascendenti, et inde de potentia spirituum infernalium inter se, velim aliqua arcana de artibus illorum comparandi sibi potentias in mundo spirituali detegere. Quidam comparant sibi potentiam per Verbum; norunt enim aliqua loca inde, et illa pronuntiant, ex quibus fit illis communicatio cum simplicibus bonis, et inde cum illis conjunctio quoad externa; et quantum in illa conjunctione sunt, tantum valent super alios: causa est, quia omnia Verbi sunt vera, et veris est omnis potentia, et simplices boni in veris sunt; unde ex conjunctione cum illis est potentia, sed quamdiu in conjunctione illa sunt, quae tamen non diu perstat, quia a Domino brevi post ab invicem separantur. Quidam comparant sibi potentiam per simulatas affectiones boni et veri, perque affectiones quae sunt amoris sinceri et justi per quas etiam simplices bonos ad bene sentiendum de illis, et ad bene volendum illis, attrahunt et adjungunt; et quamdiu benevolentia illa intercedit sicut mutua, tamdiu potentes sunt prae reliquis. Quidam comparant sibi potentiam per repraesentativa varii generis, quae sunt abusus correspondentiarum; quidam aliter: et quia veris quae a bono est omnis potentia, et illa apud angelos resident, inde malis spiritibus nihil optatius est quam attrahere bonos spiritus in suas partes, quia mali sic valent; at vero ut primum ab illis separantur, sunt in falsis sui mali; et cum in his sunt, tunc orbati sunt omni potentia. Haec etiam causa

est quod omnes mali, qui e mundo alluunt, primum separentur a bonis et veris, quae solum memoria sciverunt, et inde ore tulerunt; et quando ab his separati sunt, apparent interiora eorum, quae non nisi quam ex congeriebus falsorum ex malis consistunt; et cum in his sunt, tunc quia illis non amplius aliqua potentia est, decidunt prone in infernum, sicut pondera in aere in terram. Quod malis bona et vera auferantur, notum est ex Verbo; dicit enim Dominus,

"Tollite..ab eo talentum, et date habenti decem talenta; habenti namque omni dabitur, ut abundet; ab eo autem qui non habet, etiam quod habet [1]auferetur: servum autem inutilem ejicite in tenebras exteriores; ibi erit planctus et stridor dentium" (*Matth.* xxv. 28-30: *Marc.* iv. 25: *Luc.* viii. 18; cap. xix. 26).

VERSUS 3.

784. ***"Et vidi unum capitum ejus sicut sauciatum in mortem, et plaga mortis ejus sanata est; et admirata est tota terra post bestiam."***

3. ***"Et vidi unum capitum ejus sicut sauciatum in mortem,"*** significat *discordantiam doctrinalium eorum cum Verbo, ubi "amor," "vita" et "opera" toties dicuntur, quae cum illo religioso prorsus non concordant* [n. 785]; ***"et plaga mortis ejus sanata est,"*** significat *discordantiam apparenter summotam per inventas conjunctiones operum cum fide* [n. 786]; ***"et admirata est tota terra post bestiam,"*** significat *acceptationem ab eruditioribus in ecclesia, et receptionem e longinquo a minus eruditis* [n. 787].

785[a]. [*Vers.* 3.] ***"Et vidi unum capitum ejus sicut sauciatum in mortem."***—Quod significet *discordantiam doctrinalium eorum cum Verbo, ubi "amor," "vita" et "opera" toties dicuntur, quae cum illo religioso prorsus non concordant,* constat ex significatione "capitum" illius bestiae, quod sit scientia sanctorum Verbi, quae falsificantur et adulterantur (de qua supra, n. 775): per "caput" in Verbo, ubi agitur de ecclesia et de illis qui ab ecclesia sunt, significatur intelligentia et sapientia, et in sensu universali intellectus veri et voluntas boni; at quia hic agitur de illis qui non volunt ut intellectus intret in mysteria fidei, sed quod ille captivandus sit sub obedientia illorum mysteriorum, et illi sunt qui per "draconem" et hanc ejus "bestiam" describuntur, sequitur quod per "caput" hujus bestiae significetur scientia; nam ubi intellectus non videt, ibi non est intelligentia, sed loco ejus scientia; et praeterea de illis qui in falsis sunt, non praedicari potest intelligentia, sed scientia (de qua re videatur

Doctrina Novae Hierosolymae, n. 33): et ex significatione "sauciatum esse in mortem" quod sit discordare cum Verbo; nam doctrina quae cum Verbo discordat mortua est, et hoc mortuum est quod significatur per "sauciatum in mortem." Id quod discordat, est quod separent vitam amoris, quae sunt bona opera, a fide, et hanc faciunt solam justificantem et salvantem, ac vitae amoris seu bonis operibus omne justificationis et salutis auferunt; et quia in Verbo mille in locis dicitur "amare" et "facere," et quod homo secundum "facta" et "opera" judicandus sit, et haec cum religioso illo non concordant, ideo haec sunt quae significantur per "plagam capitis hujus bestiae in mortem:" ex his itaque constare potest quod per "Vidi unum capitum bestiae sicut sauciatum in mortem" significetur discordantia cum Verbo, ubi "amor," "vita" et "opera" toties dicuntur, quae cum illo religioso prorsus non concordant. Quod non concordent, patet manifeste ex eo, quod dogma istius religiosi sit, quod sola fides absque operibus legis justificet et salvet, immo quod si in operibus aliquid salutis ponitur sit damnosum, propter meritum et propter proprium hominis in illis; quare etiam plures abstinent ab illis faciendis, dicendo corde, "Bona opera me non salvant, et mala me non damnant, quia fidem habeo:" ex quo principio etiam declarantur illi salvati qui circa mortis horam ex quadam confidentia enuntiant se fidem habere, utcunque eorum vita fuerat. Sed quia in Verbo mille in locis dicuntur "facta" et "opera," tum "facere" et "amare," et illa discordant cum religioso illo, ideo dogmatici ejus invenerunt modos conjungendi illa cum fide: haec itaque sunt quae significantur per quod "viderit unum capitum bestiae quasi sauciatum in mortem," et quod "plaga mortis ejus sanata sit," et quod "admirata sit tota terra post bestiam;" sed quomodo plaga illa sanata est, nempe per inventos conjunctionis modos, dicetur in sequente articulo. Hic primum ex Verbo adducentur loca ubi "facta," "opera," "facere" et "operari" dicuntur, ut quisque possit videre discordantiam quae hic significatur per "unum capitum sauciatum ad mortem," tum quod plaga illa prorsus incurabilis sit, nisi homo vivat secundum praecepta in Verbo faciendo illa:—Apud *Matthaeum*,

"Qui audit verba mea..et facit illa," similis est "viro prudenti;....qui vero audit verba mea et non facit illa," similis est "viro stulto" (vii. 24, 26);

apud *Lucam*,

"Quid,..Me vocatis Domine, Domine, et non facitis quae dico? Omnis qui venit ad Me, et audit sermones meos, et facit eos,....similis est homini aedificanti domum....super petra:....qui vero audit et non facit, similis est homini aedificanti domum super humo sine fundamento" (vi. 46-49);

apud *Matthaeum*,

"Ille qui in terram bonam seminatus est, hic est qui Verbum audit et attendit, et qui inde fructum fert et facit, alius centuplum, alius sexagecuplum, alius trigecuplum" (xiii. 23);

apud eundem,

"Quisquis solverit..praeceptorum horum minimum, et docuerit ita homines, minimus vocabitur in regno caelorum; qui vero facit et docet, hic magnus vocabitur in regno caelorum" (v. 19);

apud *Johannem*,

"Amici mei estis si feceritis quaecunque mando vobis" (xv. 14);

apud eundem,

"Si haec scitis, beati estis si feceritis illa" (xiii. 17);

apud eundem,

"Si amatis Me, mandata mea servate:....qui habet praecepta mea, et facit illa, ille est qui amat Me,....et Ego amabo illum, et manifestabo illi Me Ipsum, et ad illum [1]veniam, et mansionem apud illum [2]faciam; qui vero non amat Me, verba mea non servat" (xiv. 15, 21-24);

apud *Lucam*,

Jesus dixit, "Mater mea et fratres mei hi sunt, qui audiunt Verbum [3]meum et faciunt illud" (viii. 21);

apud *Matthaeum*,

"Esurivi et dedistis Mihi edere, sitivi et potastis Me, peregrinus fui et collegistis Me, nudus fui et induistis Me, aegrotus fui et visitastis Me, in custodia fui et venistis ad Me:" quibus Dominus dixit, "Venite, benedicti,...tanquam hereditatem possidete regnum paratum vobis a fundatione mundi:" et dixit illis qui non fecerunt, "Discedite a Me, maledicti, in ignem aeternum paratum diabolo et angelis ejus" (xxv. 31 ad fin.);

apud *Johannem*,

"Pater meus Vinitor.., omnem palmitem non ferentem fructum, tollit eum" (xv. 1, 2);

apud *Lucam*,

"Facite..fructus dignos paenitentia; omnis arbor non faciens fructum bonum, exscindetur et in ignem conjicietur;..ex fructibus cognoscitis eos" (iii. 8, 9[; ac *Matth.* vii. 19, 20]);

apud *Johannem*,

"In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum multum feratis, et reddamini discipuli mei" (xv. 7, 8);

apud *Matthaeum*,

"Auferetur" iis "regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus" (xxi. 40-43);

apud *Johannem*,

"Qui..facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo facta sunt" (iii. 21);

apud eundem,

"Scimus quod peccatores Deus non audiat, sed si quis Deum colit, et voluntatem Ipsius facit, hunc audiat" (ix. 31);

apud *Matthaeum*,

"Venturus..est Filius hominis in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum facta ejus" (xvi. [1]27);

apud *Johannem*,

"Exibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii" (v. 29);

in *Apocalypsi*,

"Daturus sum vobis, unicuique secundum opera ejus;....qui vicerit et servaverit usque ad finem opera mea" (ii. 23, 26);
"Opera illorum sequentur illos" (xiv. 13);
"Judicati sunt mortui juxta ea quae scripta sunt in libris, secundum opera eorum;"....et mortui "judicati sunt omnes secundum opera illorum" ([2]xx. 12, 13);
"Ecce venio cito, et merces mea Mecum, ut dem unicuique secundum opus ejus" (xxii. 12);
"Beati qui faciunt mandata Ipsius" (xxii. 14);
Dixit angelo Ephesinae Ecclesiae, "Habeo contra te, quod charitatem priorem reliqueris; recordare..unde excideris,...ac priora opera fac; sin vero...." etc. (ii. 4, 5);
Dictum est angelo Ecclesiae Smyrnaeorum, "Novi opera tua;" angelo Ecclesiae in Pergamo, "Novi opera tua;" angelo Ecclesiae in Thyatiris, "Novi opera tua;" angelo Ecclesiae in Sardibus, "Novi opera tua;" et angelo Ecclesiae in Philadelphia, "Novi opera tua" (*Apoc.* ii. 9, [3]13, 19; cap. iii. 1, 8):

septem illae ecclesiae, quales sunt et quales erunt, in binis illis capitibus ex operibus et secundum opera illarum explorantur et judicantur.

[*b.*] Docet etiam Dominus bona opera, tum qualia erunt, et quod inde beatitudo caelestis, apud *Matthaeum*, in capitibus quinto, sexto, et septimo, a principio ad finem eorum: tum in Parabolis de Operariis in Vinea, de Colonis et Servis ibi, de Negotiatoribus, quibus datae sunt Minae, et quibus

data sunt Talenta: de Ficu in Vinea, quae exscinderetur si non fructum ferret: de Vulnerato a Latronibus, cui Samarita misericordiam fecit, de quo Dominus interrogavit legisperitum quis illorum trium esset proximus, qui dixit, "Qui misericordiam praestitit," cui Jesus dixit, "Abi tu et fac similiter:" de decem Virginibus, quarum quinque habebant oleum in lampadibus, et quinque non; "oleum in lampadibus" significat charitatem in fide: praeter in aliis. Duodecim etiam discipuli Domini repraesentaverunt ecclesiam quoad omnia fidei et charitatis in complexu: et ex illis Petrus, Jacobus et Johannes repraesentaverunt fidem, charitatem, et bona opera, in suo ordine; Petrus fidem, Jacobus charitatem, et Johannes bona opera: inde quod Dominus dixerit ad Petrum, cum Petrus videret Johannem sequi Dominum,

> "Quid ad te," Petre? "Tu sequere Me," Johannes, (Petrus enim dixit de Johanne, "Quid hic?") (*Joh.* xxi. 21, 22,)

significabat, quod sequerentur Dominum, qui bona opera faciunt. Quia Johannes ecclesiam quoad bona opera repraesentavit, ideo ille accubuit ad pectus Domini. Quod ecclesia sit apud illos qui bona opera faciunt, etiam significatur per verba Domini e cruce ad Johannem,

> Jesus vidit matrem suam, et dixit ad discipulum quem amabat, qui adstabat; et dixit matri suae, "Mulier ecce filius tuus; et dixit discipulo illi, Ecce mater tua; et ex illa hora accepit illam discipulus ille ad se" (*Joh.* xix. 26, 27);

per quae significabatur quod ecclesia erit ubi bona opera; per "mulierem" enim, similiter per "matrem," in Verbo significatur ecclesia. Haec e Novo Testamento: sunt adhuc plura in Veteri, ubi

> Benedicuntur omnes qui statuta, judicia et praecepta custodiunt et faciunt, et maledicuntur qui illa non faciunt (ut *Levit.* xviii. 5; cap. xix. 37; cap. xx. 8; cap. xxii. 31–33; cap. xxvi. [3,] 4, 14, 15: *Num.* xv. 39, 40: *Deutr.* v. 9, 10; cap. vi. 25; cap. xv. [1]5; cap. xvii. 19; cap. xxvii. 26: et in mille aliis locis).

Praeter illa loca in Verbo ubi "facta" et "facere" dicuntur, etiam sunt perplura ubi "amor" et "amare" dicitur; et per "amare" intelligitur simile quod per "facere," nam qui amat is facit; amare enim est velle, nam quisque vult quod interius amat; et velle est facere, quisque enim facit quod vult, quando potest; factum etiam non est nisi quam

voluntas in actu. De amore docet Dominus multis in locis

(Ut *Matth.* v. 43–48; cap. vii. 12: *Luc.* vi. 27–39, 43 ad fin.; cap. vii. 36 ad fin.: *Joh.* xiii. 34, 35; cap. xiv. 14–23; cap. xv. 9–19; cap. xvii. 22–26; cap. xxi. 15–23);

et in summa his verbis,

"Amabis Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et ex tota anima tua; ....hoc est primum et magnum mandatum: [secundum]..simile est illi, Amabis proximum tuum sicut te ipsum: ex his duobus mandatis..Lex et Prophetae pendent" (*Matth.* xxii. 35–38[, 40]; *Luc.* x. 27, 28; *Deutr.* vi. 5):

"amare Deum super omnia, et proximum sicut se ipsum," est facere praecepta Ipsius (*Joh.* xiv. 21–24); ac "Lex et Prophetae" significant Verbum in omnibus et singulis. Ex his et illis locis e Verbo allatis, plene constare potest quod non fides separata a bonis operibus salvet, sed quod fides ex illis et cum illis; nam qui bona facit, is fidem habet; qui autem non bona facit, is fidem non habet.

786. ***"Et plaga mortis ejus sanata est."***—Quod significet *discordantiam apparenter summotam per inventas conjunctiones operum cum fide*, constat ex significatione "plagae mortis," quod sit discordantia cum Verbo, simile enim per "plagam mortis" hic significatur, quod mox supra per "caput sauciatum in mortem:" (quod "plagae" in Verbo significent talia quae destruunt ecclesiam et vitam spiritualem hominis, videatur supra (n. 584); et quia doctrina ex Verbo facit ecclesiam, ideo cum doctrina discordat cum Verbo, non amplius est ecclesia, sed est religiosum quod mentitur ecclesiam:) et ex significatione "sanata esse," nempe plaga, quod sit quod discordantia illa apparenter summota sit per inventas conjunctiones operum cum fide; quod hoc significetur per "sanari," cum per "plagam mortis" significatur discordantia cum Verbo, absque ulteriore deductione constare potest; at quod usque plaga illa non sanata sit, sed modo apparentur summota, videbitur in sequentibus. Primum aliqua in medium afferentur de conjunctionibus bonorum operum cum fide, inventis ab illis qui crediderunt se acutiores et sagaciores reliquis esse, et simul tali dote ingenii praeditos ut per ratiocinia ex fallaciis possint inducere cuicunque falso apparentiam veri; sed ut ea indagentur, ad captum sistantur, et dein evolvantur, velim hic

conjunctiones bonorum operum cum fide, per quas apparet sicut discordantia cum Verbo summota esset, quasdam creditas a simplicibus, et quasdam inventas ab eruditis, tradere. (1.) Simplicissimi non sciunt aliter quam quod sola fides sit credere illa quae in Verbo sunt, et quae doctrina ecclesiae inde docet. (2.) Minus simplices non sciunt quid sola fides, sed quod fides sit credere quod faciendum sit; pauci ex illis distinguunt inter credere et facere. (3.) Alii vero autumant quod fides producat bona opera, sed non cogitant quomodo producit. (4.) Alii cogitant quod fides omnino praecedet, et quod bona ex illa producantur, aut existant sicut fructus ex arbore. (5.) Quidam credunt quod ita fiat per cooperationem ab homine, quidam quod absque ejus cooperatione. (6.) Sed quia doctrinale dictat quod sola fides absque bonis operibus salvet, ideo quidam bona opera nihili pendunt, dicentes corde quod omnia quae faciunt in conspectu Dei sint bona, et quod mala a Deo non videantur. (7.) At quia toties in Verbo dicuntur "facta" et "opera," tum "facere" et "operari," ex necessitate conciliandi Verbum cum illo dogmate, excogitant conjunctiones, sed diversimode, usque tamen tales, ut fides per se sit, et opera per se sint, ob causam ut in fide sit salvatio, et nihil in operibus. (8.) Quidam conjungunt fidem cum conatu faciendi bonum apud illos qui ad ultimum justificationis gradum pervenerunt, sed cum conatu qui nihil trahit ex voluntario hominis, sed solum ex influxu seu inspiratione, quia bonum ex voluntario hominis in se non bonum est. (9.) Quidam conjungunt fidem cum merito Domini, dicentes quod id operetur omnia vitae hominis, eo nesciente. (10.) Quidam conjungunt fidem cum bono morali et cum bono civili, quae bona facienda sunt propter vitam in mundo, et non propter vitam aeternam: et quod haec bona intelligantur per "facta" et "opera" ac per "facere" et "operari" in Verbo, et quod propter usus ibi bona opera docenda et praedicanda sint coram laicis, quia hi arcana conjunctionis fidei et operum non sciunt, et quidam non capiunt. (11.) Multi ex eruditis putant quod conjunctio omnium sit in sola fide; nempe, quod in illa sit amor in Deum, charitas erga proximum, sit bonum vitae, sint opera, sit meritum Domini, sit Deus; praeter quod homo ipse aliquid de illis ex se cogitet, velit et faciat.

(12.) Sciendum est quod plures adhuc conjunctionis modi inventi sint, et quod adhuc plures ab iisdem inveniantur in mundo spirituali, nam cogitatio spiritualis exspatiari potest in innumerabilia in quae cogitatio naturalis nequit. Vidi quendam ibi excogitavisse modos conjunctionis ultra centenos, et in singulis progressum fuisse meditatione a principio per media usque ad finem; sed cum in fine erat, et credidit quod nunc conjunctionem videret, illustratus est et animadvertit quod quo interius de ea re cogitavit, eo plus separaverit fidem a bonis operibus, quam illa conjùnxerit. Ex his constare potest quales sunt conjunctionis modi, quos praecipue eruditi invenerunt, ut discordantia dogmatis istius cum Verbo appareret sicut concordans, quod intelligitur per "plagam mortis bestiae sanatam."

787. ***"Et admirata est tota terra post bestiam."***—Quod significet ***acceptationem ab eruditioribus in ecclesia, et receptionem e longinquo a minus eruditis***, constat ex significatione "admirari post bestiam," cum de discordantia cum Verbo apparenter summota per inventas conjunctiones operum cum fide, quod sit acceptatio ab eruditioribus, et receptio a minus eruditis (de qua sequitur); et ex significatione "terrae," quod sit ecclesia (de qua supra, n. 29, 304, 417[a], 697, 741, 742, 752). Quod "admirata sit tota terra post bestiam" significet acceptationem et receptionem, est quia admiratio trahit, et illi, quos trahit, sequuntur. In Verbo aliquibus in locis dicitur "ire" et "ambulare" post Deum, post deos alios, post ducem, et post multos, et per id significatur sequi et corde agnoscere, tum esse et vivere cum illis, ac consociari, ut in sequentibus locis:—In *Libro* [1]*Primo Regum*,

> "David servavit praecepta mea, et ambulavit post Me toto corde,..ad faciendum..rectum in oculis meis" (xiv. 8);

in *Libro Primo Samuelis*,

> "Ibant filii...Jischaji post Saulem in bellum" (xvii. 13);

apud *Mosen*,

> 'Non eris post multos ad mala: non respondebis super lite post multos ad pervertendum" (*Exod.* xxiii. 2);

apud *Jeremiam*,

> Non ibis "post deos alios quos non novisti" (vii. 9);

apud eundem,

> "Illi iverunt post deos alios ad serviendum illis" (xi. 10; *Deutr.* viii. 19);

apud *Mosen*,

> "Virum, qui iverit post Baalpeorem, perdet Jehovah Deus tuus e medio tui" (*Deutr.* iv. 3):

inde patet quod "ire post" aliquem significet sequi illum, obedire illi, facere ex illo, ac vivere ex illo; etiam "[1]ambulare" significat vivere: ex his constare potest quod per "admirari post bestiam" significetur acceptatio et receptio ex persuasione quod discordantia cum Verbo apparenter submota sit. Quod significetur acceptatio ab eruditioribus et receptio e longinquo a minus eruditis, est quia eruditi conjunctiones fidei cum vita ejus, quae sunt bona opera, invenerunt, at minus eruditi, quia discordantias non potuerunt interius rimari, quisque secundum suum captum receperunt; inde id dogma, quod sola fides sit essentiale medium salutis, in universa terra seu Ecclesia Christiana receptum est. Paucis etiam dicetur quomodo caput illius religionis, quod in sola fide sit salvatio, et non in bonis operibus, ad apparentiam submotum sit, et inde ab eruditis acceptatum. Hi enim invenerunt gradus progressionis fidei ad bona opera, quos vocant gradus justificationis: *primum* gradum faciunt auditionem a magistris et a praedicatoribus: *alterum* gradum faciunt informationem ex Verbo quod ita sit: *tertium* gradum faciunt agnitionem; et quia non aliquid ecclesiae corde agnosci potest, nisi praecedat tentatio, ideo huic gradui illam adjungunt; et si dubia, quae tunc obversantur, ex Verbo aut praedicatore discutiuntur, et sic homo vincit, dicunt quod homini sit fiducia, quae est certitudo quod ita sit, et quoque confidentia quod per meritum Domini salventur; sed quia dubia, quae in tentatione obveniunt, praecipue sunt ex non intellecto Verbo, ubi toties "facta," "opera," "facere" et "operari" dicuntur, dicunt quod intellectus sub obedientia fidei refrenandus sit: inde sequitur *quartus* gradus, qui est conatus faciendi bonum; in quo subsistunt, dicentes quod homo cum ad hunc gradum pervenit, justificatus sit, et quod tunc omnia acta vitae ejus Deo accepta sint, et quod mala vitae a Deo non videantur, quia condonantur. Haec conjunctio fidei cum bonis operibus inventa est ab eruditis, et quoque acceptata

ab illis; sed illa conjunctio raro emanat in vulgus, tam quia quorundam captum transcendit, quam quia plerique in suis negotiis et functionibus sunt, quae animum ab interioribus arcanis hujus doctrinae intelligendis avertunt. Conjunctio autem fidei cum bonis operibus, et per illam apparens concordantia cum Verbo, aliter a minus eruditis recipitur; hi nihil sciunt de gradibus justificationis, sed credunt quod sola fides sit unicum medium salutis; et cum vident ex Verbo et audiunt ex praedicatore quod bona facienda sint, et quod homo secundum opera sua judicandus sit, cogitant quod fides producat bona opera; non enim aliter sciunt quam quod scire illa quae praedicator docet, et inde cogitare quod ita sit, sit fides; et quia id praecedit, credunt quod fides producat bona opera, quae vocant fructus fidei; non scientes quod illa fides sit fides solius memoriae, quae in se spectata est fides historica, quia ex alio, ita alterius apud se, et quod talis fides nusquam possit aliquem bonum fructum producere. In hunc errorem lapsi sunt plerique in orbe Christiano, ex eo quod sola fides recepta sit pro principali, immo pro unico medio salutis. Sed quomodo fides et charitas, seu credere et facere, unum fiunt, in sequentibus dicetur.

VERSUS 4.

788. ***"Et adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiae, et adoraverunt bestiam, dicentes, Quis similis est bestiae? quis potest pugnare cum ea?"***

4. ***"Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiae,"*** significat *agnitionem salvationis et justificationis per solam fidem, firmatam et corroboratam per inventos illos conjunctionis modos, et inde receptam in doctrina* [n. 789]; ***"et adoraverunt bestiam,"*** significat *agnitionem ratiociniorum, per quae discordantia cum Verbo apparenter summota est* [n. 790]; ***"dicentes, Quis similis est bestiae?"*** significat *confessionem quod nihil verius* [n. 791]; ***"quis potest pugnare cum ea?"*** significat *quod nullatenus impugnari posset* [n. 792].

789. [*Vers.* 4.] ***"Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiae."***—Quod significat *agnitionem salvationis et justificationis per solam fidem firmatam et corroboratam per inventos illos conjunctionis modos, et inde receptam in doctrina,* constat ex significatione "adorare," quod sit agnoscere et colere sicut Divinum, et inde recipere in doctrina quae pro ecclesia; nam qui Divinum agnoscunt et ex agnitione colunt illud, illi adorant, et quoque recipiunt [in] doctrina

quae pro ecclesia: ex significatione "draconis," quod sint qui in fide separata a charitate sunt, doctrina et vita, ita qui agnoscunt salvationem et justificationem per solam fidem (de qua supra, n. 714): et ex significatione "potestatis bestiae ex dracone," quod sit firmatio et corroboratio illius dogmatis per inventas conjunctiones fidei cum operibus (de quibus supra, n. 786): inde constat quod per "Adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiae," significetur agnitio salvationis et justificationis per solam fidem, firmata et corroborata per inventos modos conjungendi illam cum bonis operibus, et inde receptio in doctrina. Dicitur quod dogma de salvatione et justificatione per solam fidem firmatum et corroboratum sit per inventos modos conjunctionis ejus cum bonis operibus; sed intelligitur quod illud dogma nullatenus per illos firmatum et corroboratum sit, nam id per "draconem" intelligitur, et confirmatio ejus per ratiocinia ex naturali homine per hanc "bestiam" traditur, et per "draconem" et ejus "bestiam" significatur tale quod cum Verbo discordat, et non conjungi potest. Ut pateat quod non conjungi possit, velim hic ostendere quod sola fides nusquam possit aliquod bonum producere, seu quod ex sola fide aliquis bonus fructus dari. Putatur quod fides sit credere quod Dominus passus sit crucem pro nostris peccatis, et per id redemerit nos ab inferno, et quod horum fides imprimis justificet et salvet; et praeter illa, quod fides sit credere quod Deus triunus sit, credere illa quae in Verbo sunt, credere vitam aeternam, et resurrectionem die ultimi judicii, et cetera quae ecclesia docet: et quoniam separant fidem a vita charitatis, quae est bona facere, putant plerique hodie quod scire illa, cogitare illa, et loqui illa, sit fides quae salvat, ideo nihil attendunt ad velle illa et facere illa; immo nec sciunt quid debent velle et facere: haec nec docet ecclesia, quia doctrina ecclesiae est doctrina solius fidei, et non doctrina vitae; doctrinam vitae vocant theologiam moralem, quam vilipendunt, quia virtutes vitae moralis, quae in se sunt bona opera, credunt nihil ad salutem conferre. Quod autem scire, cogitare et loqui illa quae supra dicta sunt, non sit fides; et si vocantur fides quod usque non producant bona, sicut arbor fructus, constare potest ex his. (1.) Homo omnia quae scit, cogitat et loquitur, quantum intelligit illa, vocat vera; et

omnia quae vult et facit, quantum amat illa, vocat bona: inde vera sunt fidei hominis, et [1]bona sunt amoris ejus. Ex eo patet quod vera quae sunt fidei distincta sint a bonis quae sunt amoris, sicut scire et cogitare a velle et facere. Quod distincta sint, et in quantum, homo nosse potest ex eo, quod homo possit multa scire, cogitare et loqui, immo intelligere, quae non vult et facit, quia non amat: at vice versa, quod quicquid homo vult et facit ex amore, hoc cogitet et loquatur ex fide, si non coram mundo, usque apud se cum solus est et sibi relictus. Ex his sequitur, (2.) Quod amor et voluntas hominis intrent in omnia fidei et cogitationis ejus, at quod fides et cogitatio non possint intrare in ejus amorem et voluntatem; homo enim quod amat, hoc quoque amat facere, amat scire, amat cogitare, amat loqui, et amat intelligere, ita quoque amat ejus fidem habere: similiter si loco amoris sumitur voluntas, homo quod vult, hoc quoque vult facere, vult scire, vult cogitare, vult loqui, vult intelligere, ita quoque vult ejus fidem habere. Causa quod simile dicatur de voluntate quod de amore, est quia amor est voluntatis, et voluntas est receptaculum amoris. Inde nunc sequitur quod amor producat fidem, sicut voluntas cogitationem. Quia fides sicut cogitatio producitur, et amor sicut voluntas producit, sequitur quod inversum sit dicere quod fides producat amorem. Ex his primum constare potest quod credere quod fides producat bona, quae vocantur bona opera, sicut arbor fructus, sit contra ordinem. (3.) Similia quae de fide et amore dicta sunt, etiam intelligenda sunt de vero et bono, nam verum est fidei et fides est veri, quod enim homo credit hoc verum vocat; ac bonum est amoris, et amor est boni, nam quod homo amat hoc bonum vocat. Verum in se spectatum non est nisi quam bonum in forma, bonum enim se quidem sistere potest sentiendum, sed non videndum nisi in aliqua forma; et forma in qua se sistit videndum in cogitatione, ita in intellectu et perceptione, vocatur verum. Ex his etiam sequitur quod amor producat fidem, sicut bonum producit verum; proinde quod non fides producat bonum amoris, sicut arbor fructum. (4.) Etiam scire et inde cogitare et loqui sunt ex memoria, at velle et facere ex amore sunt ex vita. Homo potest multa cogitare et loqui ex memoria, quae non sunt ex vita ejus, quae est amor;

hoc potest omnis hypocrita et assentator; at nihil potest cogitare et loqui, cum sibi relictus est, ex vita, quod non sit ex amore ejus; amor enim est vita cujusvis, et qualis amor talis vita. At memoria est modo promptuarium, ex quo vita desumit quod cogitet et loquatur, et quae inservit vitae ut inde nutriatur. Quare dicere quod fides producat bona sicut arbor fructus, est dicere quod cogitatio et loquela hominis producat vitam ejus, et non vita illam; cum tamen mali, immo pessimi, possunt cogitare et loqui vera ex memoria, sed non nisi quam boni ex vita. (5.) Quod sola fides, seu fides separata a bonis actu, quae sunt bona opera, non sit dabilis, constare potest ex fidei essentia, quae est charitas; et charitas est affectio faciendi illa quae fidei sunt; quare fides absque charitate est sicut cogitatio absque affectione, et cogitatio absque affectione est nulla cogitatio, ita fides absque charitate: quare dicere fidem absque charitate est dicere cogitationem absque affectione, tum vitam absque anima, existere absque esse, formam absque formante, productum absque producente, et effectum absque causa; quare fides sola est non ens; et ex non ente producere bona actu, quae sunt bona opera, sicut bona arbor fructus, est contradictio, ex qua id quod creditur esse aliquid non est aliquid. (6.) Quia fides absque charitate non datur, et usque cogitatio et persuasio quod ita sit, apparet sicut sit fides, et quoque vocatur fides; sed non est fides salvifica, verum est fides historica, quia ex alterius ore est; qui enim aliquid credit ex alio, quem putat fide dignum esse, ac id recipit, in memoria recondit, et inde id cogitat et loquitur, nec videt num falsum sit aut verum, is possidet id non aliter quam sicut historicum; si autem id confirmat apud se, per apparentias ex Verbo, et per ratiocinia, fit ei ex fide historica fides persuasiva, quae fides est similis visui noctuae, quae objecta in tenebris videt, et nulla in luce. Talis fides persuasiva existit ex omni confirmatione falsi: omne enim falsum potest confirmari usque ut appareat sicut verum, et falsum confirmatum lucet lumine fatuo. Ex his quoque patet quod talis fides nec producere possit bona. (7.) Quia fides cogitativa non aliud est quam fides historica aut persuasiva, sequitur quod sit fides mere naturalis: fides enim spiritualis producitur ex amore spirituali qui est charitas,

sicut lux ex sole; et non producit illum amorem, sicut non lux solem: quare fides mere naturalis producitur ex amore mere naturali, qui animam trahit ex amore sui, cujus amoris jucundum est jucundum carnis, quod vocatur volupe, cupidum [et] lascivum, ex quibus scaturiunt mala omnis generis, et ex malis falsa: inde constare potest quod fides ex illis procedens non bona possit producere, sicut arbor fructus bonos; et si aliqua producit, sunt bona ex proprio hominis, quae in se sunt mala, et simul bona meritoria, quae in se sunt iniqua. Aliter vero fides spiritualis, de qua in nunc sequente articulo.

790[*a*]. ***"Et adoraverunt bestiam."***—Quod significet ***agnitionem ratiociniorum, per quae discordantia cum Verbo apparenter submota est***, constat ex significatione "adorare," quod sit agnoscere pro certo et inde colere ut Divinum (ut mox supra, n. 789); et ex significatione "bestiae," quod sint ratiocinia ex naturali homine confirmantia separationem fidei a vita (de qua supra, n. [1]774): et quia bestia illa visa est habere septem capita, et decem cornua, et praeterea similis pardo quoad corpus, urso quoad pedes, et leoni quoad os, et per illa varia significantur, ideo illa quoque simul per "bestiam" hic intelliguntur, nam propter illa adoraverunt eam. Quoniam in mox superiori articulo actum est de eo, quod fides sola, seu separata a charitate, non possit producere bona vitae, sicut arbor fructus, interest ut nunc tradatur quomodo fides spiritualis, quae est fides ex charitate, comparatur. Sed quia orbis eruditus hactenus non scivit quid et quale est spirituale in sua essentia, et quomodo id distinctum est a naturali, ideo nec scire potuit quid fides spiritualis, et quomodo haec distincta est a fide naturali; et usque fides naturalis, absque fide spirituali ex qua, non est aliqua fides, sed modo scientia et inde cogitatio quod ita sit; quae si vocatur fides, est fides historica, et cum confirmata est, est fides persuasiva, et utraque haec fides est naturalis, et fides mere naturalis non salvat, sed fides spiritualis; quare in sequentibus nunc dicetur quomodo fides spiritualis a Domino formatur.

[*b*.] Notum est in mundo quod homo naturalis sit et homo spiritualis, tum quod homo naturalis sit mundanus, et homo spiritualis caelestis; at usque non notum est quid fides spiritualis, et quomodo haec differt a fide naturali.

Quare sciendum est, (1.) Quod unicuique homini binae mentes sint, una naturalis et altera spiritualis; et quia mens est quae vult et cogitat, est quoque unicuique homini voluntas et cogitatio naturalis, ac voluntas et cogitatio spiritualis; mens naturalis vult et cogitat sicut homo in mundo, at mens spiritualis vult et cogitat sicut angelus in caelo: inde sequitur quod fides, quia est in homine, sit etiam naturalis et sit spiritualis; et quod fides naturalis sit secundum hominis voluntatem et cogitationem in mundo, et quod fides spiritualis sit secundum voluntatem et cogitationem ejus in caelo. Dicitur voluntas et cogitatio, quia omnia, ex quibus homo est homo, se referunt ad duo illa; ex voluntate enim facit, et ex cogitatione loquitur: et quia homo vel ex se vel ex Deo facit et loquitur, ideo vel ex se vel ex Deo vult et cogitat. Ex his primum liquet quod detur fides naturalis et fides spiritualis, et quod fides naturalis absque spirituali sit cogitare talia quae in Verbo sunt ex se, et quod fides naturalis ex spirituali sit cogitare talia quae in Verbo sunt ex Deo, tametsi hoc quoque apparet homini sicut ex se. (2.) Quoniam unicuique homini sunt binae mentes, naturalis et spiritualis, et mens naturalis aperitur et formatur per talia quae in mundo sunt, at mens spiritualis aperitur et formatur per talia quae in caelo, et quia illa quae in caelo sunt omnia sunt spiritualia, ideo necessum est ut mens spiritualis hominis aperiatur et formetur per illa quae in Verbo sunt, ubi omnia sunt spiritualia, quia Divina. In Verbo sunt vera quae scienda et cogitanda, et sunt bona quae volenda et facienda; per haec itaque et illa aperitur et formatur mens spiritualis hominis: ex quibus sequitur quod mens illa nisi per vera et bona ex Verbo aperitur et formatur, permaneat clausa; et quod hac clausa, mens naturalis modo aperiatur et formetur per talia quae in mundo sunt, ex quibus homini quidem est lumen naturale, sed tale quod nihil sapit ex caelo. Ex his secundo liquet quod fides non sit fides quamdiu solum mens naturalis aperta est; sed si cogitatio quod ita sit dicitur fides, quod sit fides historica, quae non aliud est quam scientia, ex qua homo naturalis cogitat. (3.) Ut mens spiritualis aperiatur et formetur, necessum est ut ei promptuarium sit, ex quo desumat; nam nisi ei promptuarium sit, homo inanis est, et non datur ope-

ratio Divina in inane. Hoc promptuarium est in naturali homine, et ejus memoria, in qua omne scibile potest recondi, et inde depromi: in hoc promptuario pro formatione spiritualis hominis, erunt vera quae credenda, et bona quae facienda, utraque ex Verbo, exque doctrina et ex praedicatione ex Verbo; haec discet homo usque ab infantia. Sed omnia illa, in qualicunque copia sint, etsi ex Verbo, antequam mens spiritualis aperta est, sunt naturalia, nam modo scientia sunt. Cogitatio ex hoc promptuario est, quae vocatur fides ab illis qui separant fidem a bonis operibus doctrina et vita. (4.) Mens spiritualis primario aperitur per id, quod homo abstineat a malis faciendis quia sunt contra praecepta Divina in Verbo; si homo ex alio timore quam ex illo abstinet a malis, non aperitur illa mens. Quod mens spiritualis per illud aperiatur, sunt hae causae:—*Prima*, quod apud hominem mala primum removenda sint, antequam ei communicatio et conjunctio dari potest cum caelo; mala enim, quae omnia sunt in naturali homine, clausum tenent caelum, quod tamen aperiendum est, quia alioqui homo manet naturalis. *Secunda* causa est, quia Verbum est a Domino, et inde in Verbo Dominus, adeo ut Ipse sit Verbum; est enim Verbum Divinum Verum, quod omne est a Domino: inde sequitur, quod qui abstinet a malis faciendis, quia sunt contra Divina praecepta in Verbo, abstineat ab illis ex Domino. *Tertia* causa est, quod quantum removentur mala tantum intrent bona: quod ita sit, homo ex solo naturali lumine potest videre; remota enim lascivia intrat castitas, remota intemperantia intrat temperantia, remoto dolo intrat sinceritas, remoto odio et jucundo vindictae intrat amor et jucundum amoris et amicitiae; et sic in reliquis; et hoc ex causa, quia Dominus, et cum Ipso caelum, intrat, quantum homo abstinet a malis faciendis ex Verbo, quia tunc ab illis abstinet ex Domino. (5.) Sed exempla hanc rem illustrent. Pro exemplis sint haec quatuor praecepta decalogi, "Non adulteraberis," "Non furaberis," "Non occides," "Non falso testaberis," quae sunt praecepta Divina, quia in Verbo. Qui fugit et aversatur adulterium ex timore quod sit contra Dominum, contra caelum, et contra vitam spiritualem secundum quam est felicitas aeterna, is amat castitatem, et amat conjugem, quia amor vere conjugialis est ipsa cas-

titas. Qui fugit et aversatur furtum ex simili timore ex quo adulterium, is amat sinceritatem, et amat bonum proximi sicut suum bonum. Qui fugit et aversatur neces ex simili timore, seu odia internecina, is amat proximum, et in charitate est. Qui fugit et aversatur falsa testimonia ex simili timore, is amat justitiam et amat veritatem, et hoc ex Domino quia ex Verbo; quare ille post mortem, cum fit spiritus, similis est angelo caeli, et ideo fit angelus caeli. Qui vero non ex timore illo sancto fugit adulterium, sed ex timore famae et inde jacturae honoris et lucri, aut ex timore legis, aut ex timore morbi, aut ex infirmitate, is usque incastus est, quia solum timet mundum, et jacturam sui emolumenti in mundo, et non timet Dominum, et inde nec timet jacturam caeli et vitae aeternae: similiter qui abstinet a furtis, ab homicidiis seu odiis internecinis, et ex falsis testimoniis, solum ex timore naturali et non ex timore spirituali, is abstinet ab illis ex se et non ex Domino; et qui ex se, is manet in illis; et nemo ab illis potest abduci quam ex Domino. Ex his constare potest quod mens spiritualis apud hominem aperiatur per id, quod abstineat a malis faciendis ex Verbo; et quod in eo gradu aperiatur, quo ab illis abstinet fugiendo et aversando illa. (6.) Haec de aperitione mentis spiritualis; nunc de formatione ejus dicetur. Formatur mens spiritualis ex illis quae in memoria hominis ex Verbo sunt, quae est promptuarium, de quo supra dictum est, sed illa hoc modo inde elevantur:—*Primo*, datur homini affectio veri, quae vocatur affectio veri spiritualis, quae est quod homo amet verum quia est verum. Quod haec affectio veri tunc detur, est quia remotis malis homo in bonis est a Domino, et bonum amat verum, ac verum bonum, et volunt conjungi: datur illa affectio a solo Domino, quia Dominus in caelo est Divinum Verum; et datur per Verbum, quia Dominus in ecclesia est Verbum. *Secundo*, elimantur et purificantur a Domino illa quae ex Verbo in supradicto hominis promptuario sunt; ac genuina vera a falsis ibi discriminantur et separantur, nam mens spiritualis hominis non formari potest quam ex genuinis veris, quoniam caelum non in aliis est. *Tertio*, elevantur a Domino illa vera mirabili modo, et fiunt spiritualia, quod fit per influxum caeli, ac inde spiritualium correspondentium naturalibus; quae vera disponuntur ibi in formam caeles-

tem (quae qualis sit, in opere *De Caelo et Inferno*, n. 200–212, videri potest). *Quarto*, sed vera elevata in mentem spiritualem non sunt in naturali forma, sed in spirituali. Vera in spirituali forma sunt qualia sunt in sensu Verbi spirituali; vera autem in naturali forma sunt qualia sunt in Verbi sensu naturali, quae quod distincta sint, et usque unum faciant per correspondentias, in opere *De Caelo et Inferno* (n. 87–115) illustratum est; inde est quod homo post mortem, cum fit spiritus, et aperitur ejus mens spiritualis, non amplius cogitet et loquatur naturaliter, sed spiritualiter. *Quinto*, homo prorsus nescit, quamdiu in mundo vivit, quid cogitat in spirituali mente, sed solum quid in naturali ex illa; sed post mortem mutatur status, tunc ille cogitat ex spirituali mente, et non ex naturali. Haec de aperitione mentis spiritualis, et ejus formatione. (7.) Quando mens spiritualis hominis aperta est et formata, tunc Dominus format mentem naturalem; nam mens naturalis hominis formatur a Domino per mentem spiritualem. Causa est, quia mens hominis spiritualis in caelo est, et mens ejus naturalis in mundo est; nam naturale non formari potest ad ideam talium quae in caelo sunt, quam e caelo, nec prius quam cum communicatio et conjunctio facta est cum caelo. Formatio fit a Domino per influxum e spirituali mente in naturalem, per quem disponuntur illa quae in naturali mente sunt, ut correspondeant illis quae in spirituali (de qua correspondentia multis actum est in *Arcanis Caelestibus*, et quoque in opere *De Caelo et Inferno*.) Illa quae in naturali mente ex spirituali sunt, vocantur vera rationalia, vera moralia, vera naturalia, et in genere vera scientifica; et bona quae in mente naturali ex spirituali sunt, vocantur affectiones et desideria ad illa, et ex illis ad cogitandum illa, ad loquendum illa, et ad faciendum illa, et in genere vocantur usus. Omnia illa, quae e mente spirituali in naturali sunt, veniunt sub intuitionem et in perceptionem hominis. (8.) Sciendum est quod haec formatio utriusque mentis apud hominem perstet ab infantia ejus ad senectam ejus, et postea in aeternum; quandoque e media hominis aetate ad ultimam ejus, et deinde in aeternum; sed usque aliter post vitam in mundo quam in vita in mundo; et sicut homo formatur, ita perficitur intelligentia et sapientia, et fit homo: nam omnis homo non est homo ex naturali mente; ex hac est potius bestia, verum fit homo per intelligentiam et sapientiam a Domino,

et quantum intelligens et sapiens est, tantum est homo pulcher et angelus caeli. Quantum autem rejicit, suffocat et pervertit vera et bona Verbi, ita caeli et ecclesiae, et inde renuit intelligentiam et sapientiam, tantum est monstrum et non homo, quia tantum est diabolus. Ex his constare potest quod homo non sit homo a parentibus, sed ex Domino, a quo e novo nascitur, et creatur; haec itaque est regeneratio et nova creatio. (9.) His praemissis nunc aliquid de voluntate et intellectu hominis e novo creati seu regenerati a Domino dicetur, et postea de charitate et fide. Voluntas ejus in naturali homine formatur per influxum caloris caeli per spiritualem mentem a Domino; calor caeli in sua essentia est Divinum Bonum procedens ex Divino Amore Domini: intellectus autem in naturali homine formatur per influxum lucis caeli per spiritualem hominem a Domino; lux caeli in sua essentia est Divinum Verum procedens ex Divino Amore Domini. Inde sequitur quod voluntas formetur ex bonis, ex quibus est homini amor et affectio; et quod intellectus formetur ex veris inde, ex quibus est homini intelligentia et sapientia: et quia vera non aliud sunt quam formae boni, sequitur quod intellectus non aliud sit quam forma suae voluntatis; non alia est differentia, quam quod intellectus videat, et voluntas sentiat. Inde patet quod qualis homini voluntas boni est, talis ei intellectus veri sit; seu quod idem, quod qualis homini amor est, talis ei intelligentia. Inde constat quod, tametsi voluntas et intellectus binae facultates vitae sunt, usque unum agant; quare etiam binae illae facultates vitae vocantur una mens. Haec in naturali homine. In spirituali homine etiam sunt voluntas et intellectus, sed multo perfectiores, quae etiam vocantur una mens; haec itaque mens spiritualis, et illa mens naturalis. Sed haec talia sunt apud hominem cujus mens spiritualis aperta et formata est; prorsus autem aliter apud hominem cujus mens spiritualis clausa est, et solum mens naturalis aperta. (10.) Eadem dici possunt de charitate et fide quae dicta sunt de voluntate et intellectu; nam voluntas est subjectum et receptaculum charitatis sicut est subjectum et receptaculum boni, et intellectus est subjectum et receptaculum fidei quia est subjectum et receptaculum veri; charitas enim omne suum trahit ex bono, et fides omne suum ex

vero; quare etiam dicitur bonum charitatis, et verum fidei; inde sequitur quod charitas et fides unum agant, sicut voluntas et intellectus, et quod qualis est charitas talis sit fides: sed haec in mente naturali; in mente autem spirituali pro charitate est amor boni, et pro fide est perceptio veri. (II.) Quod amor spiritualis, qui est charitas, producat fidem, ex unico hoc constare potest: quod homo post mortem, qui tunc vocatur spiritus, non sit nisi quam affectio quae amoris, et quod cogitatio ejus inde sit; quare universum caelum angelicum ordinatum est in societates secundum varietates affectionum, et quod unusquisque in caelo, in quacunque societate sit, cogitet ex sua affectione: inde nunc est quod affectio, quae est amor, producat fidem, et talem fidem qualis affectio est; nam fides non aliud est quam cogitare quod ita sit in veritate: per affectionem intelligitur amor in suo continuo. Sed homo in mundo hodie nescit quod cogitatio ejus sit ex affectione et secundum illam; causa est quia cogitationem suam videt, sed non affectionem suam, et quia cogitatio est affectio sua in forma visibili, ideo non scit nisi quod tota mens hominis sit cogitatio: aliter olim apud antiquos, ubi ecclesiae erant; hi quia sciverunt quod amor producat omnia cogitationis, ideo charitatem, quae est affectio sciendi vera, intelligendi illa, tum volendi illa, et sic sapiendi, fecerunt principale medium salutis; et quia illa affectio unum facit cum fide, nesciverunt quid fides. Ex his non modo constare potest quomodo fides apud hominem formatur, sed etiam quod fides nusquam producere possit charitatem, sed quod charitas, quae est amor spiritualis, formet illam ad sui instar, et in ea sistat imaginem sui; et quod inde sit quod fides cognoscatur qualis est ex charitate et ejus bonis, quae sunt bona opera, sicut arbor, qualis est, ex suo fructu. Per "arborem" vero non intelligitur fides, sed intelligitur homo quoad vitam suam; per "folia" ejus significantur vera per quae fides; et per "fructus" ejus significantur bona vitae, quae sunt bona charitatis. Praeter haec arcana formationis fidei per charitatem a Domino, sunt innumerabilia plura; sed usque omnia illa arcana operatur Dominus, homine nesciente: homo non opus habet ut plus operetur, quam ut discat vera ex Verbo, et vivat secundum illa.

791. ***"Dicentes, Quis similis est bestiae?"***—Quod significet *confessionem quod nihil verius*, constat ex nexu antecedentium cum his verbis, ita ex serie rerum; nam in mox antecedentibus dicitur quod "adoraverint draconem qui dedit potestatem bestiae," et quod "adoraverint bestiam," per quae significatur agnitio dogmatis de separatione fidei a vita, quia id firmatum et corroboratum est per inventas conjunctiones cum bonis operibus; tum quoque per ratiocinia, per quae discordantia cum Verbo apparenter summota est (de quibus supra, n. 789, 790[a]); et quia per id factum est quod falsum appareret sicut verum, ideo dicitur, "Quis similis est bestiae?" Quare per illa verba significatur confessio quod nihil verius, at in sensu genuino quod nihil falsius; haeresis enim ab asseclis creditur veritas, quae a sapientibus videtur falsitas.

792. ***"Quis potest pugnare cum illa?"***—Quod significet *quod nullatenus impugnari possit*, constat absque explicatione, nam cum per "draconem" et ejus "bestiam" significatur dogma haereticum de sola fide, per "non posse pugnare cum bestia" significatur quod illud non impugnari possit: quod illis tam fortis persuasio sit ut credant sicut quod nihil verius, patet manifeste ex ejus receptione in Christianis Ecclesiis; dicunt enim, Quis potest bonum facere a se ipso? et sic omittunt. Quis hominum non ex primo intuitu, seu, ut dicitur, ex primo jactu oculi, videre potest quod homo sit qualis ejus vita sit? Quis id potest in dubium vocare, et in negativum vertere? et eo minus, cum quisque in eo confirmatur ex Verbo, ubi dicitur quod "sapiens sit qui audit et facit," et quod "omnes secundum facta judicabuntur." Non video an alius quam qui intellectuale suum retro torsit, et inde delirat, potest cogitare quod bene vivere nihil faciat; cum tamen homo manet post mortem qualis ejus vita fuerat in mundo. Datum est loqui cum aliquibus qui ante saecula vixerunt, et deprehensi quod eis similis vita esset qualis descripta est in historicis de illis: et datum est loqui cum aliquibus qui crediderunt se fidem habuisse, sed non vixerunt vitam fidei, quae est charitas, et deprehensum quod exclusi essent caelo: et praeterea saepe e caelo dictum est quod vita maneat hominem, et quod fides separata a vita nihil sit.

VERSUS 5, 6.

793. *"Et datum ei os loquens magna et blasphemias; et data ei potestas faciendi quadraginta duos. Et aperuit os suum in blasphemiam adversus Deum, blasphemare Ipsius, et tabernaculum Ipsius, et eos in caelo habitantes."*

5. *"Et datum ei os loquens magna et blasphemias,"* significat *doctrinam destruentem bona Verbi, et penitus vera ejus* [n. 794]; *"et data ei potestas faciendi menses quadraginta duos,"* significat *destructionem ejus usque dum nihil boni et veri superesset* [n. 796].

6. *"Et aperuit os suum in blasphemiam adversus Deum,"* significat *falsificationem Divini Veri, ita Verbi, quod a Domino, et quod est Dominus* [n. 797]; *"blasphemare nomen Ipsius,"* significat *falsificando omne quale ejus* [n. 798]; *"et tabernaculum Ipsius,"* significat *omnem ecclesiae doctrinam et cultum inde* [n. 799]; *"et eos in caelo habitantes,"* significat *bona et vera spiritualia, ex quibus caeleste conjugium* [n. 800].

794. [*Vers.* 5.] *"Et datum ei os loquens magna et blasphemias."*—Quod significet *doctrinam destruentem bona Verbi, et penitus vera ejus*, constat ex significatione "oris," quod sit doctrina, ex qua instructio, praedicatio, et ratiocinatio (de qua supra, n. 782); quod doctrina per "os bestiae" significetur, est quia in versu mox praecedente dictum est quod "adoraverint draconem et ejus bestiam," et per id significata est agnitio illius dogmatis, et receptio in doctrina; et quia supra etiam dictum est quod "os illius bestiae esset sicut os leonis," et per id significata est instructio, praedicatio et ratiocinatio, quae sunt ex recepta doctrina: ex significatione "loqui magna," quod sit docere mala destruentia bona Verbi, "magnum" enim in Verbo dicitur de bono, ac in opposito sensu de malo, at "multum" de vero et in opposito sensu de falso (videatur supra, n. 336[a], 337, 424); quia per "bestiam" intelliguntur illi qui per ratiocinia separant fidem a vita, et qui hoc faciunt destruunt bona Verbi, et quia per "os" ejus significatur doctrina eorum, ideo per "loqui magna" significatur destruere bona Verbi: et ex significatione "loqui blasphemias," quod sit falsificare vera Verbi (de qua supra, n. 778): ex his patet quod per "os datum ei loquens magna et blasphemias" significetur doctrina destruens bona Verbi, et falsificans penitus vera ejus. Quod dicatur, falsificans penitus vera ejus, est quia falsificatio Verbi usque ad destructionem Divini Veri quale est in caelis et quale est in sensu spirituali Verbi, significatur per "blasphemiam" (videatur supra, n. 778): hoc ita intelligitur per falsificare penitus vera. Dicitur quod per "os bestiae loquens magna" significetur doctrina, ac inde

instructio, praedicatio, et ratiocinatio, destruens bona Verbi; quare dicetur per quid destruit: destruit illa imprimis per id, quod doceat quod fides absque bonis operibus justificet et salvet, et illud per hoc ratiocinium confirmant, quia nemo potest bonum facere ex se, et quia bonum quod homo facit ex se non possit non esse meritorium; et hoc quoque constabiliunt ex Verbo, imprimis ex Pharisaeo et Publicano orantibus in Templo,

> Quod hic justificatus sit solum per quod dixerit, "Deus propitius esto mihi peccatori;" et quod Pharisaeus non justificatus sit, qui dixit se non rapacem, injustum et adulterum esse, sicut reliqui, et se jejunasse bis in septimana, et dedisse decimas omnium quae possedit (*Luc.* xviii. 10–14);

et quoque ex his Domini verbis,

> "Num" Dominus "gratiam habet servo.., quod fecerit quae mandata sunt illi? Non reor: sic etiam vos, cum feceritis omnia quae mandata sunt vobis, dicitis utique servi inutiles sumus, quia quod debebamus facere fecimus" (*Luc.* xvii. 9, 10):

at qui ex his concludunt quod nihil justificationis et salvationis sit in bonis operibus, sed in sola fide, maxime errant, non sciunt enim quid sunt bona opera. Sunt enim opera quae fiunt ab homine; haec non bona sunt: et sunt opera quae fiunt a Domino per hominem, et haec bona sunt: utraque usque in externa forma apparent similia, sed in interna sunt prorsus dissimilia. Opera quae Pharisaeus recensuit, erant opera ab ipso, et inde quoque meritoria; similiter opera quae ex mandato faciunt servi, qui usque dicuntur inutiles. Nunc itaque dicetur quomodo opera ab ipso homine fiunt, et quomodo opera a Domino apud hominem, tum quomodo haec ab illis dignoscuntur. Supra (n. 790[*b*]) ostensum est quod homini binae mentes sint, una spiritualis, altera naturalis: mens spiritualis est quae vocatur internus et spiritualis homo, et mens naturalis est quae vocatur externus et naturalis homo: et quia homini internum spirituale est et externum naturale, ac internum conjunctum est caelo et externum conjunctum est mundo, sequitur quod quicquid homo facit ex illo interno per externum, hoc faciat ex caelo, hoc est, per caelum a Domino; at quicquid homo facit ab externo absque interno, hoc faciat homo ex se. Hoc intelligitur per Domini verba apud *Lucam*,

"Utique vos Pharisaei externum poculi et patinae purgatis, internum vero vestrum plenum est rapina et malitia: insipientes, nonne qui fecit externum, etiam internum fecit? immo vero quae insunt; date eleemosynam, tum ecce omnia munda vobis erunt" (xi. 39–41):

dicitur, externum "poculi et patinae," ac internum eorum, quia per "poculum" intelligitur simile quod per "vinum," et per "patinam" simile quod per "cibum;" per "vinum" significatur verum, ac per "cibum" significatur bonum: dicitur etiam "date eleemosynam," et per illam significatur amor et charitas; ex illis patet, quod quicquid homo facit ex solo externo, immundum sit, at quicquid ab interno purgato facit per externum, mundum sit, hoc enim a Domino est, illud autem ab homine: sed hanc rem etiam exempla illustrent. Internum est bonum facere propter bonum, verum loqui propter verum, sincerum agere propter sincerum, et justum facere propter justum: qui bonum facit propter bonum, is bonum facit ex bono, ita ex Domino, qui est ipsum Bonum, et ex quo omne bonum; qui verum loquitur propter verum, is verum loquitur ex vero, ita ex Domino, qui est ipsum Verum, et ex quo omne verum: similiter qui sincerum agit propter sincerum, et justum facit propter justum, nam sincerum est bonum et verum morale, et justum est bonum et verum civile; et omne bonum et verum est a Domino, et non ab homine, quia fiunt ex interno per externum. At si homo facit et loquitur bonum, verum, sincerum et justum propter se et mundum, facit et loquitur illa ex se, quia ab externo homine absque interno; et illa facta seu opera sunt omnia mala, et si in illis spectatur caelum, sunt meritoria, quae omnia sunt iniqua. Opera illa num sint ex Domino, vel num ex homine, non dignosci potest ab aliquo in mundo, quoniam utraque apparent similia in externa forma, sed solum dignoscuntur a Domino; at post vitam hominis in mundo, aperitur ex qua origine sunt

(*Matth.* x. 26, 27: *Marc.* iv. 22: *Luc.* viii. 17; cap. xii. 2, 3, 8, 9).

Quomodo autem homini datur internum, et externum ab interno, videatur supra (n. 790[*b*]). Ex his nunc constare potest, si homo impleret omnia legis ex se, ut si daret multa pauperibus, si bonum faceret pupillis et viduis, opem ferret egenis, immo si daret esurientibus edere, potaret

sitientes, colligeret peregrinos, indueret nudum, visitaret aegrotos, veniret ad vinctos in carcere, Evangelium praedicaret et doceret, converteret gentes, frequentaret templa, praedicationes devote auscultaret, quotannis saepe obiret sacramentum Cenae, vacaret precibus, et plura, ac internum ejus non purificatum est ab amore imperandi et a fastu propriae intelligentiae, a contemptu aliorum, ab odio et vindicta, ab astu et malitia, ab insinceritate et injustitia, a lascivo adulterii, et a reliquis malis et inde falsis, usque omnia illa opera sunt hypocritica, et sunt ex ipso homine, et non a Domino. At vero eadem illa opera, quando internum purificatum est, sunt omnia bona, quia a Domino apud hominem. Hoc ex mille exemplis in mundo spirituali mihi testatum factum est. Audivi quod pluribus datum sit recordari actorum vitae suae in mundo, et enumerare bona quae fecerunt; sed cum aperiebatur internum eorum, deprehensum est illud plenum omni malo et inde falso; et tunc revelatum est illis, quod bona quae enumeraverunt, ex se fecerint, quia propter se et mundum. Aliter vero apud illos qui abstinuerunt a malis faciendis ex Verbo, et dein fugerunt et aversati sunt illa propterea quod peccata essent, et contra amorem in Deum, et contra charitatem erga proximum; eorum opera, tametsi in externa forma similia apparuerunt operibus illorum, de quibus mox supra dictum est, et quoque similiter percepta sicut a se facta fuissent, omnia bona fuerunt. Haec opera sunt, quae in Verbo intelliguntur per "opera" quae hominem faciunt spiritualem, et felicem in aeternum; et haec sunt, quae a fide nullatenus separari possunt; nam fides, si ab ea separarentur, foret mortua, et fides mortua est fides falsi ex malo.

795. Quia in praecedentibus actum est de existentia fidei ex charitate, paucis etiam dicetur quid prius et quid posterius. Ostensum est quod charitas producat fidem, sicut bonum producit verum, et sicut affectio producit cogitationem, similiter sicut ignis producit lucem; quare prorsus contra ordinem et inversum est dicere quod fides producat charitatem seu bona ejus, quae vocantur bona opera. At sciendum est quod charitas, quae in sua essentia est affectio sciendi, intelligendi, volendi et faciendi verum, non ad ullam hominis perceptionem veniat ante-

quam se formaverat in cogitatione quae est ex intellectu, tunc enim se sistit sub aliqua forma seu specie, ex qua coram interiore visu apparet, nam cogitatio quod ita sit in veritate, vocatur fides: inde constat quod charitas actualiter sit prior, et fides posterior, sicut bonum est actualiter prius et verum posterius, sicut producens est essentialiter prius quam productum, et sicut esse prius quam existere; est enim charitas a Domino, et quoque prius formata in spirituali mente: sed quia charitas non apparet homini priusquam illa est fides, ideo dici potest quod fides non sit apud hominem priusquam illa facta est charitas in forma; quare de existentia charitatis et fidei apud hominem, dici potest quod utraque existat pari momento; nam tametsi charitas producit fidem, usque quia unum fiunt, nusquam potest unum separatum ab altero, quantum ad hominis perceptionem, dari, nec quoad gradum, nec quoad quale. Ex his quoque patet quod conjunctio Domini cum homine, sit sicut conjunctio boni cum vero: bonum est a Domino, et vera sunt apud hominem, sed vera quae adhuc non vivunt; at sicut homo recipit bonum in veris, ita recipit in se Dominum, ac vivit; et tantum recipit, quantum abstinet a malis, ac fugit et aversatur illa ex Verbo, sic enim fugit et aversatur illa ex Domino et non ex se.

796. ***"Et data ei potestas faciendi menses quadraginta duos."***—Quod significet *destructionem usque dum nihil veri et boni superesset*, constat ex significatione "potestatis faciendi," quod sit actus destruendi bona et vera; nam per "os loquens magna et blasphemias," ut nunc supra, significatur doctrina, et inde instructio, praedicatio et ratiocinatio, destruens bona Verbi et penitus vera ejus; inde per "data ei potestas faciendi" significatur actus destruendi illa; et ex significatione "mensium quadraginta duorum," quod sit plenaria vastatio et consummatio (de qua supra, n. 633), ita destructio usque dum nihil veri et boni superest: simile etiam significatur per "quadraginta duo," 2 *Reg.* ii. 24, ubi memoratur, quod "quadraginta duo pueri a binis ursis discerpti sint" (videatur supra, n. 781 [*c*]). Agitur in hoc versu et in sequente de destructione ecclesiae, quae destruitur prorsus sicut vera ejus vertuntur in falsa, et bona ejus in mala: quod hoc faciat doctrina fidei separatae a vita, constare potest ex eo, quod doctrina ecclesiae sit doctrina

fidei, et quod doctrina vitae, quae vocatur theologia moralis, sit doctrina forinseca, inserviens ecclesiae, si libet; et spectatur sicut nihil salutis in ea, quia nihil fidei, cum tamen fides separata a vita non vivit; et non vivum, quod est mortuum, neminem salvat. Autumatur quod homo ex doctrina fidei separatae possit credere quod Deus sit, quod caelum et infernum sint, quod vita post mortem sit, quod Verbum Divinum sit, et quod ideo credenda sint quae ibi; haec quidem potest homo scire, potest cogitare, immo ex rationis lumine potest aliquatenus intelligere, sed usque non potest illorum habere fidem quae diu manet post mortem; fides enim vitae manet, sed non fides separata a vita; et vita unicuivis est sicut homo abstinet a malis, ac fugit et aversatur illa, quia contra Verbum sunt, ita contra Dominum; fides ex hac vita manet hominem post mortem, quia est a Domino, et inde Domini apud hominem: ex his constare potest quod homo ex sola fide ne quidem credere possit quod Deus sit; quid tunc credere potest reliqua? Inde nunc sequitur quod doctrina fidei separatae destruat ecclesiam quoad omnia bona et vera ejus. Quod ita sit, ex talibus post mortem, cum quibus locutus sum, abunde mihi patuit; sectatores et defensores fidei separatae, qui modo externum poculi et patinae purgarunt, et non internum, post exactum tempus, omnia quae in mundo dixerunt et crediderunt suae fidei esse rejecerunt; et vel se, vel alios, qui potentia et artibus in inferno notis praestant, pro diis agnoscunt; immo ad vera Verbi, quae sancta dixerunt in mundo, rident.

797. [*Vers.* 6.] ***"Et aperuit os suum in blasphemiam adversus Deum."***—Quod significet *falsificationem Divini Veri, ita Verbi, quod a Domino et quod est Dominus*, constat ex significatione "aperire os suum" cum per "os" significatur doctrina, et inde instructio, praedicatio et ratiocinatio (de qua supra, n. [1]794), quod sit instruere, praedicare et ratiocinari; ex significatione "blasphemiae," quod sit falsificatio Verbi usque ad destructionem Divini Veri, quale est in caelo (de qua supra, n. 778); et ex significatione "Dei," quod sit Divinum Verum, ita Verbum; et quia Divinum Verum est a Domino, et est Dominus in caelo, ideo per "blasphemiam adversus Deum" significatur falsificatio Divini Veri seu Verbi, quod a Domino, et quod est Dominus: quod etiam Verbum sit

Dominus quia a Domino, est quia Verbum est Divinum Verum, ac Divinum Verum procedit a Domino ut Sole, et quod procedit est Ipsius a quo procedit, immo est Ipse; quare Divinum Verum, ex quo omnis sapientia et intelligentia est angelis et quoque hominibus, est Dominus in caelo; quod etiam sit Verbum quale est apud nos in mundo, est quia illud est Divinum Verum in ultimo ordinis, continens sensum spiritualem, qui est Divinum Verum quale est in caelo: sed de hac re alibi plura. Ex his patet quod per quod "bestia aperuerit os suum in blasphemiam adversum Deum" significetur falsificatio Divini Veri, seu Verbi quod a Domino, et quod est Dominus. Quoniam in hoc versu agitur de blasphematione, et per blasphemiam significatur falsificatio Divini Veri seu Verbi, nempe, ab illis qui fidem separant a vita, velim in explicatione hujus versus tradere quinam et quales sunt ex illis, qui ita falsificant Verbum ut sibi caelum prorsus claudant; deinde quinam et quales ex illis sunt, qui non ita falsificant Verbum ut claudant sibi caelum; et postea, quinam et quales ex illis sunt, qui non falsificant Verbum, apud quos ideo caelum potest aperiri aut aperitur. In hoc articulo dicetur de illis qui ita falsificant Verbum ut caelum sibi prorsus claudant; in sequentibus autem articulis dicetur de reliquis ordine. Omnes illi caelum sibi prorsus claudunt, qui apud se confirmant doctrina et simul vita quod sola fides absque bonis operibus justificet et salvet; causa est, quia hi ita falsificant Verbum ut sit contra Divinum Verum quod in caelo est, et ex quo caelum; eo usque falsificari potest Verbum, et quoque non eo usque. Quod illi eo usque falsificent Verbum, sunt causae:—(1.) Quod bona vitae, quae sunt bona opera, nihili pendant ex doctrina, et nihili faciant ex vita, cum tamen universum caelum est in bono, nam bonum est amoris et amor est vitae; omnis sapientia et omnis felicitas angelis caeli est ex bono per vera; et unicuivis ibi tanta et talis est sapientia et felicitas, quantum et quale est bonum ex quo vera; quare est bonum ipsa essentia vitae angelicae, et inde essentia ipsius caeli: illi itaque qui in sola fide omne salutis, et nihil ejus in bonis operibus, ponunt, non possunt non sibi caelum claudere; bonum enim, in quo est caelum, nihili pendunt et nihili faciunt; et ubi non bonum est, ibi est malum, et ubi malum,

ibi est infernum. (2.) Quia in sola fide omne salutis, et inde omne caeli et omne ecclesiae, ponunt, et nihil eorum in bonis charitatis, quae sunt bona opera, illi amorem in Deum et amorem erga proximum vilipendunt et nauci faciunt, cum tamen Dominus docet

> Quod ex illis binis mandatis Lex et Prophetae pendeant (*Matth.* xxii. 34–38);

"Lex et Prophetae" sunt omnia Verbi: et quoque [1]Dominus dicit ad Legisperitum de binis illis mandatis,

> "Fac illa et vives" (*Luc.* x. [2]28):

et amare Deum et amare proximum non aliud est quam facere bona, nam amor in sua essentia est velle, et in sua existentia est facere; quod enim homo amat, hoc vult, et quod ex amore vult hoc facit: ideo etiam Dominus docet,

> "Qui habet praecepta mea, et facit illa, ille est qui amat Me:....qui vero non amat Me, praecepta mea non servat" (*Joh.* xiv. 21, 24):

inde sequitur quod qui bona opera, quae sunt bona amoris, bona charitatis, et bona vitae, quae in caelo vocantur usus, nihili pendunt et nihili faciunt, claudant sibi caelum; non enim amant Deum, nec amant proximum, et usque caelum est caelum ex binis illis amoribus. Hoc imprimis est falsificare Verbum usque ad destructionem Divini Veri, quod in caelo est a Domino, et quod ibi est Dominus. (3.) Illi qui et doctrina et vita se confimant in eo, quod sola fides absque bonis operibus justificet et salvet, claudunt etiam sibi caelum per id, quod mala opera excusent; quae excusant per id, quod dicant et credant quod mala non videantur a Deo, aut quod remittantur apud illos qui habent fidem; (quidam, qui habent fiduciam fidei; quidam, qui per fidem justificati sunt;) quare plures ita vesane cogitant, "Quid refert ut bona faciam, dum bona non me salvant? et quid refert si mala faciam, dum mala me non damnant? In gratia sum quia fidem habeo." Et sic vivunt sibi et mundo, nec abstinent a malo quia malum, nec faciunt bonum quia bonum; si abstineant a malo, est ex timore legis civilis et jacturae famae, et non ex timore legis Divinae et vitae aeternae; et si faciant bonum, est ex amore mercedis, et non ex amore Dei: et usque qualis est vita talis est homo;

"**Numquid colligitur ex spinis uva, aut ex tribulis ficus?**" (*Matth.* **vii. 16.**)

Homo etiam talis nescit quid vita bona, et quid vita mala. Si vivit ut civis mundi, credit quod vivat vitam bonam; cum tamen haec vita, si illam non vivit ut civis caeli, est vita mala; nec dignoscit unam ab altera, quia utraque apparet similis in externis. Quod non dignoscat, est causa, quia bona opera, quae faciunt vitam, vilipendit. Exinde nunc sequitur quod illi qui et doctrina et vita se confirmant in eo, quod sola fides absque bonis operibus justificet et salvet, caelum sibi prorsus claudant. (4.) Claudunt etiam sibi caelum per id, quod tametsi vita illorum est vita mere naturalis, quae trahit omnia sua ex amore sui et mundi, usque meritum Domini sibi attribuant; dicendo corde, "Si solum cum fiducia et confidentia credidero quod Dominus passus sit crucem pro me, et per id redemerit me, vitam aeternam habeam; et hoc quia illa justitia et illud meritum imputatur mihi per fidem, et nihil ejus per opera vitae:" cum tamen imputativum meriti Domini non datur, ita nec vita inde imputativa homini; sed vita a Domino datur, quae qualis sit supra in suo articulo dictum est. Quare imputare sibi meritum Domini, et non vivere secundum praecepta Ipsius in Verbo, et sic vivere ab Ipso, est blasphemia; quia hoc involvit possibilitatem vivendi solum sibi et mundo, ita male, in Domino. (5.) Claudunt etiam sibi caelum per id, quod agnoscant nullam fidem pro fide, aut historicam pro salvifica, naturalem pro spirituali, et mortuam pro viva; similiter fiduciam fidei: hi enim credunt quod scire et cogitare aperiat caelum, et non simul velle et facere, cum tamen haec primaria sunt, et illa secundaria; vita enim cogitationis hominis est ex affectione voluntatis ejus. (6.) Claudunt etiam sibi caelum per id, quod quia homo non potest facere bonum a se, quod est bonum, et nisi sit meritorium, omittant bonum facere, et implorent fidem; et usque non fides quae est fides nisi ex charitate, ita nisi ex bono: fides quae per implorationem tunc permittitur dari, est fides falsi ex malo; nam ubi non est bonum ibi est malum, et ubi est malum ibi est falsum; et fides falsi ex malo est fides inferni, quae vocatur fides mortua, et haec claudit caelum. (7.) Imprimis clauditur illis caelum per applicationem Verbi ad

confirmandum omnia illa, sic enim falsificant illa usque ad destructionem Divini Veri quod in caelo est: Verbum enim nostrum in sensu suo spirituali est Divinum Verum quale est in caelo; si sensus litterae usque ad destructionem illius falsificatur, occluditur caelum; nam Divinum Verum procedens a Domino facit caelum, immo est caelum; angeli enim ibi sunt angeli ex receptione ejus. (8.) Dictum est quod illi sibi caelum prorsus claudant, qui et doctrina et vita bona opera nihili faciunt, ex principio quod fides absque bonis operibus justificet et salvet; paucis nunc dicetur quomodo doctrina claudit, et quomodo vita. Doctrina claudit per consensum, asseverationem, confirmationem, et persuasionem quod ita sit, tunc enim homo non modo cogitat quod ita sit, sed etiam vult quod ita sit: si usque homo facit bona quia mandata sunt in Verbo, non alia bona facit quam bona moralia ex naturali homine, quae bona sunt ab ipso, et quoque haec bona sunt meritoria; nam omne facere hominis est ex velle ejus, et est sicut velle ejus, factum enim non aliud est quam voluntas in suo activo; quare cum homo cogitat et quoque vult quod nihil salvationis in operibus sit, non potest alia bona facere, quam sicut origo eorum est. Tales sunt multi eruditi, qui solam fidem apud se confirmarunt praedicatione et scriptis: horum mens in mundo spirituali apparet sicut velo tecta, aut sicut denso nubis involuta, quae arcent ne lux seu verum e caelo intret; ita apud illos clauditur caelum. Vita autem secundum doctrinam prorsus claudit caelum, quia fides eorum est quod bona vitae non salvent, nec mala vitae condemnent. (9.) Simile est, si dicatur quod caelum homini clausum sit, aut si dicatur quod mens superior hominis, quae mens spiritualis ejus vocatur, clausa sit; nam mens spiritualis hominis est caelum ejus, quare per illam est homini conjunctio cum caelo; ac mens naturalis est mundus ejus, quare per illam est homini conjunctio cum mundo. Quomodo autem mens spiritualis aperitur, et sic homini communicatio et conjunctio datur cum caelo, supra (n. 790[b]) expositum est.

798[a]. ***"Blasphemare nomen Ipsius."***—Quod significet *falsificando omne quale ejus*, constat ex significatione "blasphemare," quod sit falsificare Divinum Verum, ita Verbum, quod a Domino, et quod est Dominus (de qua mox supra, n. 797);

et ex significatione "nominis," quod sit quale rei et status (de qua supra, n. 148, 676), hic omne quale Divini Veri seu Verbi, quia dicitur "nomen Ipsius" seu Dei; quod per "nomen Domini" in Verbo intelligatur omne bonum amoris, et omne verum ex illo bono, ex quo colitur, videatur supra (n. 102, 135, 696); ex his patet quod per "blasphemare nomen Dei" significetur falsificare omne quale Divini Veri seu Verbi, tum omne bonum et verum per quae Dominus colitur. Quod illi qui separant fidem a bonis operibus et doctrina et vita, falsificent omne quale Divini Veri, seu omnia Verbi, in praecedente articulo expositum est; hoc concludi potest ex illis quae supra passim dicta sunt, quod nempe amorem et charitatem, ex quibus opera fiunt bona, et ex quibus fides essentiam suam trahit, excludant, ut non una cum fide sint medium salvationis; inde non solum falsificant illa Verbi ubi docetur de amore in Deum, et de amore erga proximum, sed etiam illa loca ubi "opera," "facta," "operari" et "facere" dicuntur; et cum illa falsificantur, etiam omnia Verbi falsificantur; nam reliqua Verbi, quae vera ejus vocantur, vivunt ex illis, et cum vita subtrahitur, cetera sunt mortua: et praeterea, in Verbo ubivis est conjugium boni et veri, ut supra aliquoties dictum et ostensum est; quare cum bonum aufertur, verum quod remanet, falsificatur, et verum falsificatum est falsum; quod per ratiocinia confirmantia fidem solam seu separatam, falsificentur omnia Verbi, in fine hujus capitis pluribus illustrabitur, ubi explicabitur quid numerus "sexcenta sexaginta sex" significat.

[*b*.] Quoniam in ecclesiis Christianis, in quibus sola fides ut caput doctrinalium earum recepta est, sunt eruditi et simplices, et sunt qui fidem separant a bonis vitae, tum qui fidem conjungunt cum illis, ita qui Verbum falsificant multum, et qui parum; et quia in praecedente articulo actum est de illis qui ita falsificant Verbum ut sibi caelum prorsus claudant, hic nunc agetur de illis qui non ita falsificant Verbum ut sibi caelum claudant; hi sunt qui apud se confirmant quod fides quae justificat et salvat, producat bona vitae, sicut arbor fructus; apud hos qui doctrinam illam confirmant vita, non clauditur caelum, sed aperitur ultimum ejus, ubi est introitus. Causae sunt sequentes:—*Primum*, Quod invertant ordinem Divinum, qui est quod

charitas producat fidem, et non quod fides producat charitatem; at usque apud illos qui conjunctionem illam doctrina et vita confirmant, postea inversus ille ordo potest reduci; et cum reductus est, intrant caelum in ultimis ejus: causa quod non interius, est, quia fides eorum, per quam crediderunt se justificari et salvari, plus trahit a falsis quam a veris; et in ultimis caeli sunt qui in falsis ex doctrina et religione sunt, sed usque in bono vitae; falsa eorum sunt apparentiae veri ex sensu litterae Verbi, quae omnes pro fine habent vitam. Paene similis res est cum omni reformando: is primum sibi format doctrinam ex Verbo, et ibi separat illa quae credenda sunt et quae facienda; illa quae credenda sunt vocat fidem, et illa quae facienda sunt vocat charitatem; at quia ordo apud omnes inversus est a nativitate, spectat fidem primo loco, et charitatem secundo: si tamen ille vivit vitam fidei, quae est charitas, per gradus convertitur et reducitur ordo, et a charitate fidem vivit; is tunc quantum fides ejus est ex genuinis veris, tantum intrat caelum; nam, ut supra dictum est, Divinum Verum procedens a Domino facit caelum, et est caelum. Ex his constare potest unde est quod fides hodie facta sit et primum ecclesiae et primarium ejus; nempe, quia ordinem a nativitate inversum secuti sunt, et quia vita mundi placuit, et fastus propriae intelligentiae duxit. Inde est quod in gradu reformationis primo [1]substiterint. *Secunda* causa est, quod illi non sibi claudant caelum quia bona opera sunt amor et charitas in actu, et caelum est caelum ex illis; omnes enim angeli et omnes spiritus sunt affectiones et inde cogitationes, seu quod idem, sunt amores et inde intelligentiae; ac bini amores universales ac omnium fundamentales sunt, nempe, amor in Dominum et amor erga proximum, qui vocatur charitas; in his sunt omnes illi qui bona faciunt ex Verbo, nam omne bonum est amoris: nunc quia illi qui apud se doctrina et vita confirmant quod fides producat bona opera sicut arbor fructus, spectant a fide ad bonum, inde illis conjunctio est cum caelo, at non cum caelo spirituali, sed cum caelo naturali, quod est in ultimis, et vocandum est introitus: quod non interius possint intromitti, est causa, quia fides antequam fit charitas in forma, est naturalis, et naturale non producere potest quam naturale; aliter cum

fides fit fides ex charitate, tunc fides fit spiritualis, quia charitas, ex qua, est spiritualis: apud hos aperta est mens spiritualis; apud illos autem solum aperta est mens naturalis, sed profundius et interius secundum fidei quale et inde vitae quale. Mens horum in luce caeli spectata apparet nivea, qualis est lux rationalis; et rationale est medium inter mentem spiritualem et mentem naturalem. *Tertio*, Si penitius exploratur status animi et vitae illorum qui credunt quod fides producat bona opera, et quoque faciunt illa, videbitur quod sint interius naturales; fides enim eorum est modo cognitio praeceptorum Verbi, in quam cum visus interior naturalis, qui vocatur rationalis, intrat, fit agnitio quod praecepta illa sint Divina; in quam agnitionem cum operatur amor, fit obedientia; sed amór qui in agnitionem illam operatur, non potest alius esse quam amor mercedis propter bona quae faciunt, et merces est illis vita aeterna; et quia amor mercedis non est a Deo sed ab homine, nam homo in mercede suum bonum et non proximi spectat, sequitur quod amor ille sit naturalis, proinde quod status animi et vitae illorum qui credunt quod fides producat bona opera, et faciunt illa secundum fidem, sit naturalis: si vero non faciunt illa ex obedientia, est amor gloriae ex eruditione, aut amor famae ut evehantur ad honores aut ut lucrentur opes, qui ducit: at hi modo dicunt quod agnoscant et credant, sed usque corde non agnoscunt et credunt; quare sunt infime naturales, quibus caelum prorsus clausum est. Ut sciatur quod facere bonum ex obedientia sit ex naturali homine, paucis dicetur quid sit facere bonum ex charitate. Facere bonum ex charitate, non potest alius quam cui mens spiritualis aperta est; et mens spiritualis aperitur solum per id, quod homo abstineat a malis faciendis, ac fugiat ac demum aversetur illa, quia contra Divina praecepta in Verbo sunt, ita contra Dominum; quando homo sic fugit et aversatur mala, tunc omnia quae cogitat, vult et facit, bona sunt, quia a Domino; Dominus enim continue praesens est, pulsat ostium, urget et vult ingredi, sed mala obstant; quare homo aperiet ostium per id quod removeat mala, nam his remotis Dominus ingreditur, et ibi cenat (*Apoc.* iii. 20). Dicitur quod homo aperiat et removeat; homo enim mala ex se facit; et quia Dominus continue praesens est, pulsat ostium et urget, ut dictum est, homini est

facultas desistendi a malis sicut a se; hoc cuivis homini datum est: inde nunc est, quia homo a se potest sibi claudere caelum, [quod] etiam sicut a se possit aperire caelum; modo dum cogitat et vult desistere a malis, spectat ad Dominum, et cum desistit agnoscat quod sit a Domino. Remotis itaque malis, tunc est bonum quicquid homo facit, quoniam est a Domino; et quicquid homo a Domino facit, non est morale naturale, sed est morale spirituale. Nunc quia charitas est ex amore faciendi bonum propter bonum, ita ex bono, proinde ex Domino, sequitur quod facere bonum ex charitate sit spirituale; at quod facere bonum ex obedientia, quia est ex amore mercedis, sit naturale. Hoc naturale est in quo sunt illi qui in introitu ad caelum sunt; quo etiam veniunt illi qui bonum faciunt modo ex obedientia, qui sunt qui doctrina et vita apud se confirmant quod fides producat bona opera, sicut arbor fructus. *Quarto*, Praeterea sciendum est quod illi qui credunt quod fides producat bona opera, sicut arbor fructus, etiam credant quod sortiantur caelum antequam mala sunt remota; et tamen quamdiu mala apud hominem sunt, bona quaecunque facit non bona sunt, nam ex arbore mala non alii fructus quam mali enascuntur; quare unica via ad caelum est, ut homo abstineat a malis ex Verbo, quia peccata sunt; quae nisi primum removentur, non intrare potest Dominus, et dare caelum. *Quinta* causa, [quod] qui doctrina et vita se confirmant in eo, quod fides producat bona opera sicut arbor fructus, non sibi claudant caelum, est quia non falsificant Verbum sicut illi qui credunt justificationem et salvationem per fidem absque bonis operibus; qui fidem absque bonis operibus credunt, illi falsificant omnia Verbi, ubi "amor," "charitas," "bona," "opera," "facta," "operari" et "facere" dicuntur et mandantur; et hoc usque ad destructionem Divini Veri in caelis, intelligendo per illa vel fidem, vel bona mundi moralia et civilia, vel quod dicta sint solum pro vulgo, propter ejus fidei simplicitatem; destruendo sic ipsum Divinum Verum, per argumentationes ex impotentia hominis implendi legem, per naturam boni ab homine, quod non sit bonum, perque remotionem meriti quod inhaeret bonis ab homine: sed illi qui simpliciter adjungunt fidei bona opera, non falsificant omnia illa Verbi, et inde non removent fidem ex amore Dei, et ex eo operationem Divi-

nam in singulis faciendis, sicut in singulis credendis ab homine; cogitant enim et dicunt quod bona facienda sint sicut ab homine, nam qui non facit et credit sicut a se, nihil credit et nihil facit, cui nulla religio est: sed usque quia non illis genuina vera sunt, non quidem sibi caelum claudunt, at non ulterius quam ad limen caeli possunt venire: qui vero ex illis amaverunt vera propter vera, illis aperitur caelum, quando Divinus ordo apud illos restitutus est, qui est ut charitas et ejus bonum primo loco sit, ac fides et ejus vera secundo; sunt enim tunc sicut qui vadunt via recta facie spectante antrorsum, at prius sicut qui vadunt facie spectante retrorsum. *Sexto*, Sunt etiam plures qui charitatem faciunt essentiale medium salutis, sicut alii fidem, et tamen non vivunt charitatis vitam; at quia charitas eorum est solum confessio oralis quod ita sit, ita est solum fides eorum; unde illorum charitas similiter non est viva sed mortua: quare parum differunt a confessoribus solius fidei, sunt enim simili corde, sed dissimili anima; at usque unus sicut alter claudit sibi caelum.

799[*a*]. ***"Et tabernaculum Ipsius."***—Quod significet *omnem ecclesiae doctrinam et cultum inde*, constat ex significatione "tabernaculi," quod sit ecclesia quoad doctrinam et cultum, inde etiam doctrina et cultus ecclesiae; haec itaque falsificare significatur per "blasphemare tabernaculum Dei." Quod "tabernaculum" significet ecclesiam quoad doctrinam et cultum, est quia illi qui ab ecclesia antiquissimis temporibus erant habitabant in tabernaculis et tentoriis, cum quibus etiam peregrinati sunt, erant enim plerique tunc pastores ovium; et paterfamilias docuit illos qui e domo illius prognati erant praecepta charitatis, et inde vitam amoris, in tabernaculis, sicut postea in templis; inde "tabernaculum" significabat simile quod "domus Dei," nempe, cultum Dei secundum doctrinam, proinde etiam ecclesiam, quoniam ecclesia est ecclesia ex vita secundum doctrinam, et vita secundum doctrinam est cultus. Quoniam antiquissimi illi, apud quos ecclesia fuit, adorabant Deum sub forma Humana, et quia Deus sub forma Humana est Dominus, inde Ipsum colebant; inde ecclesia illorum fuit ecclesia caelestis, quae distinguitur ab ecclesia spirituali in eo, quod ecclesia caelestis in amore in Dominum, et in cultu ex illo amore sit, et quod ecclesia spiritualis in

amore erga proximum, et in cultu ex illo amore sit: et quia talis fuit ecclesia apud antiquissimos, et doctrina amoris in Dominum docebatur in tabernaculis, et inde tabernacula prae templis a Domino amabantur, ideo ex mandato Domini super Monte Sinai aedificatum est tabernaculum, in quo gens Israelitica sanctum cultum haberet; et postea in memoriam sanctissimi cultus in tabernaculis institutum est Festum Tabernaculorum. Ex his patet unde est quod "tabernaculum" significet ecclesiae doctrinam et inde cultum.

[*b.*] Quod "tabernaculum" illa significet, etiam constare potest a sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

"Quam bona sunt tabernacula tua, Jacob; tentoria tua, Israel" (*Num.* xxiv. 5):

hic et alibi in Verbo dicuntur "tabernacula," tum "tentoria;" et per "tabernaculum" significatur ecclesia ab illis qui in bono amoris in Dominum sunt, et per "tentorium" significatur ecclesia ex illis qui in veris ex illo bono sunt; et quia doctrina et inde cultus faciunt ecclesiam, ideo per "tabernaculum" significatur doctrina boni amoris, et per "tentorium" doctrina veri ex illo bono: inde etiam per "tabernacula" in plurali significantur bona ecclesiae et doctrinae; et per "tentoria" vera ecclesiae et doctrinae. Inde patet quid significatur per illa [1]Bileami verba, "Bona sunt tabernacula tua, Jacob; tentoria tua, Israel;" per "Jacobum" enim significatur ecclesia quae in bono doctrinae et vitae est, et per "Israelem" ecclesia quae in veris ex bono. Apud *Jeremiam*,

Jehovah "reducit captivitatem tabernaculorum Jacobi, et tentoriorum ejus miserebor; et aedificabitur urbs super tumulo suo, et palatium ejus juxta morem priorem habitabitur" (xxx. 18):

hic quoque "tabernacula" et "tentoria" dicuntur; et per "tabernacula" significantur bona ecclesiae seu doctrinae ejus, et per "tentoria" significantur vera ecclesiae seu doctrinae ejus; per "captivitatem" significatur captivitas spiritualis, quae est quando bona et vera ecclesiae seu doctrinae quasi incarcerata sunt; quare "captivitatem reducere" significat restaurare illa. (Quid reliqua significantur, videatur supra, n. 724). Apud *Esaiam*,

"Amplifica locum tabernaculi tui, et cortinas tentoriorum tuorum expandant, ne prohibeas, longos fac funes tuos, et clavos tuos firma" (liv. 2):

haec de "sterili," quae non pepererat, per quam significantur gentes apud quas ecclesia a Domino instauranda erat: status boni amoris illius ecclesiae significatur per "locum tabernaculi tui;" et vera ex illo bono significantur per "cortinas tentoriorum tuorum;" fructificatio boni et multiplicatio veri significatur per "amplificare" et "extendere;" per "funes" significatur conjunctio illorum, et per "clavos" firmatio. Apud *Davidem*,

"Unum petii a Jehovah, hoc quaeram, ut maneam in domo Jehovae omnibus diebus vitae meae, ad videndum suavitatem Jehovae, et ad visitandum mane templum Ipsius; quia abscondet me in tentorio suo in die malo, occultabit me in occulto tabernaculi sui, in petra exaltabit me" (Ps. xxvii. 4, 5):

hic dicuntur "domus Jehovae," "templum," "tentorium" et "tabernaculum;" et per "domum Jehovae" significatur ecclesia quae in bono amoris in Dominum est, per "templum" ecclesia quae in veris ex illo bono, per "tentorium Jehovae" significatur Divinum Verum, et per "tabernaculum" Divinum Bonum; inde patet, quod per "manere in domo Jehovae omnibus diebus vitae," non intelligatur in domo Jehovae manere, sed in bono amoris in Dominum; et quod per "visitare mane templum Jehovae" non intelligatur quovis mane id visitare, sed vera illius boni inquirere et discere; inde per "abscondere in tentorio" significatur tenere in Divino Vero, et tutari a falsis, et per "occultare in occulto tabernaculi" significatur tenere in Divino Bono, ac tutari a malis; per "exaltare in petra" significatur instruere in interioribus veris. Apud eundem,

"Jehovah, quis commorabitur in tabernaculo tuo, quis habitabit in monte sanctitatis tuae? Qui ambulat integer, et facit justitiam, et loquitur veritatem" (Ps. xv. 1, 2):

per "tabernaculum" etiam hic significatur ecclesia quoad bonum amoris, ita quoque bonum amoris; per "montem sanctitatis," per quem intelligitur Hierosolyma, significatur ecclesia quoad vera doctrinae ex illo bono; inde scitur quid significatur per "commorari" in illis: "qui ambulat integer," significat qui in bono quoad vitam est, et in veris quoad doctrinam; quare dicitur, "qui facit justitiam et loqui-

tur veritatem," et per "facere justitiam" significatur in bono esse quoad vitam, et per "loqui veritatem" significatur in veris esse quoad doctrinam. Apud eundem,

"Manebo in tabernaculo tuo in aeternum, confidam in latibulo alarum tuarum" (Ps. lxi. 5 [*B. A.* 4]):

"manere in tabernaculo in aeternum" significat in Divino Bono amoris esse; "confidere in latibulo alarum tuarum" significat in Divinis veris; "alae" enim Jehovae significant vera spiritualia. Apud *Esaiam*,

"Firmatus..est per misericordiam thronus, et sedit super eo in veritate in tabernaculo Davidis, judicans et quaerens judicium, et festinans justitiam" (xvi. [1]5):

haec de Domino; caelum quod ab Ipso stabilitum est, et inde ecclesia, significatur per "thronum" qui per misericordiam firmatus est: quod Dominus ibi regnet per Divinum Verum ex Divino Bono, significatur per "Sedit super eo in veritate in tabernaculo Davidis;" per "Davidem" intelligitur Dominus quoad regium, quod est Divinum Verum, et per "tabernaculum" ejus, significatur Divinum Bonum: per "judicium" significatur verum doctrinae, quia ex illo omne judicium, et per "justitiam" bonum amoris, utrumque ab Ipso apud illos qui in caelo et in ecclesia sunt. Apud eundem,

"Specta Zionem, urbem festi stati nostri; oculi tui videant Hierosolymam, habitaculum tranquillum, tabernaculum quod non dissipabitur; non removebuntur clavi ejus in perpetuum, et omnes funes ejus non avellentur" (xxxiii. 20):

per "Zionem" hic non intelligitur Zion, nec per "Hierosolymam" Hierosolyma, sed caelum et ecclesia quoad bonum amoris et verum doctrinae; illa sunt "habitaculum tranquillum," et "tabernaculum quod non dissipabitur:" per "clavos" qui non removebuntur, significatur firmatio per Divina vera; et per "funes" qui non evellentur, significatur conjunctio per Divinum Bonum. Apud *Jeremiam*,

"Tabernaculum meum devastatum est, et omnes funes mei evulsi; filii mei exiverunt a Me, et non illi; non tendens amplius tabernaculum meum, et erigens cortinas meas" (x. 20):

per "tabernaculum" quod "devastatum," significatur ecclesia, in qua non bonum amplius; per "funes" qui "evulsi" significatur conjunctio quod nulla; per "filios" qui "exive-

sunt et non illi," significatur quod non aliqua vera amplius: per "non tendens amplius tabernaculum et erigens cortinas" significatur quod in ecclesia nullus amplius doceat bonum amoris, et verum ex illo bono; "cortinae" significant vera prodeuntia ex bono et tegentia illud. Apud eundem,

> "Devastata est tota terra, subito devastata sunt tabernacula mea, momento cortinae meae" (iv. 20):

per "terram" quae devastata, significatur ecclesia; per "tabernacula" quae devastata, significantur bona ejus; et per "cortinas" significantur vera ejus. Apud eundem,

> Nebuchadnezar rex Babelis "tabernaculum eorum et greges eorum sumet, cortinas eorum, et omnia vasa eorum, et camelos eorum auferet sibi" (xlix. 29):

haec de vastatione Arabiae, per quam significatur ecclesia quae in veris ex bono est; bona illius ecclesiae significantur per "tabernaculum et greges eorum," ac vera eorum per "cortinas et omnia vasa," ac cognitiones veri per "camelos;" per "Nebuchadnezarem regem Babelis" significantur mala et falsa quae devastant. Similia per "tabernacula Arabiae" significantur apud *Davidem* (Ps. cxx. 5). Apud *Jeremiam*,

> Ad Zionem "venient pastores et greges eorum; figent contra eam tabernacula.., depascent quisque spatium suum" (vi. 3):

per haec quoque describitur vastatio ecclesiae quoad bonum amoris; "Zion" est ecclesia in qua id bonum: "tabernacula" quae "figent contra eam pastores et greges," [1]significant mala et eorum falsa quae devastant illam; "depascent quisque spatium suum" significat quod prorsus deprivabitur bonis et veris. Apud *Hoscheam*,

> "Aegyptus congregabit eos, Moph sepeliet eos, desiderabile argenti eorum carduus possidebit.., et spina in tabernaculis eorum" (ix. 6):

haec de vastatione ecclesiae per falsificationes veri; per "Israelem," de quo haec dicuntur, illa ecclesia significatur: quod homo naturalis et ejus cupiditas deperdet eos, significatur per quod "Aegyptus congregabit eos, Moph sepeliet eos;" quod falsum deperdet omne verum, significatur per "desiderabile argenti carduus possidebit;" et quod

mala falsi deperdent omne bonum eorum, significatur per quod "spina in tabernaculis eorum." Apud *Esaiam*,

> "Qui habitat super circulo terrae, et habitatores ejus sicut locustae; qui extendit sicut tenue caelos, et expandit sicut tabernaculum ad habitandum" (xl. 22):

"habitare super circulo terrae" significat super caelo, nam caelum ambit terram sicut circulus centrum; inde Dominus vocatur "Altissimus," et "habitans in altissimis:" "habitatores ejus sicut locustae," significat homines in extremis, nam "locusta" significat vivum in ultimis, in specie verum, et in opposito sensu falsum ibi: "qui extendit sicut tenue caelos," significat omnipotentiam ad amplificandum caelos ex nutu: "et expandit sicut tabernaculum ad habitandum" significat similia, sed haec amplificationem caelorum quoad bona, et illa amplificationem illorum quoad vera. Apud *Hoscheam*,

> "Adhuc faciam te habitare in tabernaculis, juxta dies temporis stati" (xii. 10 [*B. A.* 9]):

haec de Ephraimo, qui ditatus dixit "se invenisse opes" (vers. 9 [*B. A.* 8]), per quae significatur quod cognitiones veri sibi comparaverit; per "Ephraimum" enim significatur intellectus Verbi, ac intellectuale ecclesiae; quare "Adhuc habitare te faciam in tabernaculis" significat quod adhuc in ecclesia ubi bonum; "juxta dies temporis stati" significat usque dum cognitiones illae pereunt. Apud *Sachariam*,

> "Servabit..Jehovah tabernacula Jehudae primo" (xii. 7):

"tabernacula Jehudae" sunt bona Verbi et bona ecclesiae, nam per "Jehudam" significatur Verbum, et quoque ecclesia quoad bonum amoris in Dominum. In *Threnis*,

> Dominus "tetendit arcum..sicut hostis, constitit dextra Ejus sicut inimicus, et occidit omnia desiderabilia oculorum; in tabernacula Zionis effudit sicut ignem iram suam" (ii. 4):

haec de devastatione ecclesiae quoad vera et quoad bona; devastatio quoad vera ejus, significatur per "Occidit omnia desiderabilia oculorum;" et devastatio quoad bona, per "Effudit iram sicut ignem in tabernacula Zionis;" "desiderabilia" in Verbo dicuntur de veris, et "oculi" de intellectu veri, "tabernacula" dicuntur de bonis, ac "ira sicut

ignis" de vastatione boni, "filia Zionis" significat ecclesiam quae in affectione veri ex amore boni est. Apud *Davidem*,

> "Soli posuit tabernaculum in" caelis (Ps. xix. 5 [*B. A.* 4]):

per "solem" ibi intelligitur Dominus quoad Divinum Amorem; quia in bono amoris sui habitat in caelis, ideo dicitur, "Soli posuit tabernaculum in caelis;" "tabernaculum" ibi est caelum Domini ex bono amoris. Apud eundem,

> "Jehovah...altissimum posuisti habitaculum tuum, non incurret in te malum, et plaga non appropinquabit ad tabernaculum tuum" (Ps. xci. 9, 10):

per "habitaculum Jehovae" et per "tabernaculum Ipsius" significatur caelum et ecclesia, per "habitaculum" caelum et ecclesia quoad vera, et per "tabernaculum" caelum et ecclesia quoad bona; remotio et tutatio a malis et a falsis mali, significatur per quod "altissimum posuerit habitaculum suum, non incurret malum, et non plaga appropinquabit." Apud eundem,

> "Evellet te e tabernaculo, et eradicabit te e terra viventium" (Ps. lii. 7 [*B. A.* 6]):

haec de Doeg Edomita: quod expulsus erit ab omni bono ecclesiae, significatur per "Evellet te e tabernaculo;" quod etiam a veris ecclesiae, significatur per "Eradicabit te e terra viventium;" "terra" est ecclesia, et "viventes" dicuntur qui in veris ex bono sunt. Per "tabernaculum" significatur ecclesia quoad bonum, seu bonum ecclesiae, etiam in sequentibus locis:—

> Quod Jehovah posuerit tabernaculum in medio illorum, ambulaturus in medio illorum, ut esset illis in Deum (*Levit.* xxvi. 11, 12);

hoc inter benedictiones erat.

> Postquam Dominus transformatus est coram Petro, Jacobo et Johanne, dixit Petrus, "Domine, bonum est nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula, Tibi unum, et Mosi unum, et Eliae unum" (*Matth.* xvii. 4; *Marc.* ix. 5; *Luc.* ix. [1]33);
> "Audivi vocem magnam e caelo dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, qui habitabit cum illis" (*Apoc.* xxi. 3);
> "Deseruit tentorium Schiluntis, tabernaculum, in quo habitavit inter homines" (*Psalm.* lxxviii. 60);
> "Repudiavit tentorium Josephi" (*Psalm.* lxxviii. 67).

Quod "tentorium" significet ecclesiam quoad vera doctrinae, constat ex locis in Verbo ubi "tentorium" et "tentoria" dicuntur

(Ut *Esai.* xxii. 16: *Jerem.* ix. [1]18 [*B. A.* 19]: *Ezech.* xxv. 4: *Amos.* ix. 11: *Hab.* i. 6: *Psalm.* xliii. 3; Ps. xlvi. 5 [*B. A.* 4]; Ps. lxxiv. 7).

[*c.*] Quoniam "tabernaculum" significabat caelum et ecclesiam quoad doctrinam boni amoris, et "tentorium" illam quoad doctrinam veri ex illo bono, et hoc ex sancto cultu Domini ab antiquissimis, ut in praemissis hujus articuli dictum est, ideo placuit Domino ut tabernaculum a Mose erigeretur, in quo cultus repraesentativus perageretur, quod describitur in *Exodo* (xxvi. 7–15; cap. xxxvi. 8–37): et postea mandatum est,

> Ut omnes tribus Israelis circum illud castrametarentur, et Levitae, qui custodiam ejus custodirent, juxta illud (*Num.* i. 10–54; cap. iii. 7–39);
> Et quoque quod proficiscerentur cum illo (*Num.* ix. 15, seq.).

Quod tabernaculum illud repraesentativum caeli et ecclesiae fuerit, patet manifeste ex eo,

> Quod forma ejus ostensa sit Mosi super Monte Sinai (*Exod.* xxv. 9; cap. xxvi. 30);

et quicquid in forma sistitur videndum in caelo et e caelo, id repraesentativum est. Quod illud fuerit repraesentativum ipsius caeli, ubi Dominus, et inde quoque ecclesiae, constare potest ex sanctitate ejus,

> Quod non liceret alicui in id intrare, nisi quam Aharoni et filiis ejus, et quod si populus accederet, morerentur (*Num.* xvii. 27, 28 [*B. A.* 12, 13]; cap. xviii. 1, 22, 23; cap. xix. 14–19):

tum

> Quod super illo fuerit nubes interdiu, ac species ignis noctu (*Exod.* xl. 38; *Num.* ix. 15; *Esai.* iv. 5, 6):

et deinde

> Quod festum celebraretur, quod Festum Tabernaculorum vocabatur, ac laetarentur ex proventu areae et torcularis (*Levit.* xxiii. 39–44; *Deutr.* xvi. 13, 14; *Sach.* xiv. 16, 18, 19):

per "proventum areae" significabatur omne bonum ecclesiae, simile quod per "panem" et "frumentum;" et per "proventum torcularis" significabatur omne verum boni ecclesiae, simile quod per "vinum," et per "laetari" tunc significabatur jucundum amoris caelestis et spiritualis ex illis. Quod omnia tabernaculi, sicut arca, propitiatorium cum cherubis super illo, velum, mensa super qua panes, altare suffitus, candelabrum, aulaea, tegumenta, asseres et columnae, funes, clavi, et reliqua, fuerint repraesentativa

caeli et ecclesiae, videatur in *Arcanis Caelestibus* super *Exodo*, in quibus omnia illa explicata sunt; ubi etiam ostensum est quod sanctitas omnium illorum fuerit ex Lege reposita in arca, nam per "Legem" significabatur Verbum, et repraesentabatur Dominus qui est Verbum.

800. *"Et eos in caelo habitantes."*—Quod significet *bona et vera spiritualia, ex quibus caeleste conjugium*, constat ex significatione "blasphemare eos qui in caelo habitant," quod sit falsificare bona et vera spiritualia[1]: per illos qui in caelo habitant, intelliguntur angeli; at quia angeli sunt angeli ex receptione Divini Boni et Divini Veri, et quia sensus spiritualis est abstractus a personis, ideo per "angelos" hic significantur bona et vera ex quibus illi sunt angeli; haec quoque significantur per "angelos" alibi in Verbo (videatur supra, n. 130, 302). Quod sint bona et vera spiritualia, quae per illos significantur, est quia omnes in caelo spirituales sunt, ac spiritualiter cogitant et loquuntur: aliter vero homines in terris; hi quia naturales sunt, naturaliter cogitant et loquuntur, quare etiam bona et vera apud hos naturalia sunt. Et quia bonum et verum se mutuo amant, et propterea non possunt non conjungi, ideo etiam dicitur, *ex quibus caeleste conjugium:* hoc etiam per "eos in caelo habitantes" significatur, quoniam omnes ibi in eo conjugio sunt, quare etiam caelum comparatur conjugio in Verbo; [quod] simile conjugium etiam [1]sit in singulis Verbi, videatur supra (n. [2]238 fin., 288[*b*], 484, 724[*a*]); et quod angelus non possit esse angelus caeli nisi in illo conjugio sit, aut nisi apud illum id conjugium sit, similiter homo ecclesiae (n. 660): ex quibus iterum patet quod homo non sit homo ecclesiae, qui separat fidem a bonis operibus. Ex his nunc constat quod per "blasphemare eos in caelo habitantes," significetur falsificare vera et bona spiritualia, ex quibus caeleste conjugium. In binis articulis praecedentibus actum est de illis qui separant fidem a bonis vitae, et per id ita falsificant Verbum ut claudant sibi caelum; tum de illis qui adjungunt fidei bona vitae, et per id usque non ita falsificant Verbum ut claudant sibi caelum: nunc ordine sequitur, ut aliquid dicatur de illis, qui, tametsi in ecclesiis sunt ubi sola fides agnoscitur, usque non falsificant Verbum. Hi sunt illi,—(1.) Qui non separant fidem a vita, sed conjungunt, credendo quod fides et vita unum faciant, sicut

affectio et cogitatio, sicut voluntas et intellectus, sicut calor et lux tempore veris et aestatis, ex quorum conjunctione omnis germinatio, et sicut verum et bonum, si pro fide assumitur verum et pro vita bonum, de quorum omnium conjunctione videatur *Doctrina Novae Hierosolymae*. Hi affirmant apud se quod nemo qui male vivit possit fidem habere, sed qui bene vivit; et quod qui male vivit non recipere possit fidem, nisi paenitentiam vitae agat, explorando sua mala, et desistendo ab illis; tum quod qui male vivit non possit in spiritu suo seu in se aliam fidem habere quam fidem falsi, utcunque ore confitetur fidem veri: qui itaque vitam et fidem ita conjungunt confessione et opere, illorum vita est charitas, et fides est cogitatio quod ita sit in veritate. Horum fides tantum spiritualis est, quantum sciunt vera ex Verbo, et vivunt secundum illa; nam fides fit spiritualis ex vita, et quantum homo inde spiritualis fit, tantum ei aperitur caelum. (2.) Nec illi falsificant Verbum qui non sciunt, nec volunt scire, quod fides aliud sit quam credere illa quae in Verbo sunt, et facere illa; vident enim quod credere et facere fides sit, et quod credere et non facere sit fides oris et non cordis, ita extra hominem et non intra illum. Hi, si faciunt, credunt quod fides sit credere quod Deus sit, quod caelum et infernum sint, quod vita post mortem sit, quod amare Deum et amare proximum sit facere mandata in Verbo; tum quantum desistunt a malis, ac fugiunt et aversantur illa, quia peccata sunt, tantum illa faciant ex Deo et non ex se; illi etiam credunt quod Dominus in mundum venerit ad salvandum illos qui credunt in Ipsum, et faciunt quae docuit. (3.) Hi quia non sciunt, nec volunt scire, quod fides aliud sit, non agnoscunt justificationem et salvationem per hoc unicum credendum, quod Deus Pater miserit Filium suum, ut per sanguinem Ipsius fieret propitiatio, redemptio et salvatio; percipiunt enim quod id solum [1]credere, et non vivere aliquam vitam fidei, quae est charitas, plus damnet quam justificet; quod plus damnet, est causa quia non est fides veri sed fides falsi, est enim fides quod sit immediata misericordia, quod sit reformatio et regeneratio absque mediis, quod sit imputatio, quod sit propitatio, quod sit intercessio, quorum nulla tamen datur. Et praeterea non verum est quod Filius ab aeterno natus a Patre missus sit in mundum;

nec verum est quod Pater per sanguinem Filii propitiatus sit; nec verum est quod Dominus in Se transtulerit peccata, et sic redemerit; praeter plura: quae quatenus sunt apparentiae veri ex sensu litterae Verbi, dici et quoque cogitari possint, sed non confirmari usque ad destructionem genuini veri quod in caelo est, et quod doctrina ecclesiae ex Verbo potest docere. Qui itaque immittunt omnia fidei in illam confessionem, ii non modo omnia vera, quae innumerabilia sunt, ex quibus est vita et sapientia angelis et hominibus, ad latus rejiciunt; ac universam theologiam in aliquot voces cum fiducia enuntiatas, in quibus non vera compingunt; sed etiam ad voces illas confirmandas non possunt non falsificare Verbum, et per id sibi caelum claudere. Verum de hac re alibi plenius. Haec nunc de illis qui falsificant Verbum, et de illis qui non falsificant.

VERSUS 7.

801. ***"Et datum ei bellum facere cum sanctis, et vincere illos; et data ei potestas super omnem tribum, linguam et gentem."***

7\. ***"Et datum ei bellum facere cum sanctis, et illos vincere,"*** significat *pugnam cum illis qui in veris ex bono sunt, et non assecuti combinationes propter apparentias* [n. 802]; ***"et data ei potestas super omnem tribum, et linguam et gentem,"*** significat *dominationem super omnia vera et bona ecclesiae, et super doctrinam fidei et amoris* [n. 803].

802[*a*]. [*Vers.* 7.] ***"Et datum ei bellum facere cum sanctis, et vincere illos."***—Quod significet *pugnam cum illis qui in veris ex bono sunt, et non assecuti combinationes propter apparentias*, constat ex significatione "belli," quod sit pugna spiritualis, quae est veri contra falsum, ac falsi contra verum (de qua supra, n. 573, 734); inde "bellum facere" est pugnare ex veris contra falsa, et ex falsis contra vera, hic ex falsis contra vera: ex significatione "sanctorum," quod sint qui in veris ex bono sunt (de qua etiam supra, n. 204): et ex significatione "vincere illos," quod sit illos suae doctrinae et inde religionis facere; et quia hoc faciunt per ratiocinia, per quae inducunt falsis apparentias veri, et per loca e sensu litterae Verbi, per quae ratiocinia sua confirmant, ideo per illa verba etiam significatur, qui non assecuti, seu non intellexerunt, quomodo fides conjungi potest cum bonis operibus, propter inductas falsis apparentias veri: ex his constare potest quod per "Datum bestiae bellum

facere cum sanctis, et illos vincere," significatur pugna cum illis qui in veris ex bono sunt, et non assecuti combinationes propter apparentias. Supra pluribus in locis actum est de ratiociniis, per quae defensores fidei separatae a vita induxerunt falsis apparentias veri, per quas sibi visi sunt submovisse discordantias cum Verbo; verum quod discordantias non submoverint, sed quod telam quasi araneae inconspicuam texuerint, ad inducendum fidem falsis, constare potest ex illis quae supra (n. 780[a], 781[a,b], 786, 790[a]) allata sunt; et quoque ex his: quod doctrina, praedicatione, et scriptis satagant et instent quod fides data sit medium salvationis, quia homo non potest bonum facere a se; et quod usque Deus operetur bona apud hominem illo inscio; per quam operationem mala, quae homo justificatus per fidem facit, non sunt peccata, sed naturae infirmitates; et quod mala ex proposito seu voluntaria, vel statim, vel post aliquam paenitentiam oris, remittantur: et quod inde sequatur, quod per "opera" et per "facere," in Verbo, intelligatur fides ac fidem habere. Haec tela eorum est, per quam inducunt simplicibus credere quod ex thesauris sapientiae seu interioris perceptionis, qui unice apud doctores et eruditos repositi sunt, deprompserint auctoramenta firma pro stabiliendo fidem separatam a manifesto conatu, qui est voluntas, faciendi bona ab homine; ita sibi et universo populo ecclesiae remittunt et laxant frena, ut ex lubitu et ex genio omnium concupiscentiarum agant et vivant; quod dogma, quia carni et oculis placet, communis coetus libenter recepit: hoc itaque est, quod significatur hic per quod "datum sit bestiae bellum facere cum sanctis, et vincere illos." Sed ne antistites, qui in id dogma, cum in sacerdotium, initiantur, et ex illis populus ecclesiae, veneno per astutas ratiocinationes parato, ex quo non possunt non mori, infectentur, velim reassumere modo memoratas argumentationes de separatione fidei a bonis faciendis ab homine, tum conjunctiones fallaciter nexas, per quas procedunt ab aliquo ad nihil, seu a vero ad falsum, et in luce coram intellectu aliquatenus illustrato sistere falsa mali et mala falsi detestanda, quae dogmati isti plusquam haeretico insunt, et ex eo continente fluxu scaturiunt.

[b.] Primum, *Quod fides data sit medium salvationis, quia homo non potest bonum facere a se.*—Quod homo non

possit bonum facere a se, hoc verum est; et quia homo non potest aliquam fidem habere a se, sequitur quod sicut non potest facere aliquid ex se, ita nec possit aliquid credere a se; quis enim homo ecclesiae non agnoscit quod fides sit a Deo, et non ab homine? Inde nunc prorsus similia dicenda sunt de fide, quae de operibus. De operibus dicitur, Si illa ab homine, et dum ab homine, non justificent. Simile erit cum fide, si ab homine et dum ab homine; et tamen quisque credit a se; manifeste enim in se, sicut a se, id quod fidei est cogitat et vult cogitare. Si itaque non aliter cum fide sit, quam sicut cum operibus, sequitur quod solum electi possint fidem habere et salvari, quod involvit praedestinationem, ex qua fluit omnimoda securitas vitae apud malos, ac deprivatio omnis spei, ex qua desperatio, apud bonos; cum tamen omnes praedestinati sunt ad caelum, et vocantur electi qui discunt vera et faciunt illa. Quoniam simile est cum fide sicut cum bonis operibus, etiam sequitur quod homo non aliter agere possit et debeat, quam sicut automaton, aut sicut quod nullius vitae est, exspectando influxum a Deo ut moveatur, et sic eat nihil cogitando et nihil volendo quod mandatum est in Verbo; cum tamen homo talis continue aliquid ex se cogitat et vult, et quia id quod ex se est non ex Deo est sed ex inferno, et tamen ex inferno cogitare et velle est contra Deum, ac duo opposita simul non dantur, talis homo sit vel fatuus vel atheus. Si quis posthac dixerit quod fides, quia data est medium salvationis, possit recipi ab homine, sicut ab illo, dicitur verum; at fidem habere, hoc est, cogitare quod ita sit, et inde loqui, sicut a se, et non posse velle quia ita est sicut a se, est annihilare fidem; unum enim absque altero est non ens. Si autem quis dixerit quod fides justificans sit modo credere quod Deus Pater miserit Filium, ut per passionem crucis Ipsius fieret propitiatio, redemptio et salvatio, et hoc non involvit aliquod faciendum, etiam quia est imputatio quae salvat; sed quia in hoc credendo non est aliquod verum caeli, ut in suo loco demonstrabitur, sequitur quod fides falsi, quae est fides mortua, justificet.

Secundo, *Quod usque Deus operetur bona apud hominem, illo inscio.*—Quod Deus operetur bona apud hominem, hoc verum est; et quoque perplurima, homine nesciente; sed

usque necessaria ad salvationem, dat Deus homini percipere: Deus enim operatur ut homo cogitet et loquatur illa quae fidei sunt, ac ut velit et faciat illa quae amoris sunt; cum homo inde cogitat, loquitur, vult et facit, non potest aliter quam ut cogitet, loquatur, velit et faciat sicut a se; operatur Deus in illa apud hominem quae a Se in illo sunt, nempe in vera quae fidei sunt, et in bona quae amoris sunt; quare cum Deus sistit illa in intellectu, et haec in voluntate, apparent homini sicut sua, et sicut sua producit; cogitare et loqui, tum velle et facere aliter a Deo nemo potest: satis est, quod homo sciat et agnoscat quod a Deo sint: ipsa illa operatio Divina fit saepe homine nesciente, sed effectus inde fiunt homine sciente: ita intelligitur,

Quod non possit "homo sumere quicquam, nisi sit datum illi e caelo" (*Joh.* iii. 27);
Dixit Jesus, "Sine Me non potestis facere quicquam" (*Joh.* xv. 5).

Si homo non conscius esset in cogitandis veris, et in faciendis bonis, ex causa ne vera et bona sint a se, homo foret vel sicut animal vel sicut stipes; ita non posset aliquid Dei aut aliquid a Deo cogitare et velle, ita non posset conjungi Deo per fidem et per amorem, ac vivere in aeternum. Differentia inter animalia et inter homines est, quod animalia non possint cogitare et loqui vera, ac velle et facere bona a Deo; at quod homines possint, ac ita credere illa quae cogitant, et amare illa quae volunt, et hoc sicut a se; si non sicut ex se, influxus et operatio Divina transflueret, et non reciperetur, foret homo sicut vas absque fundo, quod nihil aquae recipit: cogitatio hominis est receptaculum veri, et voluntas receptaculum boni, et receptio non datur nisi conscio homine; et si non receptio, non daretur reciprocum, quod facit ut sit quasi hominis quod Dei est: omne agens quod vult se cum alio conjungere, necessario habebit aliquod sicut ejus cum quo se conjungit, alioqui non datur reagens; et ubi non actio et simul reactio, non datur conjunctio: illa apud hominem, cum quibus Deus, qui est solus Agens, Se conjungit, sunt intellectus et voluntas; hae facultates sunt hominis; quae cum agunt, tametsi a Deo, non possunt aliter agere quam sicut a se: inde nunc sequitur, quod vera et bona, quae non ita fiunt, non sint aliquid. Sed haec illustrent exempla. Mandatum est in Verbo

quod homo non adulterabitur, non furabitur, non occidet, non false testabitur: quod homo possit illa facere a se, notum est; tum etiam quod homo possit desistere ab illis, quia peccata sunt; sed usque non potest desistere ab illis ex se, sed ex Deo; cum autem desistit ab illis a Deo, cogitat usque homo quod velit desistere ab illis quia peccata sunt; ita desistit ab illis sicut a se; et cum hoc factum est, tunc quia adulterium vocat peccatum, in castitate vivit et castitatem amat, etiam hoc sicut a se; et quia furtum vocat peccatum, in sinceritate vivit, et sinceritatem amat, etiam hoc sicut a se; cum necem vocat peccatum, tunc in charitate vivit, et charitatem amat, et hoc sicut a se; cum falsum testimonium vocat peccatum, tunc in veritate et in justitia vivit, ac veritatem et justitiam amat, et hoc sicut a se: et tametsi illa vivit et amat sicut a se, usque illa vivit et amat ex Deo; nam quicquid homo ex ipsa castitate, ex ipsa sinceritate, ex ipsa charitate, et ex ipsa veritate et justitia, sicut ex se facit, ex Deo facit, et inde bona sunt: verbo, omnia quaecunque homo ex illis sicut ex se facit, remotis malis, a Deo sunt, et bona sunt; at omnia quae homo facit, antequam remota sunt mala, tametsi sint opera castitatis, opera sinceritatis, opera charitatis, opera veritatis et justitiae, usque non bona sunt, quia sunt ab homine. Quoniam omnia opera, tam quae a Deo quam quae non a Deo fiunt, non possunt aliter quam ab homine, aut sicut ab ipso, patrari, patet cur toties in Verbo dicuntur "opera," "facta," "operari" et "facere," quae nequaquam dicta et mandata fuissent si fierent a Deo, homine nesciente, secundum interiorem sensum doctrinae illorum qui separant fidem a bonis operibus.

Tertio, *Quod mala, quae homo justificatus per fidem facit, non sint peccata, sed infirmitates naturae ejus, et quod mala voluntaria seu ex proposito, vel statim, vel post aliquam paenitentiam oris, remittantur:* haec est confessio illorum qui penitius scrutati sunt, et intraverunt in arcana separationis fidei a bonis operibus, cum varietate apud quosdam secundum acumen ratiocinandi et concludendi, sunt enim consectaria; nam qui addicant omne salvationis soli fidei, et derogant omne salvationis bonis operibus, dicunt se in gratia esse, et quidam in Deo esse; si in gratia, concludunt quod mala non videantur, et si videntur quod statim remit-

tantur; si in Deo, quod nihil damnet, ita quod mala non sint peccata, quia illa damnant, sed quod sint infirmitates naturae; et quia mala ex voluntario, quae in Verbo vocantur peccata quae sunt alta manu, non sunt infirmitates naturae, dicunt quod remittantur, vel statim, vel post aliquam paenitentiam oris, quoniam justificatus per fidem in bono est, qui paenitentia vitae non opus habet; addunt quidam, quia ex permissione facta sunt. Haec etiam consequuntur ex eo, quia credunt quod justificatus per fidem redemptus sit, coram Deo purificatus, ac regeneratus; et quia bonum a se non potest facere, quod meritum Domini ei addicatur et imputetur, ex qua imputatione, et simul ex redemptione et regeneratione, ut filius Dei adoptatur, ac ducitur a Deo Patre, et illuminatur a Spiritu sancto; unde opera ejus accepta sunt, ac mala non sunt mala sicut apud alios; quae quia non damnant, non possunt peccata vocari, sed infirmitates, quae unicuivis adhaerent, ut hereditas, ex Adamo, quae ut primum exsurgunt, remittuntur ac ejiciuntur: praeter plura, et varia, secundum ideas de essentia fidei, ac de ejus separatione a bonis vitae, aut de fidei conjunctione cum illis. Sed singula haec sub examen mittere, non interest; sunt enim scaturigines ex falso principio, ex quo non possunt quam falsa in continua serie profluere. Quis non scit, et agnoscit, dum secum cogitat, quod homo se exploraturus sit, peccata sua coram Deo confessurus, quod illa abominaturus, et postea novam vitam acturus sit, ut vitam aeternam hereditet? Haec docent solennes preces in ecclesiis, imprimis per quas praeparatio fit ad obeundum sacramentum Cenae; haec docet Verbum, et docent omnes praedicationes ex Verbo; et haec dictat ratio parumper illustrata: sed usque lux hujus veri exstinguitur, ut primum aliquis studet arcanis doctrinae, et inde eruditionis famam captare vult; is quia ducitur ab amore sui, et inde a fastu propriae intelligentiae, recedit a fide communis coetus, et amplectitur falsum quod destruit omne verum Verbi, et omne verum caeli; ac quia creditur doctus, post se trahit et seducit multos, et sic dispergit oves quas colligeret, docendo quod non aliquod malum damnet illum qui ex fiducia cogitare et enuntiare potest quod Christus passus sit pro illo, et per id redemerit illum: sed quod nihil vitae in illa fide sit, videbitur in sequentibus.

Sunt illi non absimiles illis qui in visione ex phantasia sunt, qui dum vident homines, credunt esse spectra, et cum simulacra credunt esse homines; sic vident vera ut falsa, ac falsa ut vera, imprimis si phantasia ex lumine infatuato per fallacias callet formare imagines lumini suo conformes: hi sapientiam spectant in delirio arcanorum suorum, non scientes quod post vitam in mundo melior sors sit illis qui ea ignorant.

Quarto, *Quod per "opera" et per "facere" in Verbo intelligatur fides et fidem habere.* Per haec volunt persuadere quod verificent omnia Verbi, cum tamen omnia ejus [1]falsificant; ita enim concludere est contradictorium et est falsiloquium. Contradictorium est dicere quod per "facere bona" intelligatur fidem habere, cum tamen recepta fides non modo separet bona opera, sed etiam a salvationis medio excludat illa; in aliquo, ita in fide, in qua dicitur non modo esse aliquid sed etiam omne, non potest dari quod separatum et exclusum est, ita nec per id intelligi: contradictorium etiam est quod per salvificum et per spirituale, quod dicitur esse fidei, intelligatur simul non salvificum et non spirituale; fidem enim vocant salvificam et spiritualem, opera autem non salvifica, ita non spiritualia. Falsiloquium est quod operatio Divina absque ulla hominis cooperatione intelligatur per "opera" et per "facere" in Verbo, cum tamen mandatum est homini ut faciat illa: falsiloquium etiam est quod per "bona opera" intelligitur fides quae recepta est, ac vocatur salvificans, cum tamen illa est solius cogitationis, et nihil voluntatis. Dicunt etiam quod "opera" et "facta" dicta sint in Verbo propter simplices, qui non capiunt arcana fidei. At sciendum est quod aliud sit credere alicui et credere in aliquem, sicut credere quod Deus sit, et credere in Ipsum; credere in Deum, aut in nomen Ipsius, significat et facere et fidem habere: ut apud *Johannem*,

> "Quotquot..receperunt.., dedit illis potestatem ut filii Dei essent, credentibus in nomen Ipsius; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt" (i. 12, 13):

qui "non ex sanguinibus," sunt qui non falsificant Verbum; qui "non ex voluntate carnis," sunt qui non in cupiditatibus ex amore sui sunt; qui "non ex voluntate viri," sunt qui non in falsitatibus ex fastu propriae intelligentiae; qui

"ex Deo nati," sunt qui per vera ex Verbo, et per vitam secundum illa, a Domino regenerati sunt; hi sunt qui credunt in nomen Domini, ac inde "filii Dei" vocantur. Talis fides non est fides doctorum ecclesiae hodie.

803[*a*]. ***"Et data ei potestas super omnem tribum, et linguam et gentem."***—Quod significet *dominationem super omnia vera et bona ecclesiae, et super doctrinam fidei et amoris*, constat ex significatione "potestatis," quod sit dominatio; ex significatione "tribus," quod sint vera et bona ecclesiae in genere (de qua supra, n. 39, 330, 430, 431, 454, 657); ex significatione "linguae," quod sit doctrina ecclesiae, tum confessio et religio (de qua etiam supra, n. 330, 455, 625, 657), hic doctrina fidei; et ex significatione "gentis," quod sit bonum amoris, tum doctrina amoris et inde ecclesiae (de qua supra, n. 175, 331, 625, 657): inde constare potest quod per quod "potestas data sit bestiae super omnem tribum, et linguam et gentem," significetur dominatio super omnia vera et bona ecclesiae, et super doctrinam fidei et amoris; et quia per "bestiam" significatur fides separata a vita per ratiocinia ex naturali homine corroborata et firmata, sequitur quod isti fidei data sit dominatio super omnia ecclesiae et ejus doctrinae. Quod ei data sit dominatio, patet ex eo, quod sola fides sit universale principium regnans in ecclesiis, assumpta enim est pro essentiali medio salutis, quod etiam manifeste patet a doctrinis ecclesiarum, tum ex confessione oris hominum ecclesiae, et in communi ex vita eorum; et ex eo, quod non sciant quid charitas et amor, proinde quid opera: et quia talis est dominatio fidei separatae, ideo etiam est ei dominatio super omnia vera et bona ecclesiae, quae exstinguit, falsificando, pervertendo et adulterando illa; nam ubi illa fides dominatur, non amplius est aliquod bonum, et inde nec verum. Notum est quod fides ex amore sit essentiale medium salutis, et quod inde sit principium doctrinae ecclesiae; sed quia interest scire quomodo homo in illustratione possit esse, ut discat vera quae fidei ejus erunt, et in affectione, ut faciat bona quae amoris ejus erunt, ita num fides sit fides veri, et amor sit amor boni, dicetur in suo ordine; qui hic est:—(1.) Ut homo quovis die legat Verbum, unum caput aut duo, ac discat a magistro et ex praedicationibus dogmata religionis suae; ac imprimis discat quod Deus unus

sit, quod Dominus Deus caeli et terrae sit

(*Joh.* iii. 35; cap. xvii. 2: *Matth.* xi. 27; cap. xxviii. 18),

quod Verbum sanctum sit, quod caelum et infernum sint, et quod vita post mortem sit. (2.) Ex Verbo, ex magistro et ex praedicationibus, discet quae opera peccata sunt, et quod imprimis sint adulteria, furta, neces, falsa testimonia, et plura quae in decalogo; tum quod lascivae et obscenae cogitationes etiam adulteria sint, quod fraudes et lucrationes illicitae etiam furta sint, quod odia et vindictae etiam neces sint, quodque mendacia et blasphemationes etiam falsa testimonia sint; et sic porro. Haec et illa discet ab infantia usque ad adolescentiam. (3.) Quando homo incipit a se cogitare, quod fit post adolescentiam, tunc primum et primarium ei erit, *ut desistat a malis faciendis, quia peccata sunt, contra Verbum, ita contra Deum; et quod si illa facit, ei non vita aeterna sit, sed infernum;* et deinde dum adolescit et senescit, ut fugiat illa sicut damnata, et aversetur cogitationes cum intentione de illis. Sed ut desistat ab illis, ac fugiat et aversetur illa, supplicabit Dominum de ope. Peccata a quibus desistet, ac quae fugiet et aversabitur, sunt imprimis adulteria, fraudes, lucrationes illicitae, odia, vindictae, mendacia, blasphemationes, elationes animi. (4.) Quantum homo illa detestatur, ex causa quia sunt contra Verbum, et inde contra Deum, tantum datur ei communicatio cum Domino, et fit ei conjunctio cum caelo; intrat enim Dominus, et cum Domino caelum, sicut removentur peccata; haec enim et eorum falsa unice obstant. Causa est, quia homo in medio inter caelum et infernum constitutus est; quare infernum ab una parte agit, et caelum ab altera; quantum itaque removentur mala quae ab inferno sunt, tantum intrant bona e caelo; nam dicit Dominus,

"Ecce sto ad ostium et pulso; si quis audiverit..., et aperuerit ostium, intrabo ad illum" (*Apoc.* iii. 20).

Si autem homo a malis illis faciendis ex quacunque alia causa desistit quam quia peccata sunt, et contra Verbum et inde contra Deum, non fit ei conjunctio cum caelo, quia a se desistit, et non a Domino: Dominus est in Verbo, adeo ut dicatur "Verbum" (*Joh.* i. 1, 2, 3, 4), quia Verbum

est ab Ipso; quod inde sit conjunctio caeli cum homine ecclesiae per Verbum, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 303–310). (5.) Tunc quantum homo peccata illa detestatur, tantum intrant affectiones bonae: sicut quantum detestatur adulteria, tantum intrat castitas; quantum detestatur fraudes et lucrationes illicitas, tantum intrat sinceritas et justitia; quantum detestatur odia et vindictas, tantum intrat charitas; quantum detestatur mendacia et blasphemationes, tantum intrat veritas; et quantum detestatur elationem animi, tantum intrat humilitas coram Deo, et amor proximi sicut sui; et sic porro. Exinde sequitur quod fugere mala sit facere bona. (6.) Quantum homo in bonis illis affectionibus est, tantum ducitur a Domino, et non a semet; et quantum ex illis agit, tantum bona facit, quia illa a Domino et non a semet facit; agit tunc ex castitate, ex sinceritate et justitia, ex charitate, ex veritate, in humilitate coram Deo, ex quibus nemo potest agere ex se. (7.) Affectiones spirituales quae a Domino donantur homini, qui in illis est et ex illis agit, sunt affectio sciendi ac intelligendi vera et bona caeli et ecclesiae, una cum affectione volendi et faciendi illa; tum affectio cum zelo pugnandi contra falsa et mala, ac discutiendi ea, apud se et apud alios: inde homini est fides et amor, et inde ei intelligentia et sapientia. (8.) Ita, et non aliter, homo reformatur; et quantum scit et credit vera, ac vult et facit illa, tantum regeneratur, et a naturali fit spiritualis: similiter fides ejus et amor ejus.

[*b*.] Si mala non remota sunt quia sunt peccata, omnia quae homo cogitat, loquitur, vult et facit, non bona sunt nec vera coram Deo, utcunque apparent sicut bona et vera coram mundo. Causa est, quia non a Domino, sed ab homine sunt; est enim hominis et mundi amor, ex quo illa, et qui in illis. Plerique hodie credunt quod in caelum venturi sint, si fidem habent, pie vivunt, et bona faciunt; et tamen non aversantur mala quia peccata sunt, et inde vel faciunt illa, vel credunt esse licita: et qui credunt quod licita sint, illi faciunt illa quando copia datur; sed sciant quod fides illorum non fides sit, quod pia illorum non pia sint, et quod bona illorum nec bona sint, scaturiunt enim ex impuris, quae intus apud hominem latent: externa trahunt omnia sua ab internis; dicit enim Dominus,

"Pharisaee caece, purga prius interius poculi et patinae, ut fiat etiam exterius..mundum" (*Matth.* xxiii. 26).

Ex his nunc constare potest, si homo implere posset omnia legis, si daret multa pauperibus, si bonum faceret pupillis et viduis, immo etiam si daret esurientibus edere, potaret sitientes, colligeret peregrinos, indueret nudos, visitaret aegrotos, iret ad vinctos in carcere, si Evangelium strenue praedicaret, converteret gentes, frequentaret templa, praedicationes devote auscultaret, quotannis saepe obiret sacramentum Cenae, vacaret precibus, et plura, ac internum ejus non purificatum est ab odio et vindicta, ab astu et malitia, ab insinceritate et injustitia, a spurca jucunditate adulterii, ab amore sui et inde amore imperandi et fastu propriae intelligentiae, a contemptu aliorum prae se, et a reliquis malis et inde falsis, usque omnia illa opera sunt hypocritica, et sunt ex ipso homine et non a Domino. At vero eadem illa opera, quando internum purificatum est, sunt omnia bona, quia a Domino apud hominem; qui non potest aliter quam facere, quia in fide et amore faciendi illa est. Hoc ex mille exemplis e mundo spirituali mihi testatum factum est. Audivi quod pluribus datum sit recordari actorum suae vitae in mundo, et enumerare bona quae fecerunt; sed cum aperiebatur internum eorum, deprehensum est illud plenum omni malo et inde falso: et tunc revelatum est illis quod bona quae enumeraverunt, ex se fecerint, quia propter se et mundum; et quod scaterent malis ab interioribus eorum; unde apparuerunt vel sicut igne adusta, vel sicut fuliginosa. Aliter vero apud illos qui abstinuerunt a malis faciendis ex Verbo, ac dein fugerunt et aversati sunt illa, propterea quod peccata essent, et contra amorem in Deum, et contra charitatem erga proximum; eorum opera, tametsi similiter illis percepta sicut a se facta, omnia bona fuerunt, et apparuerunt [1]ex luce caeli sicut nix alba et lana (*Esai.* i. 12–18). Haec opera sunt, quae in Verbo intelliguntur per "opera," quae a fide nullatenus separari possunt; nam fides ab illis separata est mortua, et fides mortua est fides falsi ex amore malo, vel est cogitatio quod ita sit, et usque vita mala.

Quod abstinere a malis ex quacunque alia causa quam ex Verbo, non purificet internum hominem, patet ab ori-

gine malorum operum et ex origine bonorum; ut qui abstinet ab adulteriis ex timore legis civilis et ejus poenarum, ex timore jacturae famae et inde honoris, timore damni existenti ex paupertate, tenacitate aut avaritia; ex timore aegritudinum ex illis, ex timore jurgiorum domi ab uxore, et inde intranquillitatis vitae, ex timore verberum a mariti laesi servis, ex infirmitate oriunda ex abusu, aut ex aetate, ex impotentia, immo etiam ex bono naturali et inde morali, quod non sit decorum et honestum, etc., et ex illis solis causis caste vivit, is usque est interius incastus et adulter, si non abstineat ab illis ex spirituali fide, quae fides est quod adulteria sint infernalia, quia sunt contra legem Divinam, et inde contra timorem Dei, et amorem proximi. Similiter in reliquis.

Ex nunc allatis videri potest quid est internum et externum, tum quid fides et amor; quod nempe fides et amor sint apud hominem, quando internum ejus a malis modo supradicto purificatum est; et quod non sint, si illud non purificatum est; et quod ubi fides et amor, ibi sit caelum; et quod ubi non fides et amor, ibi sit infernum. Plura de his videantur infra (n. 825).

VERSUS 8, 9.

804. ***"Et adorabunt eam omnes habitantes super terra, quorum non scripta nomina in libro vitae Agni, mactati a fundatione mundi. Si quis habet aurem, audiat."***

8. ***"Et adorabunt eam omnes habitantes super terra,"*** significat *agnitionis necessitatem ab illis qui intra ecclesiam nati sunt* [n. 805]; ***"quorum non scripta nomina in libro vitae,"*** significat *ab omnibus qui non spirituales facti sunt per regenerationem a Domino* [n. 806]; ***"mactati a fundatione mundi,"*** significat *cujus Divinum in Humano non agnitum est a prima instauratione hujus ecclesiae* [n. 807].

9. ***"Si quis habet aurem, audiat,"*** significat *receptionem ab illis qui in intellectu veri et inde perceptione boni sunt* [n. 808].

805[*a*]. [*Vers.* 8.] ***"Et adorabunt eam omnes habitantes super terra."***—Quod significet *agnitionis necessitatem ab illis qui intra ecclesiam nati sunt*, constat ex significatione "adorare," quod sit agnoscere et credere quod ita sit, et inde id recipere doctrina et cultu; quod haec per "adorare" significentur, constare potest ex illis quae supra (n. 789, 790) dicta sunt, ubi explicatum est quid significatur per quod "adoraverint draconem, qui dedit potestatem bestiae," et quod "adoraverint bestiam;" quod agnoverint

ex necessitate, patet ab illis quae in mox praecedente articulo dicta et ostensa sunt: ex significatione "habitantium super terra," quod sit ab illis qui intra ecclesiam nati sunt, per "terram" enim significatur ecclesia, et per "habitantes super illa" significantur qui ibi sunt et vivunt: quod nati ibi intelligantur, est quia cuivis est religio suae patriae, ex causa imprimis quia educatur in illam, et postea confirmatur in illa ex praedicationibus; praecipue quia pauci sunt qui student doctrinae ecclesiae ac interiori Verbi intellectui, credentes quod talia transcendant captum, et quoque quod non videnda seu intelligenda sint, sed modo credenda; inde est, quod agnitionis necessitas sit illis qui intra ecclesiam nati sunt, quae significatur per quod "adorabunt bestiam omnes habitantes super terra." Quod ita sit, imprimis constare potest ex recepta fide, quam vocant unicam salvantem, *Quod Deus Pater miserit Filium suum in Mundum, ut per Passionem Crucis Ipsius fiat Propitiatio, Redemptio et Salvatio;* quae fides, si foret secundum ideam defensorum fidei separatae a vita, et inde secundum praedicationes ex doctrina, nulla fides est; ut constare potest ex omnibus et singulis quae fidei isti insunt, et quae ex illa consequuntur, quae sunt,

(i.) *Quod sit Propitiatio, nempe propitiatio Dei Patris per passionem seu per sanguinem Filii sui.*
(ii.) *Quod sit Misericordia seu Miseratio Dei Patris propter Filium.*
(iii.) *Quod fuerit Portatio iniquitatum nostrarum a Domino, et inde Liberatio ab illis.*
(iv.) *Quod detur Imputativum, et sic quod sit Imputatio meriti Domini per quam salvamur.*
(v.) *Quod sit Intercessio Domini apud Patrem.*
(vi.) *Quod sit Redemptio et Salvatio absque mediis vitae et fidei, et inde quod sit immediata Misericordia.*
(vii.) *Quod in illa fide sit nulla religio, sed quod sit inanitas et vacuitas.*
(viii.) *Quod nec in illa sit aliqua fides in Dominum, nec agnitio Divini Ipsius in Humano Ipsius.*
(ix.) *Consequenter quod fiducia illius fidei et confidentia, quae hodie pro unica fide salvante recepta est, sit vox inanis.*
(x.) *Quod fides salvans prorsus alia sit.*

Sed quia in ore paene omnium est, qui ab ecclesia sunt, quod Dominus passus sit crucem propter nostra peccata,

et quod illa in Se transtulerit, ac portaverit, et per id non solum reconciliaverit Patrem, sed etiam nos redemerit ab inferno, ac quod per id meritum Domini salvemur, si modo ex fiducia et ex confidentia id credimus, necessum est ut primum exploretur num talia secundum opinionem communem intelligenda sunt.

[*b.*] (i.) Quod itaque primum attinet, *Quod sit Propitiatio, nempe propitiatio Dei Patris per passionem seu per sanguinem Filii sui;* hoc involvit rejectionem seu abalienationem generis humani ex aliqua ira aut vindicta, quae vocatur justitia vindicativa, quae a Deo Patre imposita Filio suo, ut per passionem crucis Ipsius generi humano reconciliaretur, et sic propitiaretur. Quis non videt quod rejicere a Se genus humanum, aut ex justitia ulcisci abalienationem ejus, sit contra ipsam essentiam Divinam, quae est ipse Amor, ipsa Misericordia, ac ipsum Bonum? Talis vindicatio ne quidem datur apud ullum angelum, ac vix apud hominem probum, minus apud Deum. Quis etiam non videt quod durum sit cogitare quod vindicativum illud Filio a Patre suo impositum sit, aut quod Ille id in Se susceperit, ac quod ex intuitione et recordatione ejus Deo Patri misericordia sit, et non ex ipso Divino Amore, qui in essentia sua est infinitus, aeternus et immediatus erga omne genus humanum? Quare non scio an quisquam possit a Deo et cum Deo cogitare, quod rejectus sit a Deo, et quod ideo ex voluntate Patris damnatus sit Filius, ac per id factus propitiatorium ac solium gratiae. Praeterea justitia est attributum Divinum, non autem justitia vindicativa, et adhuc minus in alio propter alium; si non est justitia, nec est ex Divino ordine salvari propter alium, sed per alium; nec potest Deus reconciliari per aliud quam per paenitentiam ipsius hominis. Quod salvari per Dominum, et quoque per passionem crucis Ipsius, et sic a Domino, sit propitiatio et expiatio, videbitur in sequentibus.

(ii.) *Quod non sit Misericordia seu Miseratio Dei Patris propter Filium.* Solennis supplicatio in ecclesiis, et ab hominibus ecclesiae domi et foris, quando in pietatis cultu sunt, est, "Ut Deus Pater misereatur nostri propter Filium, ac propter passionem crucis Ipsius." Haec supplicatio fluit ex recepta fide de propitiatione seu reconcilatione Patris per Filium (de qua mox supra); tum ex doctrina

ecclesiae de justificatione per solam fidem absque bonis operibus; et quia defensores et vindicatores illius doctrinae separant vitam, quae est bonorum operum, a fide, non aliud pro fide salvante agnoscere potuerunt, quam quod Deus Pater miserit Filium suum, et quod per passionem crucis Ipsius commoveatur ad misericordiam; inde illa supplicatio a communi coetu hodie recepta est sicut unica vox intrans caelum et commovens Deum, tametsi homo, non prius quam in hora ante mortem, cum agnitione fiduciae illam enuntiaret. Quod tamen illa supplicatio nihil vitae ex vero et bono habeat, constare potest ex illis quae de propitiatione et reconciliatione, et inde misericordia Patris, mox supra dicta sunt; tum quae de Portatione iniquitatum nostrarum a Domino, de Imputatione meriti Ipsius, de Intercessione, de Redemptione et Salvatione absque mediis vitae, infra dicentur: hic solum, quod nusquam alicui homini ecclesiae concessum sit immediate adire Deum Patrem, ac Ipsum rogare propter Filium; est enim Dominus qui adeundus est et rogandus, quoniam nemo venit ad Patrem nisi a Domino, et in Domino, ac Dominus aeque ac Pater est Deus, infinitus, aeternus, increatus, omnipotens, ac nemo eorum est primus et ultimus, nec maximus et minimus, sed sunt prorsus aequales. Quod nemo veniat ad Patrem nisi a Domino, docet Ipse apud *Johannem*,

> **"Deum nemo vidit unquam; Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ille exposuit" (i. 18);**

apud eundem,

> **"Non vocem" Patris "audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis" (v. 37);**

apud [2]*Matthaeum*,

> **"Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, et cui Filius vult revelare" (xi. 27);**

apud [3]*Johannem*,

> **"Non Patrem vidit quis, nisi qui est apud [4]Deum; [Hic] vidit Patrem" (vi. 46);**

apud eundem,

> **"Ego sum Via, Veritas et Vita; nemo venit ad Patrem, nisi per Me" (xiv. 6).**

Quod nemo veniat ad Patrem nisi in Domino, est quia

Pater et Ipse unum sunt, sicut etiam docet apud *Johannem*,

> "Si Me cognoscitis, etiam Patrem meum cognoscitis;....is qui Me videt, videt Patrem;"...Philippe, "Nonne credis quod Ego in Patre et Pater in Me?....Credite Mihi, quod Ego in Patre, et Pater in Me" (xiv. 7, [10,] 11);

apud eundem,

> "Pater et Ego unum sumus;....cognoscatis et credatis quod Ego in Patre et Pater in Me" (x. 30, 38).

Accedit

> Quod Dominus sit Deus caeli et terrae, ut Ipse docet (*Joh.* iii. 35; cap. xvii. 2: *Matth.* xi. 27; cap. xxviii. [1]18);

et sic quod Ipse adeundus sit. Sciendum etiam est quod, nisi Ipse adeatur, homo non cogitare possit cum angelis, quoniam omnis cogitatio angelica de Deo est de Deo Homine; aliter de Deo, et consequenter de Divinis, non cogitare possunt, quia cogitationes illorum vadunt circum circa per caelum, et caelum est caelum in forma Hominis. Sed de hac re plura alibi.

(iii.) *Quod non fuerit Portatio iniquitatum nostrarum a Domino et inde Liberatio ab illis secundum fidem vulgarem*, quae est quod Dominus peccata mundi in Se transtulerit, ac illa dejecerit in infernum, et sic sustulerit. Hoc concludunt ex Johannis verbis de Jesu,

> "Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi" (*Joh.* i. 29);

et ex *Esaia*, ubi agitur de Domino,

> "Morbos nostros Ille tulit, ac dolores,....et iniquitates" nostras "Ille portavit" (liii. 4, 11);

sed quid significatur per "iniquitates portare" nondum intellectum est in ecclesiis, quare dicetur. Ex ordine Divino fuit quod prophetae repraesentarent statum suae ecclesiae, ut inde scirent quales essent; ut constare potest ex sequentibus:—Quod Esaias jussus sit

> Ire nudus et discalceatus tres annos, in signum et prodigium ([*Esai.*] cap. xx. 2, 3):

repraesentabat per id quod non amplius essent aliqua vera in ecclesia; hoc significatur per "ire nudum et discalceatum." Quod Hoscheas jussus sit

> Accipere sibi mulierem scortationum, et liberos scortationum, quia scortando scortata est terra ([*Hosch.*] cap. i. 2, seq.):

per "mulierem scortationum" significabatur ecclesia quae falsificabat vera Verbi. Et quod Ezechiel jussus sit

> Sumere sibi laterem et sculpere super eum Hierosolymam, ac obsidere eam, ac cubare super latere suo sinistro dies trecentos et nonaginta, et dein super latere dextro dies quadraginta. Tum etiam quod jussus sit comedere placentam hordeorum cum stercore bovis factam; et dicitur quod "sic carebunt pane et aqua" in Hierosolyma,...."et contabescent propter iniquitatem eorum" ([*Ezech.*] cap. iv. 1 ad fin.):

per quae significabatur quod ecclesia absque bonis et veris esset, et quod in meris falsis ex malo: ac dicitur quod

> Per illud portaret iniquitatem domus Israelis (vers. 4, 5);

per quae usque non sustulit iniquitates illorum, sed modo repraesentavit illas, et hoc quia "propheta" significabat doctrinam ex Verbo, ita ecclesiam quoad doctrinam et inde cultum. Simile etiam intelligitur per "portare iniquitates," ubi de Domino, qui Maximus Propheta fuit; repraesentavit enim Ipse in Se quomodo Ecclesia Judaica contumeliose tractaret Divinum Verum, seu Verbum, Ipse enim illud erat; quare quod flagellaverint Ipsum, exspuerint in faciem Ipsius, percusserint Ipsum calamo, imposuerint coronam ex spinis, quod potaverint Ipsum aceto, quod diviserint vestimenta Ipsius, demum quod crucifixerint Ipsum, omnia repraesentativa erant status illius ecclesiae (videatur supra, n. 83, 195[*c*], 627[*c*], 655[*b*]); hoc itaque significatur per "portare iniquitates," pariter etiam per quod tentationes prae aliis gravissimas sustinuerit. At vero in se transferre aliorum peccata, ac per dolores et per punitiones in se admissas, auferre illa, est, contra naturam abolitionis peccatorum; peccata enim non abolentur nisi quam per paenitentiam vitae ejus qui peccavit: auferre illa per derivationem ex alio in se, est dogma Pontificiorum, in quo non verum.

(iv.) *Quod non detur* [1]*Imputativum, et sic non aliqua Imputatio Meriti Domini.* Quod non detur, est quia salvatio per imputationem est contra leges ordinis Divini descriptas in Verbo, quae sunt quod homo discet quid peccatum quod fugiet, et quid verum quod faciet, et quod si vivit contra vera paenitentiam aget. Haec, una cum omnibus et singulis quae doctrinae ecclesiarum ex Verbo docent, supervacanea forent, si homo salvaretur per enun-

tiatam vocem ex fiducia fidei, ut Deus sui misereatur propter Filium suum, ac per passionem crucis Ipsius, et quod sic imputaretur illi meritum Domini: sic potuisset homo male vivere, committere adulteria, furari, fraudulenter agere, odia et vindictas exercere, calumniari, et plura, quia non per bona opera, sed solum per fidem, quae prorsus abstracta est ab omni vita, salvari: et tamen blasphemia est dicere quod possit homo male vivere, et tamen vivere ex Domino: tum contradictio est, quod homo fugiet mala, et faciet bona, et tamen salvari ex sola fide imputati meriti. Meritum Domini est, quod ex propria potentia subjugaverit inferna, et quod glorificaverit Humanum suum; per id Se misit in potentiam salvandi omnes qui credunt in Ipsum et faciunt quae docuit: hoc meritum non addicari et imputari alicui potest, minus a Patre, quia est meritum Domini proprium, et quoque salvatio a Domino, ita per Dominum, et non propter Dominum. Verbo, non potest addicari meritum alterius, cujus non consors est per suam vitam, secundum quam quisque vel remuneratur vel punitur; sed vita a Domino, haec consequitur ex merito Ipsius. Imputativum etiam est contra essentiam Divini Amoris, qui est erga omnes; at imputare est amare unum, et non alterum, nisi propter illum; et quoque est contra justitiam, quae est, quod cuivis sit merces, quantum vivit ex Domino.

(v.) *Quod sit Intercessio Domini apud Patrem*, cadit quidem in ideas hominum prorsus simplicium, qui de tribus Personis Divinitatis non aliter cogitant quam sicut de tribus una assidentibus et colloquentibus, quod ita erit, et quod unus alterum commoveat ad miserandum propter Se, quod est intercedere: at eruditiores vident quod per intercessionem intelligatur perpetua recordatio ex amore; quia eadem essentia seu substantia est uni Personae quae alteri, ac idem amor, ita eadem misericordia, quae non excitanda, aut in memoriam revocanda per aliquam rogationem.

(vi.) *Quod sit Redemptio et Salvatio absque mediis vitae et fidei, et inde quod sit immediata Misericordia.* Notum est quod vera sint fidei, et quod bona sint vitae, et quod absque veris non sit aliqua fides; sicut absque his, quod Deus sit, quod Dominus sit Salvator mundi, quod caelum et infernum sint, quod vita post mortem sit, quod Verbum sanctum sit, quod credenda et facienda sint quae in Verbo,

quod Sacra Cena sit sanctissimum cultus, ac plura similia; haec erunt fidei: similiter quod absque bonis non sit aliqua vita fidei; nam dicit Dominus,

> Qui audit et non facit, is est sicut stultus homo, qui aedificat domum super humo absque fundamento; at is qui audit et facit, quod sit homo prudens sicut qui aedificat domum super fundamento ex Petra [(*Matth.* vii. 24, 26)].

Haec et similia, quatenus credenda, sunt media et vocantur fidei, et quatenus facienda, sunt media et vocantur vitae, sine quibus homo non salvari potest: haec vana forent, si pro illis modo unicum hoc, quod vocatur fides, foret, quod homo salvetur per solam misericordiam Patris propter Filium, et per imputationem meriti Ipsius. Quod non detur immediata misericordia, sed mediata, et quod usque homo ex pura misericordia ducatur a Domino ab infantia ad senectam ejus, ac postea in aeternum, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 521-527); ita nec datur immediata salvatio: ex quo sequitur quod redemptio non sit alia quam quod Dominus ex inferno redemerit illos qui credunt in Ipsum, et faciunt quae praecepit; qui tamen absque adventu Ipsius in mundum non salvari potuerunt, quoniam absque adventu Ipsius non credere potuissent in Ipsum, nec facere quae praecepit, et sic vivere ab Ipso. Quod illi sunt qui per "redemptos" in Verbo intelligantur, alibi videbitur.

(vii.) *Quod in illa fide sit nulla religio, sed quod sit inanitas et vacuitas.* Quid religio, nisi ut vivat homo, ut in caelum veniat, ac ut sciat quomodo vivendum est? Scire illa vocatur doctrina, ac credere illa et vivere secundum illa vocatur religio. Ex doctrina sciet homo non solum quae cogitanda sunt, sed etiam quae facienda; cogitare debet homo ut faciat, non autem cogitare quod involvit nihil facere; et haec fides est cogitare absque facere, sic ut vocanda sit fides solum cogitativa, dum imploratur sola misericordia, quia Filius Dei passus est pro illo, et peccata mundi assumpsit, ac sic illum ex inferno redemit et liberavit, ac simul tunc quod meritum Filii Dei ipsi addicatur; cogitet qui velit et possit, an aliquid Verbi in illo sit, ubi toties dicitur credere illa et facere illa, proinde num in illa fide sit aliquid ecclesiae aut religionis; nam in illis quae allata sunt, ubi sunt vera quae fidei erunt, et ubi sunt bona

quae vitae, quae facient genuinam doctrinam ex Verbo, et quae inde theologiam in Christiano orbe? Et quia haec in illa fide non dantur, sequitur quod non solum sit fides inanis et vacua, sed etiam fides non veri. Mirantur multi in mundo spirituali, et omnes in caelo, quod theologia Christiani orbis redacta sit in talem inanitatem et vacuitatem, ut tandem omnem illam concluserint in enuntiativum cogitationis dabile etiam malis ex timore inferni in hora mortis; inde apud perplures ex Reformatis in Christiano orbe reperta est talis vacuitas qualis apud Pontificios. Expendant, si velint, num aliqua illis sors inter angelos caeli dari possit, quorum intelligentia est ex veris in Verbo, ac sapientia ex veris actu, quae vocantur bona. Hoc quoque est quod intelligitur per Domini verba,

"Filius hominis dum veniet, num inveniet fidem in terra?" (*Luc.* xviii. 8.)

(viii.) *Quod nec in* [1]*illa sit aliqua fides in Dominum, nec agnitio Divini in Humano Ipsius;* qui enim supplicat Patrem, ut misereatur propter Filium suum, is adit Patrem et non adit Dominum, cum tamen Dominus adeundus est, est enim Ille Deus caeli et terrae; ac Verbum docet quod Pater non possit adiri nisi a Domino, et in Domino (ut supra ostensum est), tum quod fides erit in Dominum; dicit enim Dominus,

"Qui credit in Filium, habet vitam aeternam; qui vero non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet apud illum" (*Joh.* iii. 36);

tum,

"Haec..est voluntas Patris, qui misit Me, ut omnis qui videt Filium, et credit in Ipsum, habeat vitam aeternam, et exsuscitem illum extremo die" (*Joh.* vi. [2]40);

ut et,

"Jesus..dixit, Ego sum resurrectio et vita; qui credit in Me, etsi [3]moriatur, vivet; omnis vero qui vivit, et credit in Me, non morietur in aeternum" (xi. [4]25, 26);

et alibi: credere in Ipsum et non adire Ipsum, sed rogare Patrem propter Ipsum, non est credere in Ipsum; nam omnis fides adit Ipsum in quem homo credit: quare adire et videre Patrem negabatur Philippo, et dicebatur

Quod videre Dominum sit videre Patrem (*Joh.* xiv. 7–11):

inde quoque omnes a morbis salvati sunt qui supplicaverunt

Dominum ut Ipse illorum misereretur, et qui fidem habuerunt in Ipsum: et quoque filii Israelis salvati sunt in deserto qui serpentem aeneum inspexerunt, per quem repraesentabatur Dominus quoad ultimum in Humano suo, quod vocatur sensuale. Praeterea in mundo spirituali omnis visus et cogitatio ex agnitione conjungit; visus autem in Patrem neminem conjungit; Dominus enim dicit,

> "Non vocem" Patris "audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis" (*Joh.* v. 37).

Accedit, quod qui supplicat Patrem ut misereatur propter Filium, is nec aliam de Domino ideam habeat quam sicut de vulgari homine; nam spectat Ipsum infra Patrem, ita ut hominem ex matre Maria, qui passus crucem, propter quam illi misericordia: inde separat Divinum Ipsius ab Humano Ipsius, quod tamen doctrina concilii Nicaeni de Trinitate non separat; haec enim docet quod Divinum et Humanum Domini non sint duo, sed una Persona, et quod sint sicut anima et corpus in homine. Qui autem spectant ad Patrem, tametsi agnoscunt Divinum Domini usque hoc non adeunt; ponunt enim id juxta Patrem supra Humanum Ipsius, et sic vident Humanum Ipsius absque suo Divino, quod tamen est anima Ipsius; inde est quod plerique hodie Divinum Domini ore confiteantur, at quod pauci corde agnoscant; et qui non agnoscit Divinum Domini in Humano Ipsius, ac spectat ad illud dum supplicat, non ei conjunctio dari potest cum caelo. Ex his sequitur quod in hac fide, nempe quod misereatur Pater propter Filium, non sit aliqua fides in Dominum, nec agnitio Divini Ipsius in Humano Ipsius. Hoc etiam est quod Dominus praedixit ad Petrum, quod in fine ecclesiae amplius non agnosceretur.

(ix.) *Consequenter, quod fiducia illius fidei et confidentia, quae hodie pro unica fide salvante recepta est, sit vox inanis:* est enim fiducia illius fidei fiducia naturalis, in qua nihil spirituale est, quia nihil veri et boni, quae fidei et vitae; quare si confirmatur ab eruditis, per confirmationem potest destrui verum caeli, et sic homo e caelo excludi. In hoc inane desiit sola fides recepta in ecclesiis, seu fides separata a bonis vitae; quae fides, tametsi inanis, usque complet omnem Christiani orbis theologiam. Inde est quod docti ecclesiae, quando post mortem in mundum

spiritualem veniunt, in tot falsis sint ut vix unum genuinum verum sciant: aliter vero illi qui non confirmarunt illa apud se, et simul aliquam vitam fidei, quae est charitas, vixerunt; hi possunt instrui in veris fidei, et cum instructi sunt, recipi inter angelos in caelo: nam prorsus aliud est talia credere fide confirmata, et sic corde, ac aliud est credere illa fide non confirmata.

(x.) *Quod fides salvans prorsus alia sit;* de qua in mox sequentibus.

806. ***"Quorum non scripta nomina in libro vitae Agni."***— Quod significet ***ab omnibus qui non spirituales facti sunt per regenerationem a Domino***, constat ex significatione "nominum," quod sit quales sunt, nam per "nomen" in Verbo significatur quale rei et status, et hoc ex causa quia in mundo spirituali non sunt personis nomina sicut in mundo naturali, sed quisque ibi nominatur secundum quale suum (de qua re videatur supra, n. 676); et ex significatione "scribi in libro vitae Agni," quod sit in amore et fide in Dominum esse (de qua supra, n. 199, 222, 299), ita quoque spiritualis fieri per regenerationem ab Ipso; nam illi qui in amore et fide in Dominum a Domino sunt, spirituales fiunt, amor enim et fides illorum spiritualis est, et quoque illi sunt qui vocantur regenerati, ac intelliguntur per illos "quorum nomina scripta sunt in libro vitae Agni." Inde constare potest quod per "nomina scripta in libro vitae Agni" non intelligatur quod eorum nomina ibi sint, sed quod eorum quale ita sit, nempe, quod spirituales facti sint per regenerationem a Domino. In praecedente articulo ostensum est [1]quid fides quae recepta est a communi coetu in ecclesia; nempe, ut credatur quod Deus Pater miserit Filium, ut per Illum sit propitiatio, misericordia, redemptio et salvatio, tum quod Filius Dei portaverit iniquitates nostras, quod intercedat pro nobis, quodque meritum Ipsius supplicantibus ex fiducia et confidentia addicatur; quod omnia illa sint vanae voces, in quibus nihil veri secundum opinionem eruditorum, et inde nihil salutis sit, in superiori articulo expositum est. Quod illa vanae voces sint, in quibus nihil veri, constare potest ex Verbo de causa adventus Domini in mundum, et cur passus est; quod nempe Dominus in mundum venerit ad salvandum genus humanum, quod alioqui periisset morte aeterna; et per

id salvavit, quod subjugaverit inferna, quae infestabant omnem hominem venientem in mundum, et exeuntem e mundo; et simul per id, quod glorificaverit Humanum suum sic enim inferna potest tenere subjugata in aeternum. Subjugatio infernorum, et simul glorificatio Humani Ipsius, facta est per tentationes in humanum, quod Ipsi fuit a matre, admissas, et per continuas tunc victorias; passio Ipsius in Gethsemane et in cruce fuit ultima tentatio, et plenaria victoria. Quod Dominus in mundum propter binas has causas venerit, et quod sic genus humanum a morte aeterna salvaverit, constare potest ex eo, quod inferna ante adventum Domini non in ordine fuerint, quare nec fuit aequilibrium inter infernum et caelum, sed infernum ab una parte praevaluit caelo; et tamen homo in medio inter caelum et infernum constitutus est; quare quicquid e caelo ante adventum Domini influebat apud hominem, hoc auferebatur ab inferno, ex causa potentiae ejus superioris: ut itaque aequilibrium deperditum restauraretur, placuit Domino in mundum venire, et tunc ultimum judicium facere, ac subjugare inferna; ex quo facto, Dominus comparavit Sibi potentiam salvandi homines, qui fidem et amorem in Ipsum ab Ipso habent. Haec in effectum non sisti potuerunt, nisi Dominus assumpserit Humanum; causa est, quia tales effectus agit Deus ex primis per ultima, nam agere ex primis per ultima est agere in pleno; ipsum robur Divinae potentiae consistit in ultimis, ita Domini in Humano Ipsius, quia id in ultimo. Haec una causa fuit quod in mundum venerit: altera causa fuit ut Humanum suum glorificaret, hoc est, Divinum faceret, sic enim et non aliter potest inferna in aeternum subjugata tenere, nam sic a primis per ultima, ac in pleno, in aeternum agit; pertingit enim sic Divina Ipsius operatio usque ad ultimos in mundo, at alioqui solum ad primos in caelo, ac mediate per illos ac per sequentes, ad ultimos, qui sunt homines; quare si hi recederent, ut factum est proxime ante adventum Domini, desiisset operatio Divina apud homines, et inde nec fuisset illis aliquod medium salvationis. Operatio Divina Domini per Humanum in mundo assumptum, vocatur influxus immediatus Ipsius usque ad ultimos. Per haec duo est homini salvatio, quae vocatur redemptio. Quod hoc

dicatur redemptio per sanguinem Ipsius, erat quia subjugatio infernorum, et simul glorificatio Humani Domini, non aliter quam per tentationes ab infernis in Se admissas fieri potuit, quarum tentationum ultima fuit passio crucis. Ex his nunc constare potest quod Dominus non in mundum venerit ut propitiaret Patrem, ac ut Ipsum ad misericordiam commoveret, nec ut portaret iniquitates nostras, et sic auferret illas; nec ut salvaremur per imputationem meriti Ipsius, nec per intercessionem, nec per misericordiam immediatam; consequenter non per fidem illorum, minus per fiduciam illius fidei, quia fiducia confirmat talia quae non vera sunt, ita quae non fidei erunt. Qui novit cur Dominus in mundum venit, et quod salventur omnes qui credunt et faciunt quae docuit, ab Ipso, et simul a Patre in Ipso, et non a Patre separato ab Ipso, [illi] constare potest quod plura ex illis, quae antistites de redemptione docent, aliter quam secundum eorum explicationem intelligenda sint. Quod Dominus subjugaverit inferna, docet Ipse cum instabat passio crucis:—Apud *Johannem*,

> "Nunc judicium est mundi hujus, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras" (xii. 27, 28, 31);

apud eundem,

> "Confidite, Ego vici mundum" (xvi. 33);

apud *Lucam*,

> Dixit Jesus, "Vidi Satanam sicut fulmen e caelo cadentem" (x. 18);

apud *Esaiam*,

> "Quis hic venit ex Edom,....incedens in multitudine roboris sui?.... magnus ad salvandum,....salutem praestitit Mihi brachium meum; ....ideo factus est illis in Salvatorem" ([lxiii. 1, 5, 8; videatur etiam] lix. 16–21).

Quoniam Dominus subjugaverat inferna, ideo dedit septuaginta discipulis

> Potestatem super daemonia (*Luc.* x. 17, 19).

Quod Dominus glorificaverit Humanum suum, et quod passio crucis fuerit ultima tentatio et plena victoria, per quam illud glorificavit, docet Ipse apud *Johannem*,

> "Postquam" Judas "exivit, dixit Jesus, Nunc glorificatus est Filius hominis,....et Deus glorificabit Ipsum in Se Ipso, et statim glorificabit Ipsum" (xiii. 31, 32);

apud eundem,

> "Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet Te" (xvii. 1, 5);

apud eundem,

> "Nunc anima mea turbata est;....Pater glorifica tuum nomen: et exivit vox e caelo, Et glorificavi et rursus glorificabo" (xii. 27, 28);

et apud *Lucam*,

> "Nonne hoc oportebat pati Christum, et ingredi in gloriam?" (xxiv. [1]26:)

haec dicta sunt de passione Ipsius; "glorificare" est Divinum facere. Inde nunc constat quod nisi Dominus in mundum venerit, et Homo factus sit, et eo modo liberaverit ab inferno omnes illos qui credunt in Ipsum, et amant Ipsum, nullus mortalium salvari potuerit; ita intelligitur, quod absque Domino nulla salus. Hoc nunc est mysterium incarnationis Domini.

807. ***"Mactati a fundatione mundi."***—Quod significet *cujus Divinum in Humano non agnitum est a prima instauratione hujus ecclesiae*, constat ex significatione "Agni mactati," seu occisi, quod sit quod non agnitus (de qua supra, n. 315[a], 328[a,b]); hic quod non agnitum sit Divinum Ipsius in Humano Ipsius (de qua sequitur); et ex significatione "fundationis mundi," quod sit prima instauratio ecclesiae; per "mundum" enim in Verbo plura significantur, nempe tum mundus in genere, ac ibi tam boni quam mali, tum modo mali qui in mundo sunt, et inde quoque inferna; per "mundum" etiam significatur simile quod per "terram," scilicet ecclesia; quae etiam intelligitur hic per "fundationem mundi," et quoque apud *Matthaeum*,

> "Rex dicet illis a dextris.., Venite, benedicti Patris mei, tanquam hereditatem possidete paratum vobis regnum a fundatione mundi" (xxv. 34).

Quod non agnoscatur Dominus quando Divinum Ipsius in Humano Ipsius non agnoscitur, est quia tunc non spectatur Dominus ut Deus, sed solum ut homo, qui non salvare potest: at quia usque ex Confessione Athanasiana creditur quod Dominus sit Filius Dei ab aeterno natus, ac Divinum Ipsius aequale Divino Patris, sed usque quia separant Humanum Ipsius a Divino Ipsius, distinguunt Dominum in binas quasi personas, quas vocant naturas, sic ut Dominus sit alius sicut Filius Dei ab aeterno, ac

alius sicut filius Mariae; et quia ita distinguunt Dominum, nemo Ipsum adire potest, nisi velit adire Ipsum ut alium sicut Deum, et alium sicut hominem. Talis idea de Domino fuit a prima instauratione ecclesiae, ut constare potest ex scriptis Patrum, et postea a scriptis filiorum eorum. Quod Dominus in ecclesia a principio ejus ita divisus sit, est quia non intellexerunt Verbum; nam ubi a Domino nominatur Pater, creditum est quod esset Divinum distinctum ab Ipsius Humano; cum tamen manifeste constat apud *Matthaeum* et apud *Lucam* quod Dominus conceptus sit ab ipso Divino, quod Pater vocatur, et sic quod ipsum illud Divinum sit in Ipsius Humano, sicut est anima in suo corpore; ac anima et corpus sunt una Persona: et quod mirum est, hoc claris verbis etiam docet Confessio Athanasiana, quae est doctrina de Deo in universo Christiano orbe, et tamen vix aliquis in ea confessione attendit ad illud; quod non attenderint, patuit mihi a multis tam eruditis quam non eruditis post mortem, cum quibus locutus sum, dicentibus quod non id sciverint, sed quod de Filio Dei ab aeterno cogitaverint sicut de Divina Persona supra Humanum Ipsius, assidente ad dextram Patris: tum etiam quod nec attenderint ad illa verba Domini, quod "Pater et Ipse unum sint," tum quod "Pater in Ipso sit, ac Ipse in Patre." Ex his constare potest quod ecclesia non agnoverit Divinum Domini in Humano Ipsius a principio ejus; et quod hoc sit quod significatur per quod "Agnus mactatus sit a fundatione mundi."

808. [*Vers.* 9.] ***"Si quis habet aurem, audiat."***—Quod significet *receptionem ab illis qui in intellectu veri et inde in perceptione boni sunt*, constat ex significatione "Si quis habet aurem, audiat," quod sit qui intelligit et auscultat quod Dominus in Verbo docet (de qua supra, n. 108, 180, 255); inde etiam per illa verba significatur receptio Divini Veri ab illis qui in intellectu ejus sunt: quod etiam sint qui in perceptione boni, est quia per "aurem habere" et "audire" significatur tam intelligere verum quam percipere bonum; intelligere verum est cogitationis, ac percipere bonum est affectionis, ac utrumque est auris seu auditionis; transit enim quod intrat aurem in visum intellectus, et quoque in affectionem voluntatis; quare per "aurem" et per "audire" significatur auscultatio et obedientia; inde per "audire

aliquem" significatur intelligere, ac per "audire alicui" significatur obedire, et utrumque per "auscultare." Quoniam supra ostensum est quod in fide a communi coetu in ecclesia recepta, sit mera inanitas, quia in illa nihil vitae ex aliquo vero est, velim hic paucis dicere quae fides est fides salvans. Fides salvans est credere quod Dominus sit Salvator mundi, et quod sit Deus caeli et Deus terrae, et quod per adventum suum in mundum Se miserit in potentiam salvandi omnes qui recipiunt vera ab Ipso per Verbum, ac vivunt secundum illa: at quinam recipere vera ab Ipso possunt, et vivere secundum illa, supra (n. 803) expositum est; quod nempe illi qui peccata fugiunt quia peccata sunt, contra Verbum, et sic contra Deum; per id enim purificatur internum hominis; quo purificato, homo ducitur a Domino, et non a semet; et quantum homo ducitur a Domino, tantum amat vera ac recipit illa, ac vult illa et facit illa. Haec fides est fides salvans. Per haec verba, "Si quis habet aurem, audiat," intelligitur imprimis, quod recepturi et credituri sint quod Divinum Domini in Humano Ipsius sit, hoc est, ut Humanum Ipsius sit Divinum. Quis non mirari potest quod idea Divini Humani Domini in ecclesiis Christianis prorsus deperdita sit, imprimis apud eruditos ibi, et quod aliquid ejus solum remaneat apud simplices? Simplices enim cogitant de Deo ut de Homine, et non sicut eruditi sicut de Spiritu absque forma humana. Antiquissimi, qui nostratibus sapientiores fuerunt, non habuerunt aliam ideam de Deo quam sicut de Homine radiosis circulis circum caput cincto, ut constat ex veterum scriptis, ac imaginibus pictis aut sculptis: omnes etiam qui ab ecclesia, a tempore Adami usque ad Abrahamum, Mosen et prophetas, cogitaverunt de Deo ut de Homine; illi etiam viderunt Ipsum sub forma Humana, et vocaverunt Jehovam, ut patet ex Verbo; ac Deus sub Humana forma est Dominus, ut patet a Domini verbis apud *Johannem*,

"Priusquam Abraham fuit, Ego sum" (viii. 58).

Quod idea Dei Hominis seu Divini Humani fuerit incolis hujus telluris a primaevo tempore, patet ab idolis eorum, tum ab ideis gentilium interioris cogitationis et perceptionis, ut ex Africanis; pariter ab incolis tellurum paene omnium (de quibus in singulari opusculo). Quod talis idea Divini

sit homini, est quia est ex influxu caeli; in caelo enim nemo potest cogitare de Deo nisi in forma Humana; sin aliter, perit ei cogitatio de Deo, et ipse cadit e caelo; causa est, quia forma caeli est forma humana, et omnis cogitatio angelorum vadit secundum formam caeli: et tamen haec idea de Deo, quae est principalis omnium, est apud eruditos mundi hodie quasi exstirpata, adeo ut dum modo dicitur quod Deus sit Homo, non possint id cogitare. Inde est quod usque a prima instauratione ecclesiae separaverint Divinum Domini ab Humano Ipsius; ex quo factum est quod pauci, cum de Domino, de Divino Ipsius cogitent, sed sicut de homine sibi simili: cum qua tamen idea Divini, nemo, quicunque sit, intrare caelum potest, sed repellitur ut primum limen viae illuc ducentis tangit. Haec itaque est quod praecipue intelligitur per "Si quis habet aurem, audiat."

VERSUS 10.

809. ***"Si quis captivitatem duxerit, in captivitatem abibit; si quis machaera occiderit, oportet eum machaera occidi: hic est patientia et fides sanctorum."***

10. ***"Si quis captivitatem duxerit, in captivitatem abibit,"*** significat *quod illi qui alios a veris secluserunt, a Divinis veris in Verbo seclusi sint* [n. 810, 811]; ***"si quis machaera occiderit, oportet eum machaera occidi,"*** significat *quod illi qui falsis imbuerunt alios, falsis ex inferno imbuantur* [n. 812]; ***"hic est patientia et fides sanctorum,"*** significat *quod haec sint per quae tentatio et dein implantatio veri apud illos qui spirituales fiunt a Domino* [n. 813].

810. [*Vers.* 10.] ***"Si quis captivitatem duxerit, in captivitatem abibit."***—Quod significet *quod illi qui alios a veris secluserunt, a Divinis veris in Verbo seclusi sint,* constat ex significatione "captivitatis," quod sit secludere a veris, hic per ratiocinia e naturali homine, haec enim est captivitas spiritualis, quae per "captivitatem" in sensu interno intelligitur; (quod id per "captivitatem" in Verbo intelligatur, in sequente articulo videbitur;) ex eo patet quod per "captivitatem ducere" significetur alios a veris secludere, et per "abire in captivitatem" significetur a veris quoque secludi. Quod hic per "captivitatem ducere" significetur secludere alios a veris per ratiocinia ex naturali homine, est quia per "bestiam draconis," de qua hic agitur, intelliguntur illi qui separant fidem a vita, ac separationem per ratiocinia ex naturali homine confirmant (videatur supra, n. 773). Antequam ex

Verbo confirmatur quod "captivitas" significet captivitatem spiritualem, quae est seclusio a veris ex Verbo, velim primo reassumere quae (in articulo, n. 805[a]) supra allata sunt, quae separatores fidei a vita per ratiocinia confirmant, et sic alios a veris secludunt, ac per id sistere videndum quomodo vera pervertunt, ac inde Verbum falsificant. Sciendum est quod similia dici queant tam ab illis qui in veris sunt, quam ab illis qui non in veris sunt; hi enim per eadem loca Verbi confirmant separationem fidei a bonis operibus, illi autem per eadem confirmant conjunctionem fidei cum bonis operibus; nam binis dissentientibus similis dari loquela potest, sed usque dissimilis perceptio; ac perceptio rei est quae facit ut verum aut falsum sit. Audivi quod falsitatum amatores locuti sint prorsus similiter cum illis qui veritatum studiosi locuti, et usque unus fuit in veris, et alter in falsis; nam illa quae ambo similiter locuti sunt dissimiliter intellexerunt, et secundum intellectum explicuerunt loca Verbi; quare unus falsificavit illa, alter autem verificavit illa: est enim verum apud hominem non ejus loquelae, sed est ejus perceptionis; quae causa est quod illi qui praedicationes instituunt ex Verbo, appareant sicut in veris sint, at iidem cum praedicationes faciunt ex doctrina de sola fide, de redemptione, de imputatione meriti Domini, et de similibus, in falsis sint; hoc potest mille exemplis illustrari; verbo, perceptio falsificat verum, et non loquela ex Verbo. Hoc quoque intelligitur per haec verba a Domino,

> "Tunc duo erunt in agro; unus assumetur,..alter derelinquetur. Duae molentes...; una assumetur, altera derelinquetur" (*Matth.* xxiv. 40, 41):

per "esse in agro" significatur esse intra ecclesiam; per "molere" [1] significatur vera explorare et discere ex Verbo; qui vera explorat et discit, intelligitur per "molentem quae assumetur," qui autem falsificat vera intelligitur per "molentem quae derelinquetur." Ad illustrandum quod ita sit, velim reassumere quomodo illi percipiunt propitiationem per sanguinem Filii, quomodo portationem iniquitatum a Domino, quomodo imputationem meriti Ipsius, quomodo intercessionem, quomodo redemptionem et salvationem ex misericordia, et quomodo fiduciam et confidentiam, et sic porro. Quod propitiationem per sanguinem Filii attinet: illi qui in veris sunt, non sicut illi qui in falsis sunt, de illa

cogitant; illi qui in veris sunt, per propitiationem per sanguinem Filii, percipiunt quod clementer recipiantur, et quoque audiantur, qui adeunt Dominum, ac supplicant Ipsum ex veris quae in Verbo sunt; "sanguis Domini" non solum significat passionem crucis Ipsius, sed etiam Divinum Verum Domini quod in Verbo; Dominus enim per passionem crucis subjugavit inferna, quod intelligitur per quod "vicerit mortem, et cum victoria resurrexerit," ut quoque loquuntur antistites, dum ex Verbo; et quoque per passionem crucis glorificavit Humanum suum, per quod inferna tenentur ab Ipso subjugata in aeternum: per "propitiatorium," quod super arca Testimonii, super quo cherubi sculpti fuerunt, nec aliud significabatur. Quomodo illi qui in veris sunt, intelligunt portationem iniquitatum a Domino, supra (n. 805[a]) dictum est. Per imputationem meriti Domini intelligitur, ab illis qui in veris sunt, solum imploratio ut Dominus misereatur, qui tam dura passus est ad redimendum et salvandum homines, qui alioqui morte aeterna perituri essent: per meritum Domini intelligitur, quod Ipse ex propria potentia salvaverit illos qui credunt in Ipsum, ac faciunt quae praecepit; hoc meritum non imputari potest, sed implorari. Per intercessionem intelligitur perpetua recordatio hominis a Domino. Ac per fiduciam et confidentiam intelligitur fiducia et confidentia in Dominum, quod ex pura misericordia doceat hominem viam, ac ducat ad caelum. Ex his patet quid significatur per redemptionem. Ex his nunc constare potest quod per illa quae supra (n. 805[a]) allata sunt, ab illis qui in veris ex Verbo sunt, non intelligatur aliquod opus Domini apud Patrem, sed apud Semet; nam, ut supra dictum est, Deus est unus, et non tres, ac Trinum est in Domino; quare cum Dominus aditur, etiam simul Pater et Spiritus sanctus adeuntur. Ex his etiam videri potest quod per "captivitatem ducere" significetur secludere a Divinis veris in Verbo; nam qui doctrinam trium Personarum Divinitatis tenent, et qui fidem separant a sua vita, quae sunt bona opera, illi secludunt alios ab intellectu veri in Verbo; explicant enim omnia, quae ibi sunt, secundum doctrinam, et quae non explicare possunt, falsificant: et quoque Divinum, quod in Domino est, et quod est Ipsius Domini, adscribunt Divino Patris, ac sic Dominum non

adeunt; et quia hoc faciunt, ideo vel per ratiocinia, vel per explicationem veritatum Verbi alienam, populum, qui omnia, quae de Divinis dicuntur, credunt supra humanum captum esse, secludunt a veris: hoc significatur per "captivitatem ducere." Quod ipsi illi "in captivitatem abeant," hoc est, a Divinis veris in Verbo semet secludant, constare potest ex omnibus doctrinae eorum, quod tametsi vera sunt quae loquuntur quoad enuntiationem, usque non vera sint quoad eorum intellectum. Hoc etiam testatum est mihi ex iisdem in mundo spirituali, ubi, dum explorati sunt, deprehensum est quod in meris falsis essent, et quod ideo nusquam in aliquam intelligentiam caelestem a Domino perduci queant.

811[a]. Quod "captivitas" in Verbo significet captivitatem spiritualem, quod sit seclusio a Divinis veris, nempe ab intellectu illorum in Verbo, tum quoque destructio per falsa mali et mala falsi, constare potest a locis in Verbo ubi "captivitas" dicitur, ut in sequentibus:—Apud *Lucam*,

> "Cadent..ore gladii, et captivabuntur inter omnes gentes,..tandem Hierosolyma erit conculcata" (xxi. 24):

agitur in eo capite de consummatione saeculi, per quam significatur ultimum tempus ecclesiae, quando non verum amplius superest; per "cadere" tunc "ore gladii" significatur destructio veri per falsa ("gladius" significat pugnam falsi contra verum, et quoque destructionem veri per falsa); per "captivabuntur inter omnes gentes" significantur persuasiones et obsessiones inde a malis omnis generis, nam cum vera destructa sunt, non modo falsa loco illorum succedunt, sed etiam mala; "omnes gentes" significant mala omnis generis: per quod "Hierosolyma erit conculcata" significatur plenaria destructio et perversio doctrinae ecclesiae; "Hierosolyma" significat ecclesiam quoad doctrinam, et "conculcare" prorsus destruere, quod fit imprimis per falsificationes et adulterationes Verbi. Apud *Ezechielem*,

> Captivabuntur inter gentes, ac devastabuntur altaria, et frangentur idola, et cadet confossus in medio vestri (vi. 1–10):

per "devastari altaria" significatur quod periturus omnis cultus ex bono amoris; per "frangi idola" significatur quod periturus sit omnis cultus ex veris illius boni; "et

cadet confossus e medio vestri," [x]significat quod perituri per falsa ("confodi gladio" id significat). In *Threnis*,

> "Audite,..omnes populi, et videte dolorem meum; virgines meae, et juvenes mei iverunt in captivitatem" (i. 18):

est lamentatio super devastationem omnis veri in ecclesia; lamentatio describitur per "Audite, omnes populi, et videte dolorem meum;" quod omnis affectio veri destructa sit, significatur per quod "virgines meae in captivitatem iverint" ("virgo" significat affectionem veri); et quod omnis intellectus veri destructus sit, significatur per quod "juvenes mei in captivitatem iverint" ("juvenes" significant intellectum veri ac intelligentiam). Apud *Amos*,

> "Si iverint in captivitatem coram hostibus suis, inde praecipio gladio ut occidat eos" (ix. 4):

"Si iverint in capitivitatem coram hostibus," significat si patiantur ut mala occupent illos; "hostes" sunt mala, et "ire in captivitatem" est occupari ab illis: "inde praecipio gladio ut occidat eos," significat quod falsa secludent illos ab intelligendis veris, et destruent illos. Apud *Davidem*,

> Deus "deseruit habitaculum Schiluntis, tentorium habitavit inter homines; et dedit in captivitatem robur ejus, et decus ejus in manum hostis" (Ps. lxxviii. 60, 61):

per "habitaculum Schiluntis" significatur ecclesia quae in bono amoris est, ac per "tentorium" significatur ecclesia quae in veris doctrinae; inde patet quid significatur per quod "Deus deseruerit habitaculum Schiluntis, tentorium habitavit inter homines;" nempe, quod bona amoris et vera doctrinae destructa sint: per "robur," quod dedit in captivitatem, significatur verum spirituale ex bono caelesti, et per "dare in captivitatem" significatur seclusio ab intellectu ejus, et sic destructio per falsa; et per "decus," quod dedit in manum hostis, significatur verum naturale ex spirituali, hoc significatur per "decus," et destructio ejus per mala significatur per "dari in manum hostis." Apud *Ezechielem*,

> Mandatum est Prophetae, ut migraret e loco, et per parietem educeret vasa migrationis coram oculis eorum, sub tenebras educeret, ac facies obtegeret ne videret terram: "et dic, Ego prodigium vestrum; quemadmodum feci, sic fiet illis; in exilium, in captivitatem abibunt" (xii. 1-12):

propheta per haec repraesentabat statum ecclesiae qui tunc fuit, quod non aliqua vera superessent, quae non destructa sunt per falsa; omnes enim prophetae repraesentabant ecclesiam quoad doctrinam ex Verbo: per "migrare e loco," ac per "educere per parietem vasa migrationis, sub tenebras," et per "obtegere faciem ne videat terram," repraesentabat quod omnia vera doctrinae e Verbo ejecta sint; per "migrare e loco" significatur rejectio, per "vasa migrationis" significantur vera doctrinae, per "parietem" per quem educeret significatur ultimum quod ambit et tutatur vera; (ultimum doctrinae est sensus litterae Verbi, qui "paries" dicitur quia est continens et includens sensus spiritualis;) per "tenebras" sub quas educeret, significantur falsa; per "obtegere faciem ne videat terram" significatur quod vera boni non amplius in ecclesia videantur: quia propheta repraesentabat illa, dicitur, "Quemadmodum feci sic fiet illis, in exilium et captivitatem abibunt;" inde patet quod "abire in exilium" significet dissipationem veri, et quod "abire in captivitatem" significet occupationem a falsis. Apud *Habakuk*,

> "Excitabo Chaldaeos, gentem pergentem...in latitudines terrae;.... congregabit sicut arenam captivitatem, illa reges illudet, et dominatores risus illi" (i. 6, 9[, 10]):

per "Chaldaeos" significantur qui destruunt vera ecclesiae; per "latitudines terrae" significantur vera ejus; quod destructuri omnia vera per falsa, significatur per "Congregabit sicut arenam captivitatem;" quod vera et bona Verbi subsannaturi et blasphematuri sint, significatur per quod illa gens "reges illudet, ac dominatores risus illi;" "reges" sunt vera Verbi, et "dominatores" sunt bona ejus. Apud [1]*Jeremiam*,

> "Veniet" Nebuchadnezar, "et percutiet terram Aegypti, qui morti morti, ..qui captivitati captivitati..qui gladio gladio; ac incendam ignem in domibus [deorum] Aegypti, ut comburat eos, et captivet eos; tandem induet sibi terram Aegypti, sicut induit pastor vestem" (xliii. 11, 12):

per "Nebuchadnezarem" seu per "regem Babelis" in Verbo intelliguntur qui destruunt omnia ecclesiae per mala, ac per "Chaldaeos" intelliguntur qui destruunt omnia ecclesiae per falsa; ac in sensu abstracto per "regem Babelis" significantur mala quae destruunt, ac per "Chaldaeos"

falsa eorum: quod "Nebuchadnezar veniet et percutiet terram Aegypti" significat destructionem naturalis hominis quoad omnia bona et inde vera ex Verbo; "qui morti morti" significat perniciem per mala; "qui captivitati captivitati" significat perniciem per seclusionem et deprivationem veri; "qui gladio gladio" [1]significat perniciem per falsa inde; per "incendere ignem in domibus Aegypti, ut comburat eos, vel captivet eos," significat quod amores sui et mundi deperdent omnia naturalis hominis per mala et falsa; ("ignis" significat illos amores, "domus Aegypti" significant omnia naturalis hominis, "comburere" eos significat deperdere per amores malos, et "captivare" eos significat deperdere per falsa inde;) "tandem induet sibi terram Aegypti, sicut induit pastor vestem suam," significat quod falsa mali et mala falsi occupatura sint totum naturalem hominem: comparatur id vesti pastoris, quia "vestis" significat verum investiens bonum, hic autem falsum investiens malum; nam naturalis homo est sicut vestis spirituali homini, cingit enim et includit eum.

[*b.*] Apud *Jeremiam*,

> "Qui ad mortem ad mortem,..qui ad famem ad famem, et qui ad captivitatem ad captivitatem" ([2]xv. 2):

per haec describitur totalis vastatio boni et veri in ecclesia, nam in versu praecedente dicitur, "Si Moses et Samuel starent coram Me, non anima mea erga populum hunc; ejice coram facie mea ut exeant;" quare "qui ad mortem ad mortem" significat quod qui rejiciunt bona pereant per mala; "qui ad famem ad famem" significat quod qui rejiciunt vera pereant per falsa; "qui ad captivitatem ad captivitatem" significat qui mala et falsa amant, occupentur ab illis. Apud *Esaiam*,

> "Sicut ivit servus meus Esaias nudus et discalceatus tres annos,....sic ducet rex Aschuris captivitatem Aegypti, et turbam deportandam Kuschi, pueros et senes, nudum et discalceatum, immo detectos nates, nuditatem Aegypti" (xx. 3, 4):

per "regem Aschuris" significatur ratiocinatio ex scientificis naturalis hominis, et per "Aegyptum" significatur naturalis homo; inde per quod "rex Aschuris ducet captivitatem Aegypti" significatur quod ratiocinatio ex falsis destructura [3]sit omnia vera in naturali homine, quae sunt

qualia sunt vera sensus litterae Verbi. (Reliqua videantur supra, n. 532, explicata.) Apud *Danielem*,

> "Etiam deos eorum cum principibus eorum, cum vasis desiderii eorum, argento et auro, in captivitatem abducet Aegyptum, et consistet annos prae rege septentrionis. ....Intelligentes populi erudient multos, licet corruituri sint gladio et flamma, et captivitate et depraedatione diebus" (xi. 8, 33):

agitur ibi de bello inter regem septentrionis et inter regem meridiei; et per "regem septentrionis" significatur falsum dominans in ecclesia, et per "regem meridiei" verum tutans ecclesiam contra falsum; quod usque falsa praedominatura sint in ecclesia in extremitate dierum, praedicitur et describitur ibi; per "deos eorum" et "principes eorum," ac per "vasa desiderii," perque "argentum et aurum," quae in captivitatem ducentur Aegyptum, significatur quod verum tutans auferet omnia vera et bona ecclesiae illis qui in falsis sunt; vera spiritualia ejus significantur per "deos et principes eorum," vera naturalia per "vasa desiderii eorum," omne verum et bonum in genere significatur per "argentum et aurum," ac ablatio et tutatio eorum significatur per "ducere in captivitatem Aegyptum:" per "corrui gladio et flamma," significatur perire ex falsis et inde malis; per "corrui captivitate et depraedatione," significatur deprivatio omnium veri et boni. Apud *Jeremiam*,

> Postquam propheta traditus est in carcerem, prophetavit quod universa Jehudah transportaretur Babelem in captivitatem, ac ibi morerentur et sepelirentur (xx. 1–6; cap. xxvii. 1 ad fin.):

per "prophetam illum," ut per "prophetam" in genere, significatur doctrina ecclesiae ex Verbo; per quod ille traditus in carcerem, repraesentatum est quod simile fiet cum ecclesia et ejus doctrina, quod significatur per quod universa Jehudah transportaretur in captivitatem Babelem; captivitas tribus Jehudae in Babele septuaginta annos repraesentabat plenam destructionem veri, ac devastationem ecclesiae. Apud eundem,

> "Omnes pastores tuos pascet ventus, et amasii tui in captivitatem abibunt;..tunc pudefies et ignominia afficieris ob omnem malitiam tuam" (xxii. 22):

per "pastores" in sensu abstracto significantur bona ecclesiae, et per "amasios" vera ejus; "ventus" qui pascet

pastores significat inanitatem et vacuitatem doctrinae; "captivitas" in quam abibunt amasii, significat seclusionem ab omnibus veris et ab intellectu eorum; "pudefieri et ignominia affici" significat destitui ab omni bono et vero, sic enim, dum inter angelos veniunt, pudore et ignominia afficiuntur. Apud *Mosen*,

> "Ebria faciam tela mea ex sanguine, et gladius meus comedet carnem, ex sanguine confossi et captivitatis, ex felle ultionum hostis" (*Deutr.* xxxii. 42):

"ebria facere tela ex sanguine" significat deliria mentis ex falsificato Verbo; "gladius comedet carnem" significat quod falsa destructura sint omnia boni; "ex sanguine confossi et captivitatis" significat exstinctionem et seclusionem omnis veri ("confossus" est exstinctio veri per falsa, et "captivitas" est seclusio veri a falsis); "ex felle ultionum hostis" significat ex malitia et saevitate inferni ("fel ultionum" est malitia et saevitas, et "hostis" est infernum). Apud *Esaiam*,

> "Incurvatus est Bel, inflexus est Nebo, sunt idola eorum ferae et bestiae;....inflexi sunt et incurvati sunt simul,....et anima eorum in captivitatem abibit" (xlvi. 1, 2):

"idola eorum ferae et bestiae" significat quod falsa eorum sint falsa infernalia et inde mala; "inflexi et incurvati simul" significat quod dilapsura sint; "anima eorum in captivitatem abibit" significat quod in infernum, ubi seclusi ab omni vero erunt. Apud *Obadiam*,

> "In die illo captivum duxerunt alieni robur ejus, et alienigenae intrarunt portas.., et super Hierosolymam jecerunt sortem" (i. 11):

haec de Edomo, per quem significatur verum naturalis hominis, hic autem falsum; per "alienos" qui "captivum duxerunt robur ejus" significantur falsa ecclesiae destruentia vera ejus; ("robur" significat verum, quia omne robur spirituale in veris consistit;) per "alienigenas" qui "intraverunt portas" significantur falsa doctrinae destruentia vera per quae ingressus datur in vera interiora; per "Hierosolymam," super quam "jecerunt sortem," significatur doctrina ecclesiae ex Verbo sic dissipata; "jacere sortem" est dissipare. Apud *Jeremiam*,

> "Vae tibi Moabe, periit populus Kemoschi, nam rapti sunt filii tui in captivitatem, et filiae tuae in captivitatem; reducam tamen captivitatem Moabi [in extremitate dierum]" (xlviii. 46, 47):

per "Moabum" intelliguntur qui in jucundo naturali sunt, et ideo bona Verbi adulterant; per "populum Kemoschi" intelliguntur qui in vero naturali sunt; quod "filii rapti sint in captivitatem, ac filiae in captivitatem," significat quod vera et bona ecclesiae eorum seclusa sint a falsis et malis ("filii" sunt vera, ac "filiae" sunt bona); "reducam captivitatem Moabi in extremitate dierum," significat quod vera illis qui per "Moabum" intelliguntur, aperientur et in illis instruentur; "extremitas dierum" significat adventum Domini.

[*c*.] Pluribus in locis in Verbo dicitur quod "captivi reducendi sint," et per "captivos" intelliguntur gentes, qui "captivi" dicuntur quia seclusi a veris, sed quae a Domino illis aperientur:—Ut apud *Esaiam*,

> "Unxit Me Jehovah ad evangelizandum pauperibus, misit Me ad obligandum fractos corde, ad praedicandum captivis libertatem, et vinctis, oculis capto" (lxi. 1):

haec de Domino; et per "pauperes," quibus ad evangelizandum Ipsum unxit Jehovah, significantur qui in paucis veris sunt, et usque desiderant illa ad sustendandum animam suam ex illis; per "fractos corde" significantur qui in dolore inde; per "captivos," quibus "praedicaret libertatem," significantur qui seclusi a veris et inde bonis sunt, quibus aperientur vera et per illa imbuentur bonis; per "vinctos, et oculis captum," significatur quibus negatum videre vera; per hos intelliguntur gentes, qui a Domino postea receperunt vera. Apud eundem,

> "Ego excitavi Illum in justitia, et omnes vias Illius rectificabo; Ille aedificabit urbem meam, et captivitatem [1]meam dimittet, non pretio neque munere" (xlv. 13):

haec quoque de Domino, et per "justitiam" in qua Jehovah excitavit Illum, significatur bonum amoris; ac per "vias" Illius, quas rectificabit, significantur vera procedentia a bono; per "urbem," quam aedificabit, significatur doctrina ecclesiae; et per "captivitatem," quam "dimittet," significatur aperitio et revelatio veritatum Divinarum apud illos qui ab illis hactenus seclusi fuerunt; quod Dominus haec facturus sit gratis, significatur per "non pretio neque munere." Apud *Jeremiam*,

> "Oppressi filii Israelis et filii Jehudae simul, et omnes captivantes

prehendent eos, renuunt dimittere eos: Redemptor eorum fortis .... litigando litigabit litem eorum, et quietem dabit terrae" (l. 33, 34):

hic quoque de Domino, qui est "Redemptor eorum fortis;" per "litigare litem eorum" significatur visitatio et judicium super illos qui opprimunt illos falsis, et sic liberatio ab illis; per "quietem terrae," quam dabit, significatur tutatio a falsis; per "filios Israelis et filios Jehudae," qui oppressi dicuntur, non intelliguntur filii Israelis et Jehudae, sed gentes qui in veris et bonis a Domino sunt; qui quia a seducentibus eos et secludentibus vera ab illis detenti sunt, dicitur quod "captivantes eos prehendant eos, et renuant dimittere eos." Apud *Davidem*,

"Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem" (Ps. lxviii. 19 [*B. A.* 18]):

haec quoque de Domino, et per "captivam ducere captivitatem" significatur liberare a falsis quae illos captivos tenuerunt. Apud *Esaiam*,

"Num sumetur a forti captura? aut num captivitas justi eripietur? Nam sic dixit Jehovah, Etiam captivitas fortis sumetur, et captura violenti eripietur" (xlix. 24, 25):

haec quoque de Domino, ac de reductione filiorum Zionis a captivitate; at per "filios Zionis" intelliguntur qui in amore in Dominum sunt, et inde in veris; quod seclusi fuerint a veris per illos qui acriter confirmarunt falsa, et quod usque liberati sint a Domino, significatur per "Num sumetur a forti captura? et num captivitas justi eripietur?" Apud *Davidem*,

"[1]Quis dabit ex Zione salutem Israelis? Cum reducet Jehovah captivitatem populi sui, exultabit Jacob, laetabitur Israel" (Ps. xiv. 7; Ps. liii. 7 [*B. A.* 6]);

per "Zionem" etiam hic intelliguntur qui in bono amoris a Domino sunt; liberatio a malis a Domino et salvatio, intelligitur per "Quis dabit ex Zione salutem Israelis?" per "reducere captivitatem populi sui" intelligitur a falsis et malis; per "exultabit Jacob, laetabitur Israel," intelligitur gaudium ex liberatione apud illos qui in ecclesia externa et interna sunt; illi qui ab ecclesia externa sunt intelliguntur per "Jacobum," et qui ab ecclesia interna per "Israelem," ac per hos et illos intelliguntur gentes.

Apud *Jeremiam*,

"Ne timeas, serve mi, Jacob; et ne consterneris, Israel; ecce Ego servans te e longinquo, et semen tuum e terra captivitatis [1]tuae, ita ut redeat Jacob, ac quiescat et tranquillus sit, nec qui terreat" (xlvi. 27; cap. xxx. 10):

per "Jacobum" et "Israelem" hic quoque intelliguntur gentes, per "Jacobum" illi qui ab ecclesia externa sunt, per "Israelem" illi qui ab ecclesia interna; "servare illos e longinquo" significat salvare illos tametsi procul a salvatione sunt; "servare e terra captivitatis" significat liberare a falsis, per quae seclusi sunt a veris et bonis caeli et [2]ecclesiae; "redire et quiescere tranquillus, nec qui terreat," significat ut tuti sint a falsis quae ex inferno. Apud eundem,

"Omnes comedentes te comedentur, et omnes hostes tui, omnes in captivitatem abibunt, et erunt praedatores tui in praedam, et omnes direptores tuos dabo in direptionem. ....Ego reducens captivitatem tentoriorum Jacobi, et habitaculorum ejus miserebor, ut aedificetur urbs super tumulo suo, et palatium juxta morem suum habitabitur" (xxx. 16, 18):

"omnes comedentes te comedentur, omnes hostes tui in captivitatem abibunt, et erunt praedatores tui in praedam, et omnes direptores tuos dabo in direptionem," significant similia quae in *Apocalypsi* haec, quae nunc explicantur; nempe, "Si quis captivitatem duxerit, in captivitatem abibit; et si quis machaera occiderit, oportet eum machaera occidi." (Quid per reliqua significatur, supra, n. 799[*b*], explicatum est.) Apud eundem,

"Inveniar vobis, et reducam captivitatem vestram, et congregabo vos ex omnibus gentibus,....et reducam vos ad locum, unde migrare feci vos" (xxix. 14):

etiam per haec describitur liberatio gentium a captivitate spirituali, quae est seclusio a veris et bonis caeli et ecclesiae, per quae salvatio. Apud *Zephaniam*,

"In tempore illo adducam vos, et in tempore congregare Me vos, quia dabo vos [3]in nomen et in laudem omnibus populi terrae, cum reduxero captivitatem vestram coram oculis vestris" (iii. 20):

per haec quoque intelligitur reductio gentium a captivitate spirituali. Apud *Amos*,

"Reducam captivitatem populi mei Israelis, ut aedificent urbes devastatas, et sedeant et plantent vineas, et bibant vinum earum, et faciant hortos, et comedant fructum eorum" (ix. 14):

haec videantur supra (n. 376[*b*], 405[*c*]) explicata.

[*d.*] Apud *Esaiam*,

"Indue robur tuum, Zion; indue vestes decoris tui, Hierosolyma, urbs sanctitatis; quia non addet, veniet amplius in te praeputiatus et immundus; excute te e pulvere, [surge,] sede Hierosolyma; aperire vinculis colli tui, captiva filia Zionis" (lii. 1, 2);

per "Zionem" intelligitur ecclesia quae in bono amoris in Dominum est; verum ex illo bono significatur per "robur" quod induet Zion; vera doctrinae illius ecclesiae significantur per "vestes decoris" quas induet Hierosolyma; per "praeputiatum et immundum" qui non addent venire amplius, significantur mala amorum terrestrium, et illorum falsa; per "excutere se e pulvere," "surgere," "sedere," cum de Hierosolyma, significatur liberatio ab infernalibus falsis, ac elevatio ad vera caeli; per "[1]Aperire vinculis colli, captiva filia Zionis," significatur liberatio a detentione a veris per falsa impedientia ne recipiatur influxus e caelo; "filia Zionis" sunt qui in affectione veri ex bono amoris a Domino. In sequentibus ibi dicitur de filiis Israelis,

Quod peregrinati sint in Aegypto, et quod Aschur illos oppresserit [(vers. 4]),

per quae significatur quod seclusi a veris essent per ratiocinia ex scientificis naturalis hominis. Apud eundem,

"[2]Accipient eos populi, et ducent eos ad locum suum, et in hereditatem tenebunt illos domus Israelis super terra Jehovae, in servos et ancillas, ita ut sint captivantes captivantes illos, et dominentur exactoribus suis" (xiv. 2):

haec quoque de reductione filiorum Israelis, et per "filios Israelis" intelliguntur gentes; quod illi qui secluserunt a veris et seduxerunt per falsa, secludantur a veris et seducantur a falsis, significatur per "captivabunt captivantes, et dominabuntur exactoribus suis." Apud *Hoscheam*,

"In domo Israelis vidi rem foedam; ibi scortatio Ephraimo, pollutus est Israel, et Jehudah posuit messem tibi, cum reduxero captivitatem populi mei" (vi. 10, 11):

haec de statu ecclesiae apud Judaeos circa adventum Domini; "scortatio Ephraimo," quae res foeda in domo Israelis, significat falsificationem Verbi; "scortatio" significat falsificationem, ac "Ephraim" intellectum Verbi: "pollutus est Israel, et Jehudah posuit messem tibi," significat quod ecclesia in meris falsis esset, et quod Verbum appli-

cuerint ad confirmandum falsa; per "Jehudam" significatur Verbum, et per "messem" suppeditatio talium ibi quae applicuerunt: quod hic status Ecclesiae Judaicae esset, cum aperirentur vera coram gentibus, quae sic liberarentur a falsis, significatur per "cum reduxero captivitatem populi mei." Similia in historicis Verbi per "captivitates filiorum Israelis" a variis hostibus, et per "liberationes eorum," significata sunt: ut

Quod coacti sint servire Kuschani regi Syriae, et liberati ab Othniele (*Judic.*, cap. iii.);
Quod serviverint Egloni regi Moabi, ac liberati per Ehuden (*Judic.*, cap iii.);
Quod traditi Javini regi Canaanis, ac liberati per Deboram (*Judic.*, cap. iv.);
Quod traditi Midianitis, et liberati per Guideonem (*Judic.*, cap. vi.);
Quod traditi Philisthaeis et Ammonitis, et liberati per Jiphtacum (*Judic.*, cap. x. et xi.).

Similia significata sunt

Per captivitatem Judaeorum septuaginta annos in Babele (2 *Reg.* [1]xxv.).

Historica enim Verbi omnia sunt repraesentativa talium quae ecclesiae sunt, et voces per quas historica descripta sunt omnes significativae sunt. Similia quae per "captivos" in Verbo, etiam significantur per "vinctos;" ut in sequentibus locis:—

"Colligentur collectione vinctus in fovea, et claudentur in claustro; at post multitudinem dierum visitabuntur" (*Esai.* xxiv. 22);
"Per sanguinem foederis tui emittam vinctos..e fovea, in qua non aqua" (*Sach.* ix. 11);
"Veniet ante Te gemitus vincti" (*Psalm.* lxxix. 11);
"Posuit orbem in desertum, et urbes [2]eorum destruxit, vinctis suis non aperuit domum" (*Esai.* xiv. 17);
"Ad aperiendum oculos caecos, ad educendum e carcere vinctum, e domo claustri sedentes in tenebris" (*Esai.* xlii. 7);
Rex dixit, "In carcere fui, et [3]venistis ad Me" (*Matth.* xxv. 36);
Jesus dixit, "Hanc filiam Abrahami, quam vinxit Satanas, ecce octodecim annos, nonne oportet solvi e vinculo hoc die sabbathi?" (*Luc.* xiii. 16.)

812. ***"Si quis machaera occiderit, oportet eum machaera occidi."***—Quod significet *quod illi qui falsis imbuunt alios, falsis ex inferno imbuantur*, constat ex significatione "gladii" et "machaerae," quod sit verum pugnans contra falsum, ac in opposito sensu falsum pugnans contra verum, hic falsum pugnans contra verum; inde "machaera occidere" est destruere vera per falsa, et quoque imbuere falsis: et ex significatione "oportet eum machaera occidi," quod

sit falsis ab inferno imbui. Causa quod hi imbuantur falsis ex inferno, est quia caelum sibi per falsa occluserunt, et quando caelum alicui est occlusum, tunc infernum ei est apertum: homo enim sive in caelo sive in inferno erit; non potest esse inter utrumque; inde cum quis caelum sibi clausit, infernum sibi aperit, et ex inferno non nisi quam falsa mali exsurgunt; haec tunc imbuunt illum. Sed non alia falsa claudunt caelum quam falsa mali: dantur enim falsa plurium generum, nempe falsa ignorantiae, falsa religionis, et falsa ex non intellecto Verbo; verbo, falsa quae ducunt ad vitam mali, et quae procedunt ex vita mali, illa quia ex inferno sunt, claudunt caelum. Ex his patet quod "Si quis machaera occiderit, oporteat eum machaera occidi," significet quod illi qui falsis imbuerunt alios, falsis ex inferno imbuantur. Simile per illa significatur quae Dominus dixit ad Petrum,

> "Omnes accipientes ad gladium, per gladium perire debent" (*Matth.* xxvi. 52):

haec dicta sunt ad Petrum, quia per illum repraesentabatur verum fidei, et quoque falsum fidei; quare [per] "accipere gladium et perire per illum" significabatur recipere falsum fidei, et perire per illud. Quod illi qui per hanc "bestiam" significantur, qui sunt qui per ratiocinia confirmant separationem fidei a vita, "machaera occidant," et "machaera occidantur," hoc est, alios falsis imbuant, ac ipsi falsis ex inferno imbuantur, est quia dogma de sola fide excludat omnia vera, et rejiciat omnia bona. Quod sola fides excludat omnia vera, est quia statuunt quod per unicum hoc salvemur, "Quod Dominus passus sit crucem pro nostris peccatis, et per id sustulerit damnationem legis, et quod sic nos redemerit;" et quia volunt quod hoc unicum, quod vocant ipsam fidem, salvet, non aliquam operam dant veris addiscendis; cum tamen vera sunt quae docent quomodo vivendum est, quae tamen multiplicia sunt. Quod sola fides rejiciat bona, sequitur ex ipso dogmate, quod fides absque bonis operibus justificet; ita ipsa bona amoris in Deum, et bona charitatis erga proximum nauci faciunt.

813. *"Hic est patientia et fides sanctorum."*—Quod significet *quod haec sint per quae tentatio et dein implantatio veri ex bono apud illos qui spirituales fiunt a Domino*, con-

stat ex significatione "patientiae sanctorum" (de qua sequitur); et ex significatione fidei, quod sit implantatio veri; et ex significatione "sanctorum," quod sint qui in veris ex bono a Domino (de qua supra, n. 204), ita qui spirituales a Domino fiunt, nam homo per vera ex bono spiritualis fit. Quod fides significet implantationem veri, est quia fides apud hominem est verum corde agnitum, nam nisi agnoscitur corde, non potest esse fides ejus; inde quoque est quod in Veteri Testamento nullibi dicatur fides, sed loco ejus veritas: immo antiqui, apud quos ecclesia fuit, prorsus non sciverunt quod fides aliud esset quam verum; dixerunt quidem quod crederent in Deum, sed per id intellexerunt tam scire et intelligere vera, quam velle et facere illa, et hoc a Domino: inde patet quod fides significet implantationem veri. Quod "patientia sanctorum" significet tentationem fidelium, seu illorum qui spirituales fiunt a Domino, est quia "patientia" [1]significat patientiam spiritualem, quae est patientia in sustinendis tentationibus; et illi in ea patientia sunt qui apud se pugnant contra falsa quae insunt et adhaerent dogmati de sola fide, confirmant enim illam per ratiocinia ex naturali homine, tum ex Verbo sinistre applicato et sic falsificato; tentationes quas illi sustinent, dum pugnant contra falsa, [2]intelliguntur per "patientiam." Simile significatur per "patientiam" apud *Lucam*,

> "Trademini..a parentibus et fratribus, ac cognatis et amicis; morti etiam dabunt ex vobis; immo eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum:....in patientia vestra possidete animas vestras" (xxi. 16, 17, 19):

haec de ultimo tempore ecclesiae, quando judicium; tentationes, quas tunc subituri sunt fideles propter vera, [3]describuntur per quod "tradentur a patribus, fratribus, cognatis et amicis," et quod "morti dabuntur," tum quod "odio habiti erunt propter nomen Domini;" per "parentes," "fratres," "cognatos" et "amicos" intelliguntur qui ab eadem ecclesia sunt, sed in malis et falsis; quod tentationes subituri sint, intelligitur per "morti tradi" et "odio haberi:" inde nunc per "In patientia vestra [4]possidete animas," significatur vitam veri inter falsa conservare; per "animam" significatur vita veri. Similiter apud eundem,

"Qui in terra bona seminati sunt, hi sunt qui in corde simplici et bono audiunt verbum, retinent, et fructum faciunt in patientia" (viii. 15):

"fructum facere in patientia" significat vera ac bona facere, tametsi inter falsa et mala, hoc est, inter illos qui in falsis et malis sunt, vivunt. Patientia Domini in tentationibus, quas prae omnibus gravissimas sustinuit, describitur his verbis, apud *Esaiam*,

"Exactionem sustinuit, idemque afflictus est, non tamen aperuit os suum, sicut agnus" (liii. 7):

"exactionem sustinere" significat tentationes; "afflictus esse" significat gravitatem earum; "non aperire os suum" significat patientiam.

VERSUS 11.

814. ***"Et vidi aliam bestiam ascendentem e terra et habebat cornua [duo] similia Agno, et loquebatur sicut draco."***

11. ***"Et vidi aliam bestiam ascendentem e terra,"*** significat *confirmationes ex sensu litterae Verbi pro fide separata a vita, et inde falsificationes veri ecclesiae* [n. 815]; ***"et habebat cornua duo similia Agno,"*** significat *potentiam persuadendi conjunctionem fidei separatae cum Verbo, sicut a Domino* [n. 816]; ***"et loquebatur sicut draco,"*** significat *simili affectione, cogitatione, doctrina et praedicatione cum illis qui separant fidem a vita fidei, quae est charitas* [n. 817].

815[*a*]. [*Vers.* 11.] ***"Et vidi aliam bestiam ascendentem e terra."***—Quod significet *confirmationes ex sensu litterae Verbi pro fide separata a vita, et inde falsificatione veri ecclesiae*, constat ex significatione "duarum bestiarum" de quibus in hoc capite, quod sint quae confirmant illa quae per "draconem" significantur; per "draconem" enim significatur imprimis sola fides (videatur supra, n. 714); et per "bestiam ex mari ascendentem" significantur ratiocinia ex naturali homine confirmantia separationem fidei a vita (videatur etiam supra, n. 774); per hanc itaque "bestiam" significantur confirmationes ex sensu litterae Verbi pro fide separata a vita, et inde falsificationes veri ecclesiae: quod "draco" per has binas "bestias" ulterius describatur, patet ex vers. 2, 4, 11, hujus capitis. Sunt etiam duo, per quae dogma aliquod haereticum potest confirmari; nempe, sunt ratiocinia ex naturali homine, et sunt confirmationes ex sensu litterae Verbi; haec duo itaque per duas has "bestias" significantur. Quod per "priorem bestiam" significentur ratiocinia ex

naturali homine, est quia per "mare," ex quo ascendit illa bestia, significatur naturale hominis; quod autem per hanc "bestiam" significentur confirmationes ex Verbi sensu litterae, est quia per "terram," e qua ascendit, significatur ecclesia ubi est Verbum: quod [1]falsificationes Verbi etiam per hanc "bestiam" significentur, est quia Verbum nusquam potest confirmare dogma falsum, nisi falsificetur: omnia enim Verbi sunt vera; quare omnia vera possunt ex Verbo confirmari, et neutiquam falsa, ut manifeste constare potest a supradictis, et quoque a sequentibus in hoc capite.

[*b*.] Quoniam supra (n. 785) e Verbo allata sunt loca ubi "opera," "facta," "operari" et "facere" dicuntur, velim hic afferre loca ubi "fides" et "credere" nominantur, sed modo loca ex *Evangelistis*, non autem ex *Epistolis Apostolorum*; causa quod solum ex *Evangelistis*, est quia ibi sunt Ipsius Domini verba, quae omnia in se sensum spiritualem recondunt, per quem immediata communicatio cum caelo datur; Apostolorum autem scriptis non talis sensus inest; sunt usque libri utiles ecclesiae. Loca ubi "fides" et "credere" in Verbo dicuntur, sunt sequentia:—Apud *Matthaeum*,

> **Venit centurio ad Dominum, dicens, "Domine, non sum idoneus ut sub tectum meum subeas, sed tantum dic verbum, et sanabitur puer meus. ....Audiens..Jesus admiratus est, et dixit sequentibus Se, Amen dico vobis, non in Israele tantam fidem inveni:....et dixit centurioni, Vade, et sicut credidisti, fiat tibi, et sanatus est puer ejus in hora illa" (viii. 8, 10, 13):**

quod Dominus hunc et reliquos sanaverit secundum fidem eorum, erat causa, quia primum et primarium ecclesiae instaurandae erat ut crederent Dominum esse Deum omnipotentem; nam absque illa fide non aliqua ecclesia potuit instaurari; erat enim Dominus Deus caeli et Deus terrae, cum quo non datur aliqua conjunctio quam per agnitionem Divinitatis Ipsius, quae agnitio est fides: quod centurio agnoverit Dominum pro Deo omnipotente, patet; dixit enim, "Non sum idoneus ut sub tectum meum subeas, sed tantum dic verbum, et sanabitur puer meus." Apud eundem,

> **"Mulier profluvio sanguinis laborans..., tetigit fimbriam indumenti" Jesu, "nam dixit in se ipsa, Si modo tetigero indumentum Ipsius, sanabor; Jesus..conversus illam videns, dixit, Filia, confide; fides tua te salvam fecit: et sanata est in hora illa" (ix. 20–22):**

apud eundem,

"Obtulerunt paralyticum super lecto jacentem; videns Jesus..fidem eorum, dixit paralytico, Confide,..remissa sunt..peccata tua;.... surgens tolle lectum tuum et abi in domum tuam" (ix. 2–7; *Luc.* v. 19–25):

apud eundem,

"Duo caeci clamantes et dicentes, Miserere nostri, fili Davidis:....dixit illis Jesus, Creditisne quod possim hoc facere? Dicunt illi, Immo Domine; tunc tetigit oculos illorum, dicens, Juxta fidem vestram fiet vobis; et aperti sunt eorum oculi" (ix. 27–29[, 30]):

per hanc fidem, per quam sanati fuerunt aegroti, non intelligitur alia fides quam quae vocatur historica, quae etiam eo tempore fuit miraculosa; quapropter multi per eam fidem eo tempore miracula fecerunt: fides erat quod Dominus esset omnipotens, quia ex Se potuit miracula facere; quare etiam admisit in Se adorationes, secus ac prophetae Veteris Testamenti, qui non adorati sunt. Sed haec fides historica omnino praecedet, antequam eadem fit salvifica; nam tunc fides historica apud hominem fit salvifica, quando homo vera ex Verbo addiscit, et secundum illa vivit. Apud eundem,

Mulier Cananaea, cujus filia a daemonio agitata fuit, "venit et adoravit" Jesum, "dicens, Domine adjuva me;....dixit illi Jesus,..Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis; et sanata est filia ejus" (xv. 22–28):

apud *Johannem*,

"Regius, cujus filius aegrotabat" rogabat Jesum, ut sanaret filium suum antequam moreretur; "dixit illi Jesus, Abi, filius tuus vivit; et credidit homo verbo quod dixit illi Jesus:...et servi occurrerunt illi,...dicentes, Filius tuus vivit;....ideo credidit ille, et tota domus ejus" (iv. 46–53):

apud eundem,

Jesus inveniens caecum natum, quem sanavit, dixit illi, "Tune credis in Filium Dei? Respondit ille et dixit, Quis est, Domine, ut credam in Illum? Dixit illi.., Et vidisti Ipsum, et qui loquitur tecum Ipse est. Ille..dixit, Credo, Domine, et adoravit Ipsum" (ix. 35–38):

apud *Lucam*,

Jesus dixit ad archisynagogum, cujus filia mortua est, "Ne timeto, crede modo, tum servabitur;" et resuscitata est filia (viii. 50, 55):

apud eundem,

Unus ex decem leprosis a Domino sanatis, reversus, qui erat Samarita, cecidit super faciem suam, ad pedes Jesu, "et dixit illi" Jesus, "Surge, abi, fides tua sanum te fecit" (xvii. [15, 16,] 19):

apud eundem,

Jesus ad caecum dixit, "Fides tua salvum te fecit, et extemplo videre potuit" (xviii. 42, 43):

apud *Marcum*,

Jesus dixit ad discipulos, cum non sanare potuerunt alicujus filiam habentem spiritum mutum; cui Jesus dixit, "Si possis credere, omnia possibilia sunt credenti:..exclamans pater pueri cum lachrymis dixit, Credo Domine; juva meam incredulitatem;" et sanatus est (ix. 17, 23, 24).

Quod fides in Dominum sanaverit illos, erant tres causae: *prima*, quod agnoverint Divinam Ipsius omnipotentiam, et quod esset Deus: *secunda* erat, quia fides est agnitio, et ex agnitione intuitio; ac omnis intuitio ex agnitione sistit alium sibi praesentem, quod in mundo spirituali commune est; hic itaque intuitio ex agnitione omnipotentiae Domini, quae erat ex qua primum intuituri Dominum erant, quum nova ab Ipso ecclesia institueretur; inde constare potest quid per fidem ibi intelligitur: *tertia* causa erat, quod omnes morbi, quos Dominus sanavit, repraesentaverint et inde significaverint morbos spirituales morbis illis naturalibus correspondentes; ac morbi spirituales non possunt sanari nisi quam a Domino, et quidem per intuitionem in Divinam Ipsius omnipotentiam, ac per paenitentiam vitae; quare etiam aliquoties dixit, "Remissa sunt tibi peccata, abi et non pecca amplius;" haec fides etiam per fidem hanc miraculosam repraesentabatur et significabatur; sed fides, per quam a Domino sanantur morbi spirituales, non datur nisi quam per vera ex Verbo, et per vitam secundum illa; ipsa vera et vita secundum illa faciunt quale fidei: sed de hac plura in sequentibus:—Apud *Johannem*,

Dicit soror Lazari jam dum mortui, "Domine jam olet;...dicit illi Jesus, Nonne dixeram tibi, [quod] si crederes, visura esses gloriam Dei?" (xi. 39, 40:)

apud *Lucam*,

Jesus dixit mulieri peccatrici, quae madefecit lachrymis pedes Ipsius, et capillis capitis abstersit, et osculata pedes, quos etiam oleo unxit, ..."Remissa sunt tibi peccata tua,....fides tua te salvam facit, abi in pacem" (vii. 38, 48, 50):

ex his quoque patet quod fides omnipotentiae Domini sanaverit illos, et quoque quod eadem fides remiserit, hoc est, removerit, peccata; causa erat, quia mulier illa non solum fidem Divinae omnipotentiae de Domino habuit,

sed etiam Ipsum amavit, nam osculata est pedes Ipsius; quare dixit Dominus, "Remissa sunt tibi peccata tua, fides tua te salvam facit;" fides enim sistit Divinum Domini sibi praesens, et amor conjungit; potest enim Dominus praesens sisti sed non conjungi; inde patet quod fides ex amore salvet. [Et alibi,]

> Jesus dixit discipulis in navi, "Quare timidi estis, exiguae fidei homines? Tunc erexit Se, et reprehendit ventum et mare, et facta est tranquillitas magna" (*Matth.* viii. 26; *Marc.* iv. 39–41; *Luc.* viii. 24, 25):
> Petrus ex jussu Domini descendit e navi, et ambulavit super aquis; verum cum veniret ventus fortis, "extimuit, et incipiens demergi clamavit,.. Domine, serva me; Jesus..statim apprehendens manum ejus, dixit.., Exiguae fidei homo, quare dubitabas?" (*Matth.* xiv. 28–31:)
> Quum discipuli non potuerunt sanare lunaticum, Jesus dixit illis, "Generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum?" et Jesus sanavit eum; et dixit ad discipulos quod non potuerint sanare eum, propter incredulitatem eorum (*Matth.* xvii. 14, seq.):
> Jesus venit in patriam suam, et ibi "scandalizati sunt in Ipsum; et Jesus dixit.., Non est propheta minus honoratus quam in patria sua, et in domo sua; ideo non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum" (*Matth.* xiii. 57, 58):

quod Dominus vocaverit discipulos "homines exiguae fidei," cum non potuerunt miracula in nomine Ipsius facere, et quod non potuerit miracula facere in patria sua propter incredulitatem eorum, erat causa, quia discipuli quidem credebant Dominum esse Messiam seu Christum, tum Filium Dei, et Prophetam, de quo scriptum est in Verbo, sed usque nondum crediderunt Ipsum Deum omnipotentem, et quod Jehovah Pater esset in Ipso; et tamen quatenus crediderunt Ipsum hominem, et non simul Deum, non potuit Divinum Ipsius, cui omnipotentia est, sisti discipulis praesens per fidem: fides enim sistit Dominum praesentem, ut supra dictum est; sed fides in Dominum ut hominem solum, non sistit omnipotentiam Divinam Ipsius praesentem; quae etiam causa est, quod non salvari possint qui hodie in mundo solum spectant ad humanum Ipsius, et non simul ad Divinum Ipsius, ut faciunt Sociniani et Ariani. Ex simili causa fuit quod Dominus non potuerit miracula facere in patria sua, quia ibi viderunt Ipsum ab infantia sicut alium hominem; quare non potuerunt isti ideae adjicere ideam Divinitatis; et quando haec non adest, quidem Dominus est praesens sed non cum Divina omnipotentia in homine, nam fides sistit Dominum praesentem in homine secundum quale perceptionis de Ipso; reliqua homo non agnoscit et

sic rejicit; ut enim Dominus aliquid operetur per fidem apud hominem, erit praesentia Divini Domini in homine, et non extra illum. Apud *Johannem*,

> "Multi..de turba crediderunt in" Jesum, "et dixerunt, quod Christus quando venerit, numquid plura signa is faceret, quam quae Hic fecit?" (vii. 31:)

apud *Marcum*,

> "Signa..credentes haec sequentur; in nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, etiamsi letale quid biberint, non illis nocebit; super infirmos imponent manus, et bene habebunt:....illi..exeuntes praedicarunt ubique, Domino cooperante et verbum confirmante per subsequentia signa" (xvi. 17-20).

Quod fides miraculosa, et non salvifica sit, quae ibi intelligitur, constare etiam potest ex eo, quod Judaica gens solum crediderit in Jehovam propter miracula; erant enim externi homines, et hi solum ad cultum Divinum per externa quae animos percellunt, qualia sunt miracula, moventur. Etiam miraculosa fides erat prima fides apud illos apud quos nova ecclesia instauranda erat: etiam illa fides est prima fides apud omnes in Christiano orbe hodie; quare miracula a Domino facta, descripta sunt, et quoque praedicantur: nam fides prima apud omnes est fides historica, quae postea fit salvifica quando homo per vitam fit spiritualis; nam omnium primo credendum est quod Dominus sit Deus caeli et terrae, ac quod sit omnipotens, omnipraesens, omnisciens, infinitus, ac unus cum Patre; haec scienda sunt, et quatenus modo sciuntur, sunt historica, et fides historica sistit Dominum praesentem, est enim illa fides intuitio Domini ex quali Divinitatis Ipsius; sed usque illa fides non salvat, priusquam homo vivit vitam fidei, quae est charitas; nam tunc vult et facit quae credit, ac velle et facere est amoris, et amor conjungit Ipsum quem fides sistit praesentem. Quid miracula illa, quae discipuli facturi erant, et quae ab illis facta sunt initio Ecclesiae Christianae, ut quod "daemonia ejicerent," "linguis novis loquerentur," et plura, significaverunt, videatur supra (n. 706[c]). Apud *Matthaeum*,

> "Jesus dixit,....Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi illuc, tunc transibit, et nihil impossibile erit vobis" (xvii. 14-20):

apud *Marcum*,

"Habete fidem Dei; amen..dico vobis, quod quicunque dixerit monti huic, Tollere,..projice te in mare, nec dubitaverit corde suo, sed crediderit quod quae dicit futura sint, fiet illi quod dixerit: propterea dico vobis, omnia quaecunque precantes petitis, credite quod accepturi sitis, tunc fiet vobis" (xi. 22–24):

apud *Matthaeum*,

"Jesus dixit" discipulis..."Si habueritis fidem, et non dubitaveritis, non tantum id quod in ficu factum est facietis: sed etiam si monti huic dixeritis, Tollere,..projice te in mare[, fiet]; immo omnia quae petieritis...credentes" in Me, "accipietis" (xxi. 21, 22):

apud *Lucam*,

"Si habeatis fidem sicut granum sinapis, et dixeritis sycomoro huic, Eradicare et plantare in mari, utique obediet vobis" (xvii. 6).

Quod haec aliter intelligenda sint quam secundum verba, constare potest ex eo, quod dictum sit ad discipulos, "Si fidem haberent sicut granum sinapis, quod montem et sycomorum potuissent loco suo evellere et projicere in mare," tum quod "omnia quae peterent accepturi essent;" cum tamen non ex Divino ordine est ut quisque acciperet quod petit, si modo fidem haberet; tum quod evellerent montem et arborem ex suo loco, et projicerent in mare: sed per "fidem" hic intelligitur fides a Domino; quare etiam vocatur "fides Dei;" et qui in fide a Domino est, nihil aliud petit quam quod regno Domini et sibi ad salutem conducit; reliqua non vult; dicit enim corde, Cur petenda quae non talis usus sunt? Quare non potest aliquam fidem Dei seu fidem a Domino habere in petendo quam quod a Domino ei petere datur. Immo angelis caeli impossibile est aliud velle, ita aliud petere; si aliud, non possunt fidem habere quod accepturi sunt. Quod Dominus comparaverit talem fidem valori et potentiae projiciendi montem aut sycomorum in mare, erat quia Dominus hic ut alibi locutus est per correspondentias; quare illa verba etiam spiritualiter intelligenda sunt: per "montem" enim significatur amor sui et mundi, ita amor mali; et per "sycomorum" significatur fides illius amoris, quae est fides falsi ex malo; et per "mare" significatur infernum; quare per "montem evellere et projicere in mare per fidem Dei," significatur amores illos, qui in se diabolici sunt, ejicere in infernum, similiter fidem falsi ex malo; hoc fit per fidem a Domino. Quod comparatio valoris et potentiae fidei a Domino facta sit cum evulsione et projectione montis et

sycomori, est etiam quia in mundo spirituali actualiter ita fit: amores illi mali quandoque ibi apparent sicut montes, ac fides falsi ex malo sicut sycomorus, ac utrumque ab angelo per fidem a Domino potest eradicari et projici in infernum. (Quod per "montem" significetur amor in Dominum, ac in opposito sensu amor sui, videatur supra, n. 405, 510: et quod "ficus" aut "sycomorus" significet naturalem hominem quoad bona et vera ibi, ac in opposito sensu eundem quoad mala et falsa, supra, n. 403.)

[c.] Haec de fide miraculosa. Sequuntur nunc loca ex *Evangelistis* de fide salvifica, quae est fides veri ex amore in Dominum:—Apud *Johannem*,

> "Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in Ipsum, non pereat sed habeat vitam aeternam. Adeo namque dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in Ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. ....Qui credit in Ipsum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei" (iii. 14–19):

apud eundem,

> "Pater amat Filium, et omnia dedit in manum Ipsius; qui credit in Filium, habet vitam aeternam; qui vero non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum" (iii. 35, 36):

apud eundem,

> "Nisi credideritis quod Ego sim, moriemini in peccatis vestris" (viii. 24):

apud eundem,

> "Dixerunt..ad" Jesum, "Quid faciemus ut operemur opera Dei? Respondens Jesus dixit, Hoc est opus Dei, ut credatis in Ipsum quem misit" Pater. ...."Ego sum panis vitae; qui venit ad Me, non esuriet, et qui credit in Me, non sitiet unquam. ....Haec.. est voluntas Ipsius qui misit Me, ut omnis qui videt Filium, et credit in Ipsum, habeat vitam aeternam, et resuscitem illum in extremo die. ....Non Patrem vidit quis, nisi qui est apud [1]Deum, Hic vidit Patrem: amen..dico vobis, qui credit in Me, habet vitam aeternam: Ego sum panis vitae" (vi. [2]28, 29, 35, 40, 46–48):

apud eundem,

> Jesus dixit, "Qui verbum meum audit, et credit Ipsi qui misit Me, habet vitam aeternam, et in judicium non veniet, sed transcendet e morte in vitam: amen..dico vobis, quod veniet hora,...quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audient, vivent: quemadmodum..Pater vitam habet in Se Ipso, ita dedit Filio vitam habere in Se Ipso" (v. 24–26):

apud eundem,

> "Jesus clamavit, dicens, Si quis sitiverit, venito ad Me et bibito; quisquis credit in Me, sicut dixit Scriptura, flumina e ventre illius fluent aquae viventis: haec..dixit de spiritu, quem accepturi erant, credentes in Ipsum" (vii. 37–39):

apud eundem,

"Jesus..dixit, Ego sum resurrectio et vita; qui credit in Me, etsi moriatur, vivet; omnis vero qui vivit, et credit in Me, non morietur in aeternum" (xi. 25-27):

apud eundem,

"Jesus..clamavit et dixit, Qui credit in Me, non credit in Me, sed in Ipsum qui misit Me. ....Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat: et si quis audiverit mea verba, non tamen crediderit, Ego non judico illum;....qui spernit Me, et non accipit mea verba, habet qui judicet illum, verbum, quod locutus sum,..judicabit illum extremo die" (xii. 44-48):

apud eundem,

"Quousque lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis" (xii. 36):

apud eundem,

"Non turbator cor vestrum; credite in Deum, et credite in Me" (xiv. 1):

apud eundem,

"Quotquot..receperunt" Jesum, "dedit illis potestatem ut filii Dei essent, credentibus in nomen Ipsius" (i. 12):

apud eundem,

"Multi crediderunt in nomen Ipsius, videntes signa Ipsius" (ii. 23):

apud eundem,

"Haec..scripta sunt, ut credatis quod Jesus sit Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine Ipsius" (xx. 31):

apud *Marcum*,

Jesus dixit discipulis, "Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvabitur; qui vero non crediderit, condemnabitur" (xvi. 15, 16):

in his et in aliis locis describitur fides salvifica, quod credendum sit in Dominum, et quod credere in Ipsum sit etiam credere in Patrem, quia Ipse et Pater unum sunt. Per "credere in Dominum" significatur non modo adorare et colere Ipsum, sed etiam vivere ab Ipso; et vivitur ab Ipso cum vivitur secundum Verbum, quod ab Ipso; quare "credere in Ipsum" est credere quod Ipse regeneret hominem, et quod regeneratis ab Ipso det vitam aeternam. Simile quod per "credere in Ipsum" significatur per "credere in nomen Ipsius;" "nomen" enim Domini significat omne quale fidei et amoris, per quod Ipse colendus est, et per quod homo ab Ipso salvatur: causa, quod id per "nomen Ipsius" significetur, est quia non alia nomina dantur perso-

nis in mundo spirituali, quam secundum quale affectionis et vitae eorum; unde quisque cognoscitur, qualis est, ex solo nomine ejus; inde cum nomen ejus enuntiatur, ac amatur id quale quod intelligitur per nomen, tunc sistitur ille praesens, et conjunguntur sicut socii aut fratres: quale autem Domini est omne fidei et amoris per quod homo ab Ipso salvatur, nam id quale est essentia procedens ab Ipso; quare cum cogitatur id quale, tunc sistitur Dominus praesens apud illum, et cum amatur id quale, tunc conjungitur ei Dominus; inde est, quod qui credunt in nomen Ipsius vitam aeternam habeant. Inde patet quam necessarium sit homini scire quale fidei et amoris, quod est "nomen Domini," tum amare illud quale, quod fit per facere illa quae a Domino praecepta sunt. Etiam nomina "Jesus" et "Christus" involvunt id quale, nam *Jesus* significat salvationem, et *Christus* seu *Messias* significat Divinum Verum, quod est omne fidei et amoris quoad cognitiones, doctrinam et vitam; inde cum nominantur illa nomina, quale eorum cogitandum est, et secundum id vivendum. Hoc intelligitur per verba Domini apud *Matthaeum*,

> Jesus dixit, "Si duo ex vobis consenserint in nomine meo super terra de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo qui in caelis est; ubi enim sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum" (xviii. 19, 20).

Est quidem praesentia Domini apud omnes, et quoque amor erga omnes; sed usque non potest homo duci et salvari a Domino quam secundum receptionem Domini in homine per fidem et amorem in Ipsum. Ex his patet quam necessarium est homini scire quale fidei et amoris, quod est nomen Domini; tum amare illud quale, nam Dominus non amatur nisi quam per quale suum. Quod Dominus adeundus sit, et secundum quale fidei et amoris, quod praescribitur in Verbo, colendus sit, et non Pater, Ipse Dominus docet, dicens,

> Quod nemo Patrem viderit unquam, sed quod Filius exponat [(*Joh.* i. 18)];
> Tum quod nemo veniat ad Patrem, nisi per Ipsum [(*Joh.* xiv. 6)];
> Ut et quia Pater et Ipse unum sunt [(*Joh.* x. 30)]:

quare "adire Patrem," et non Ipsum, est ex uno duos facere, et sic colere illud Divinum extra Dominum quod

in Ipso est; per quod etiam perit homini idea Divinitatis de Domino: ex his iterum patet veritas,

> Quod qui credit in Filium, vitam aeternam habeat [(*Joh.* iii. 36)].

Quod credere in Dominum sit credere in Patrem, etiam docet Ipse Dominus apud *Johannem*,

> "Qui credit in Me, non credit in Me, sed in Ipsum qui misit Me; et qui videt Me, videt Ipsum qui misit Me" (xii. 44, 45):

per haec intelligitur, quod qui credit in Dominum non credat in Ipsum separatum a Patre, sed etiam in Patrem; quare adjicitur, "Qui videt Me, videt Ipsum qui misit Me." Tum alibi apud *Johannem*,

> "Credite in Deum,..credite in Me" ([1]xiv. 1);

apud eundem,

> Philippe, "nonne credis quod Ego in Patre, et Pater in Me?....Credite Mihi quod Ego in Patre et Pater in Me:....amen..dico vobis, qui credit in Me, opera quae Ego facio, ille etiam faciet,....quia Ego ad Patrem meum abeo" (xiv. 10–12);

apud eundem,

> "In ista die in nomine meo petetis; et non dico vobis quod Ego petiturus sim Patrem pro vobis; Ipse..Pater amat vos, quod vos Me amaveritis et credideritis quod Ego a Deo exiverim; exivi a Patre, et veni in mundum,...et vado ad Patrem: dicunt..discipuli,.... In hoc credimus quod a Deo exiveris" (xvi. 26–28, [29,] 30):

"exire a Patre" significat conceptum ab Ipso; et "vadere ad Patrem" significat plenarie uniri Ipsi; quod "exire a Patre" sit quod conceptus sit ab Ipso, constat manifeste a conceptione Ipsius

> (Apud *Matthaeum*, cap. i. 18–25; et apud *Lucam*, cap. i. 34, 35);

et quod "vadere ad Patrem" sit plenarie uniri Ipsi, patet a glorificatione Ipsius Humani per passionem crucis (de qua prius); quare dicit, quod "In ista die in nomine meo petetis," et non amplius in nomine Patris. Apud eundem,

> Jesus dixit ad Thomam, "Quia vidisti Me,..credidisti; beati qui non vident et credunt:"...."et dixit Thomas.., Domine mi, et Deus mi" (*Joh.* xx. 29, 28):

quia Dominus nunc plene unitus fuit Ipso Divino quod "Pater" vocatur, ideo Thomas vocat Ipsum suum Dominum, et suum Deum. Similiter alibi apud eundem,

> "Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vosne dicitis, quod blas-

phemes, quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, ne credite Mihi; [si vero facio,] si utique Mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quod Pater in Me, et Ego in Patre" (x. 36–38).

Quod Judaei non crediderint, patet

Apud *Johannem*, cap. v. 14–47; cap. x. 24–26; cap. xii. 37–49: *Matth.* xxi. 31, 32:

causa incredulitatis eorum fuit, quia voluerunt Messiam qui evecturus esset illos in gloriam super omnes gentes in mundo; et quia prorsus naturales fuerunt, et non spirituales; et quia Verbum, imprimis ubi agitur de Domino et quoque de ipsis, falsificaverunt: quod ideo non crediderint, patet a fide Judaeorum etiam hodie; qui prorsus naturales sunt, illi vix aliquid sciunt ac volunt scire de regno Domini in caelis. Quod nec hodie in Christiano orbe credituri sint quod Dominus sit unus cum Patre, et inde Deus caeli et Deus terrae, intelligitur per Domini verba apud *Lucam*,

"Filius hominis veniens, num inveniet fidem super terra?" (xviii. 8:)

sed de hac re, volente Domino, alibi plura.

816. ***"Et habebat cornua duo similia Agno."***—Quod significet *potentiam persuadendi conjunctionem fidei separatae cum Verbo, sicut a Domino*, constat ex significatione "cornuum," quod sint potentia (de qua supra, n. 316, 776); ex significatione "duo," quod sint conjunctio (de qua etiam supra, n. 532 fin.); et ex significatione "Agni," quod sit Dominus quoad Divinum Humanum (de qua etiam supra, n. 314): quod itaque per "habere duo cornua similia Agno" significetur potentia persuadendi conjunctionem fidei separatae cum Verbo, sicut a Domino, constare potest ex illis quae praecedunt, et ex illis quae sequuntur; ex illis quae praecedunt, quod per "bestiam ascendentem e terra" significentur confirmationes ex sensu litterae Verbi pro fide separata a vita (videatur mox supra, n. 815[a]); ex sequentibus, quod dicatur quod haec bestia "locuta sit sicut draco," et quod "potestatem prioris bestiae omnem fecerit coram eo," per quae significatur similis affectio, cogitatio, doctrina et praedicatio cum illis qui separant fidem a vita fidei quae est charitas; ac conjunctio ratiociniorum e naturali homine, per quae corroboratur religio fidei separatae, de quibus in

articulis mox sequentibus: ex quibus patet quod cum "cornua" hujus bestiae significant potentiam persuadendi, "duo" conjunctionem, et "Agnus" Dominum, tunc per quod "bestia haec haberet duo cornua similia Agno," significetur potentia persuadendi conjunctionem fidei separatae a vita cum Verbo, sicut a Domino. Quod super capite hujus bestiae visa sint solum duo cornua, at super capite bestiae prioris decem cornua, est quia per hanc bestiam significantur confirmationes ex Verbo, et in Verbo est conjugium boni et veri, et hoc conjugium significatur per "duo;" inde etiam cornua erant visa "similia Agno," quia per "Agnum" intelligitur Dominus, hic quoad Verbum; quod Dominus quoad Divinum Humanum suum sit Verbum, hoc est, Divinum Verum, apertis verbis dicitur apud *Johannem*, nempe,

Quod Verbum Caro factum sit (cap. i. 14).

Qualis potentia persuadendi et confirmandi quodcunque haereticum ex Verbo, notum est in orbe Christiano ex tot ibi haeresibus, quarum unaquaevis confirmatur et sic persuadetur ex sensu litterae Verbi: causa est quia sensus litterae Verbi est secundum captum simplicium, et ideo consistit quoad multam partem ex apparentiis veri; et apparentiae veri tales sunt ut trahi possint ad confirmandum omne quod a quodam pro principio religionis et inde doctrinae assumitur, ita quoque falsum; quapropter illi qui ipsum genuinum verum ponunt in solo sensu litterae Verbi, hallucinari possunt in multis, si non in illustratione sint a Domino, et in illa doctrinam, quae pro lucerna sit, sibi faciant: in sensu litterae Verbi sunt tam nuda vera, quam investita vera; haec sunt apparentiae veri, et apparentiae veri non aliter possunt intelligi quam ex locis ibi ubi nuda vera exstant, ex quibus doctrina a Domino apud illustratum formari potest, et reliqua secundum illam explicari; inde est, quod qui Verbum absque doctrina legunt, in multiplices errores auferantur. Quod Verbum ita conscriptum sit, est causa, ut illud sit conjunctio caeli cum homine; et conjunctio est, quia unaquaevis vox ibi, et in quibusdam locis unaquaevis littera, sensum spiritualem, in quo sunt angeli, continet; quare cum homo Verbum secundum ejus apparentias veri percipit,

angeli, qui circumdant hominem, illud spiritualiter intelligunt; ita conjungitur spirituale caeli cum naturali mundi quoad talia quae ad vitam hominis post mortem conducunt; si aliter conscriptum fuisset Verbum, non potuisset aliqua conjunctio caeli cum homine dari. Et quia Verbum in littera tale est, ideo est quasi fulcrum pro caelo; nam omnis sapientia angelorum caeli, quoad talia quae ecclesiae sunt, terminatur in sensu litterae Verbi, sicut in sua basi; quare Verbum in littera vocari potest sustentaculum caeli; inde est sensus litterae Verbi sanctissimus, immo etiam est prae sensu ejus spirituali potens, quod ex multa experientia in mundo spirituali notum mihi factum est; nam dum spiritus aliquem locum secundum sensum litterae proferunt, statim excitant aliquam societatem caelestem ad conjunctionem secum. Ex his constare potest quod omne doctrinae ecclesiae confirmandum sit ex sensu litterae Verbi, ut [1]ei aliqua sanctitas et potentia insit; et quidem ex illis Verbi Libris in quibus sensus spiritualis est. Exinde etiam patet quam periculosum est falsificare Verbum usque ad destructionem Divini Veri, quod est in sensu spirituali ejus; nam sic caelum homini occluditur: quod hoc fiat ab illis qui ex Verbo confirmant separationem fidei ab ejus vita, quae sunt bona opera, supra ostensum est.

817[a]. *"Et loquebatur sicut draco."*—Quod significet *simili affectione, cogitatione, doctrina et praedicatione cum illis qui separant fidem a vita fidei, quae est charitas*, constat ex significatione "loqui," quod sit affectio, cogitatio, doctrina et praedicatio; causa quod "loqui" illa significet, est quia omnis loquela hominis est ex affectione et inde cogitatione; ipsa affectio exprimitur per sonum loquelae, et cogitatio per voces ejus; quod utraque tam affectio quam cogitatio sit in loquela, constare potest unicuivis qui reflectit; ipsa affectio sola non loqui potest, nisi solum sonare et canere, et ipsa cogitatio sola nec loqui potest aliter quam automaton absque vita, nam affectio vivificat omnem vocem loquelae; quae etiam est causa quod homo spectetur ab aliis secundum ejus loquelae affectionem, et non secundum ejus loquelae voces: quod "loqui" etiam significet praedicationem ex doctrina, ita doctrinam et inde praedicationem, est quia dicitur quod "bestia locuta sit

sicut draco;" et per "draconem" intelliguntur qui in fide separata a charitate sunt et doctrina et vita (videatur supra, n. 714); et per hanc "bestiam" intelliguntur confirmationes ex sensu litterae Verbi pro separatione fidei a vita, et inde Verbi falsificationes; quare religiosum illud quoad doctrinam et quoad praedicationem significatur per "loqui sicut draco." Quoniam per "draconem" et per binas ejus "bestias" describitur fides separata a charitate, et inde falsificatio Verbi, velim in hoc articulo ostendere quod simile haereticum in Verbo describatur per "Cainum," per "Reubenem" et per "Philisthaeos," et quod simile intelligatur per "hircum" apud *Danielem*. Fuerunt enim ecclesiae in hac tellure plures; nempe Antiquissima quae ante diluvium, Antiqua quae post diluvium, Judaica quae Antiquae successit, et ultimo Ecclesia Christiana; omnes hae ecclesiae temporis tractu degeneraverunt in binos enormes errores, in unum qui adulteravit omnia bona ecclesiae, et in alterum qui falsificavit omnia vera ejus. Ecclesia quae adulteravit omnia bona ecclesiae, describitur in Verbo per "Babylonios" et "Chaldaeos;" et ecclesia quae falsificavit omnia vera ecclesiae, describitur per "Cainum," per "Reubenem," perque "Philisthaeos," et apud *Danielem* per "hircum" qui pugnavit cum ariete et vicit illum. De adulteratione boni ecclesiae, quae describitur per "Babylonios" et "Chaldaeos," dicetur in sequentibus, ubi in *Apocalypsi* de "Babylonia" agitur; nunc autem de falsificatione veri, quae hic in *Apocalypsi* describitur per "draconem" et ejus binas "bestias;" quod etiam describatur per "Cainum" et per reliquos supra nominatos, dicetur.

[*b*.] Quod per "Cainum" repraesentati sint qui separant cognitiones veri et boni a vita secundum illas, et crediderunt quod per illas solas salvarentur, paucis ostensum est in *Arcanis Caelestibus*, ubi de Caino et Abele actum est: quibus haec velim adjicere. De Caino legitur,

> Quod primogenitus Adami fuerit, et quod coluerit humum, et quod obtulerit de fructu humi munus Jehovae; et quod Abel fuerit pastor gregis, et quod obtulerit de primogenitis gregis sui, et de pinguedine eorum; et quod Jehovah aspexerit ad munus Abelis, et non ad munus Caini, et quod ideo accensa sit ira Caino, et occiderit fratrem suum; et quod Cain ideo maledictus sit, et ejectus humo, et factus vagus et profugus in terra; et quod Jehovah imposuerit Caino signum ne occideretur, cum statuto quod septempliciter vindicaretur qui illum occideret (de quibus videatur cap. iv. *Geneseos*).

Sciendum est quod per omnia nomina personarum et locorum in Verbo significentur res et status ecclesiae, et praecipue per nomina in primis capitibus *Geneseos*, quia historica in illis sunt historica facta, continentia arcanissima caeli, sed usque sanctissima in sensu litterae, quia in singulis vocibus ibi est sensus spiritualis conjungens caelos cum hominibus ecclesiae. Quid historica illa in sensu spirituali involvunt, et quid nomina personarum ibi significant, explicatum est in *Arcanis Caelestibus*. Per "Cainum" significantur cognitiones veri et boni separatae a vita secundum illas, ita ab amore caelesti; et per "Abelem" significatur amor caelestis: seu quod idem, per "Cainum" significatur verum separatum a bono, et per "Abelem" bonum conjunctum vero. Et quia verum est primum ecclesiae, nam omnis ecclesia formatur per vera, a veris enim, seu a cognitionibus veri et boni incohat omnis ecclesia, ideo fuit Cainus primogenitus, et nominatus est "vir Jehovae;" per "virum" enim "Jehovae" in Verbo significatur verum caeli et ecclesiae; ac per "humum," quam coluit Cain, significatur ecclesia: separatio veri a bono significatur per "necem Abelis a Caino;" nam dum omne ecclesiae ponitur in veris aut in cognitionibus, et non in bonis aut in affectionibus vivendi secundum vera, tunc bonum cum ejus affectionibus occiditur: et quia omne ecclesiae perit quando verum separatur a bono, ideo "Cainus ejectus est ex humo," per quam, ut dictum est, significatur ecclesia. At quia vera sunt prima ecclesiae, nam vera docebunt vitam, ideo "positum est signum in Caino, ne quis illum occideret;" et statutum est "ut septempliciter vindicaretur, si quis illum occideret." Et quia verum absque bono fertur huc illuc, nihil enim est quod ducit, quare successive labitur in falsa, et dilabitur a via quae ducit ad caelum, ideo "Cain ejectus est a facie Jehovae, et factus vagus et profugus." Simile est cum fide et charitate, quia fides est veri, et charitas est boni; ita cum fide separata a charitate simile est cum illis quae dicuntur de Caino, quod nempe "occidat Abelem fratrem suum," qui est charitas, et quod inde pereat ecclesia, quod significatur per "ejici ex humo," ac "fieri vagus et profugus;" nam cum fides separatur a charitate, tunc verum successive vertitur in falsum, ac dilabitur.

[c.] Quod "Reuben," primogenitus Jacobi, significaverit lucem veri, ac inde intellectum Verbi, et sic verum ex bono, aut fidem ex charitate, simile quod Petrus Apostolus,—et quod etiam vicissim repraesentaverit verum separatum a bono, seu fidem separatam a charitate, et quod haec fides significetur per adulterium ejus cum Bilha muliere patris sui, et quod ideo ei adempta fuerit primogenitura, ac data Josepho,—videatur supra (n. 434). His addendum est quod omnes haereses, quatenus sunt adulterationes et falsificationes Verbi, correspondeant adulteriis et meretricatibus varii generis; et quia illis correspondent, etiam actualiter appercipiuntur ex illis qui in haeresibus sunt, in mundo spirituali. Causa est, quia conjugia, qualia sunt in caelis, originem suam spiritualem trahunt ex conjunctione boni et veri; et vicissim adulteria originem suam trahunt ex conjunctione mali et falsi; quam ob rem caelum in Verbo comparatur conjugio, et infernum adulterio: et quia in infernis est conjunctio mali et falsi, ideo continue inde exhalatur sphaera adulterii. Ex ea causa est, quod per "adulteria" et per "scortationes" in Verbo significentur adulterationes boni ecclesiae et falsificationes veri ejus (videatur supra, n. 141, 161). Quod ad fidem separatam a charitate attinet, illa in mundo spirituali percipitur sicut adulterium filii cum matre, et quoque cum noverca: causa est, quia fides illa excludit bonum charitatis; quo excluso, loco boni charitatis succedit malum amoris sui et mundi, cum quo amore se fides illa conjungit: nam omnis fides necessario se conjunget cum aliquo amore; quare cum amor spiritualis, quae est charitas, separatur, tunc fides se conjungit cum amore sui aut cum amore mundi, qui amores sunt amores dominantes in naturali homine; inde est quod tam nefandum adulterium ex fide separata a charitate resultet: inde nunc patet quid significat "adulterium Reubenis cum Bilha muliere patris sui," et cur ideo a primogeniturae jure rejectus est. Hoc quoque intelligitur per propheticum patris Israelis de Reubene, quod tale est,

"Reuben primogenitus meus, tu robur meum, et principium virium mearum, excellens eminentia et excellens valore: levis sicut aqua, ne excellas, quia ascendisti cubilia patris tui, tunc profanasti; stratum meum ascendit" (*Gen.* xlix. 3, 4);

quae explicata videantur in *Arcanis Caelestibus* (n. 6341-6350).

Quod tale adulterium ex fide separata a charitate in mundo spirituali appercipiatur, patuit mihi a correspondentiis in mundo spirituali; quoties appercepi e longinquo sphaeram adulterii cum matre aut noverca, cognovi illico quod adessent illi qui se in sola fide confirmaverunt et doctrina et vita, qui etiam tunc detecti sunt; et dum explorati, inventi sunt quod tales in mundo fuerint.

[*d*.] Haec de Reubene: nunc dicetur de Philisthaeis; quod etiam illi in Verbo repraesentent fidem separatam ab amore; inde illi dicti fuerunt "praeputiati," per "praeputiatum" enim significatur quod est absque amore spirituali, et quod est solum in amore naturali, cum quo amore solo non aliquod religiosum, et minus aliquod ecclesiae conjungi potest: nam omne religiosum, et omne ecclesiae, spectat Divinum, ac spectat caelum, ac vitam spiritualem; et haec non cum alio amore quam cum amore spirituali conjungi possunt, non autem cum amore naturali separato ab amore spirituali; amor enim naturalis separatus a spirituali est proprium hominis, quod in se spectatum non est nisi quam malum. Omnia bella quae filii Israelis gesserunt cum Philisthaeis repraesentabant pugnas spiritualis hominis cum naturali homine, et inde quoque pugnas veri conjuncti bono cum vero separato a bono, quod in se non est verum sed falsum; nam verum separatum a bono falsificatur in idea cogitationis de illo; causa est, quia non aliquod spirituale inest cogitationi quod illustret: haec causa etiam est, quod illis qui in fide separata a charitate sunt, non aliquod verum sit, nisi solum quoad loquelam seu praedicationem ex Verbo; idea veri illico perit, ut primum cogitatur de illo. Quoniam illa religio in ecclesiis est apud omnes qui vitam naturalem amant vivere, ideo in terra Canaane non subjugati sunt Philisthaei, sicut reliquae illius terrae gentes, et inde multae cum illis pugnae fuerunt. Historica enim Verbi omnia sunt repraesentativa talium quae ecclesiae sunt, et omnes gentes terrae Canaanis repraesentaverunt haeretica confirmantia vel falsa fidei vel mala amoris, et filii Israelis repraesentaverunt vera fidei et bona amoris, ita ecclesiam; sed quid repraesentaverunt bella quae incolae terrae Canaanis gesserunt, suo loco et tempore dicetur; hic solum, quod Philisthaei repraesentaverint religiosum separatum a bono spirituali, quale etiam est religiosum de sola

fide separata a vita ejus, quae est charitas: inde erat quod quoties filii Israelis desciverunt a cultu Jehovae ad cultum aliorum deorum, traditi sint hostibus suis, aut ab illis victi; ut

Quod traditi Philisthaeis sint, et illis serviverint octodecim annis, et postea quadraginta annis (*Judic.* cap. x., cap. xiii.);

per quod repraesentabatur, quod recesserint a cultu ex bono amoris et veris fidei ad cultum ex malo amoris et ex falsis fidei: similiter

Quod filii Israelis victi et angustati sint a Philisthaeis (1 *Sam.* cap. iv., cap. xiii., cap. xxviii., cap. xxix., cap. xxxi.):

at cum filii Israelis redierunt ad cultum Jehovae, qui erat cultus ex bono amoris et ex veris fidei,

Victi sunt Philisthaei (ut 1 *Sam.* cap. vii., cap. xiv.; 2 *Sam.* cap. v., cap. viii., cap. xxi., cap. xxiii.; 2 *Reg.* cap. xviii.).

Quod historica illa talia involvant, non potest nisi quam ex serie rerum ibi descriptarum in sensu interno lustrata videri, quam hic sistere non vacat; quare solum unum locum ex propheticis Verbi licet adducere, ex quo patebit quod talia ecclesiae in historicis illis per Philisthaeos repraesentata sint:—Ut apud *Esaiam*,

"Ne laeteris, Philisthaea tota.., quod fracta sit virga percutiens te, nam e radice serpentis exibit basiliscus, cujus fructus prester volans: tunc pascent primogeniti pauperum, et egeni confidenter cubabunt: et occidam fame radicem tuam, et residuos tuos occidet. Ejula porta, clama urbs, liquefacta est Philisthaea, tu tota, quia a septentrione fumus venit, nec solitarius in conventibus tuis. Quid tunc respondebit, legati gentis? quod Jehovah fundaverit Zionem, et in ea sperabunt miseri populi ejus" (xiv. 29–32):

describitur hic Philisthaea, quae significat ecclesiam, seu illos in ecclesia, qui quidem in veris ex sensu litterae Verbi, aut ex alia revelatione, sunt, et usque in spurcis amoribus; unde vera illorum non vivunt; et vera quae non vivunt, vertuntur in falsa, dum e cogitatione exteriore, quae est cogitatio proxima loquelae, in cogitationem interiorem, quae est intellectus, et quando hic expendit vera in sua origine, quae illi qui per "Philisthaeos" intelliguntur non vident: quod non videant, est causa, quia facultas intelligendi est cuivis homini, etiam malo, sed non bonum voluntatis, quod est bonum vitae; hoc enim oritur ex

amore in Deum, et ex amore erga proximum, qui amores faciunt ut illa facultas communicet cum caelo, ac inde recipiat illustrationem. In eo capite apud *Esaiam* describuntur illi qui in veris absque bono sunt, et describitur quod omnia vera apud illos vertantur in falsa. Hic itaque est sensus spiritualis illorum verborum: "Ne laeteris, Philisthaea tota, quod fracta sit virga percutiens te," significat ne gaudeant ex eo, quod liceat illis permanere in sua haeresi ob paucitatem illorum qui in veris ex bono sunt; "nam e radice serpentis exibit basiliscus" significat quod ex sensuali homine exsurget dogma destruens omne verum; "radix serpentis" est sensuale, quod est ultimum vitae hominis, et "basiliscus" est destructio omnis veri: "cujus fructus prester volans," significat e quo enascetur fides separata a charitate; haec intelligitur per "presterem volantem," ex causa quia per ratiocinia et per confirmationes ex revelatis non intellectis sursum volat, et sic necat viventia; simile itaque per "basiliscum" significatur quod per "draconem," qui etiam vocatur "serpens," ac simile per "presterem volantem" quod per "bestiam e mari" ac per "bestiam e terra" ascendentes, in hoc capite *Apocalypseos:* "tunc pascent primogeniti pauperum, et egeni confidenter cubabunt," significat quod quando id dogma receptum est ab illis qui naturales et sensuales homines sunt, et se credunt sapere prae aliis, tunc vera ex bono apud illos qui desiderant vera ac volunt bona, victura sint; "primogeniti" in Verbo significant vera nata ex bono, "pauperes" significant illos qui non in veris sunt, at usque desiderant illa, ac "egeni" significant illos qui non in bonis sunt, sed usque corde volunt illa: "et occidam fame radicem tuam, et residuos tuos occidet," significat quod omnia vera a primis eorum ad ultima peritura sint per falsa: "Ejula porta, clama urbs," significat quod nec introitus dabitur ad aliquod verum, et quod doctrina conflabitur ex meris falsis; "porta" significat introitum ad vera doctrinae, et "urbs" doctrinam: "liquefacta est Philisthaea, tota tu," significat destructionem illius ecclesiae per mera falsa: "quia a septentrione fumus venit," significat quod omne falsum mali irrupturum sit ab inferno; "septentrio" est infernum, et "fumus" est falsum mali: "nec solitarius in conventibus tuis," significat quod non unum verum inter

cognitiones residuum erit: "Quid tunc respondebit, legati gentis?" significat illustrationem illorum qui in bono vitae ex amore in Dominum sunt: "quod Jehovah fundavit Zionem," significat quod ab illis instaurabitur ecclesia: "et in ea sperabunt miseri populi," significat quod illis qui ex se non sapiunt, et in tentationibus contra illa falsa vincunt, erit intelligentia et salus. Vastatio veri per falsa apud illos qui per "Philisthaeos" intelliguntur, etiam describitur

Per *Jeremiam* (cap. xlvii. 1-7), pariter apud *Ezechielem* (cap. xxv. 15, 16), apud *Joelem* (cap. iv. [*B. A.* iii.] 4-6), apud *Amosum* (cap. i. 8):

quod iidem falsificent vera, intelligitur

Apud *Ezechielem* (cap. xvi. 27, 57), [et] 2 *Sam.* (i. 20),

per "filias Philisthaeorum;" sunt enim "filiae Philisthaeorum" ibi affectiones falsi. Religiosum illorum etiam repraesentabatur per idolum eorum, quod vocatur Dagon, positum in Aschdodo; quod secundum descriptionem illorum factum est sicut homo a capite ad umbilicum, et sicut piscis ab umbilico deorsum; sicut homo a capite ad umbilicum repraesentabat intellectum ex veris; et sicut piscis ab umbilico deorsum repraesentabat naturale absque bono amoris; nam pars inferior usque ad genua correspondet amori caelesti, ac "piscis" [significat] naturalem hominem, qui est absque bono spirituali. (Quod "homo" significet affectionem veri, videatur supra, n. 280: quod "caput" ejus intellectum veri, et inde intelligentiam, n. 553: quod "piscis" significet naturalem hominem n. 513: et quod "genitalia" ex correspondentia significent amorem caelestem, in *Arcanis Caelestibus*, n. 5050-5062. "Haemorrhoides," etiam, quibus percussi sunt Philisthaei, quando arca Dei ab illis capta tenebatur, significabant vera conspurcata malis vitae; sed haec et plura, quae de his memorantur in *Libro Primo Samuelis*, cap. v. videatur supra, n. 700[*e*], explicata.) Verum conspurcatum malo vitae, etiam significatur per "praeputiatum"

(2 *Sam.* i. 20: *Ezech.* xxviii. 10; cap. xxxi. 18; cap. xxxii. 18, 19; cap. xliv. 9):

praeputium enim correspondet amori corporeo, quoniam membrum, quod praeputium tegit, correspondet amori spirituali et caelesti: et quia Philisthaei repraesentabant illos qui in scientia et cognitionibus veri sunt absque aliquo bono spirituali et caelesti, ideo vocabantur "praeputiati:" et quia filii Israelis etiam actualiter tales fuerunt, ut

tamen repraesentarent ecclesiam, quae in bono spirituali ac caelesti, et inde in veris est, mandatum est ut circumciderentur. Ex his constare potest quod religiosum illud hodie, quod separat charitatem a fide, in sensu repraesentativo sit Philisthaea.

[*e*.] Hactenus de Philisthaeis: nunc aliquid dicetur de hircis et de ovibus, super quos erit judicium, secundum Domini verba apud *Matthaeum* (cap. xxv. 31 ad fin.). Communis opinio est quod per "hircos" ibi intelligantur omnes mali; et hactenus ignotum fuit quod per "hircos" ibi intelligantur qui in fide separata a charitate sunt, et per "oves" illi qui in fide ex charitate sunt. Per "hircos" in sensu bono intelliguntur qui in bono naturali sunt, et inde in veris, quae vera vocantur cognitiones veri et boni ex sensu naturali Verbi; hi seu id bonum et inde id verum significatur per "hircos" qui sacrificabantur:

(Quod sacrificia etiam facta sint ex hircis, constat ex *Levitico*, cap. iv. 23; cap. ix. 2–4, 8–23; cap. xvi. 2–20; cap. xxiii. 18, 19: *Num.* xv. 22–29; cap. xxviii. 11–15, 18 ad fin.; cap. xxix.: et alibi:)

omnes enim bestiae ex quibus sacrificia fiebant, significabant talia quae sunt ecclesiae, quae omnia se referunt ad bona et vera: bona et inde vera caelestia, in quibus sunt angeli in tertio caelo, significabantur per "agnos;" bona autem et vera spiritualia, in quibus sunt angeli in medio caelo, significabantur per "arietes;" ac bona et inde vera naturalia, in quibus sunt angeli qui in ultimo caelo, significabantur per "hircos." Bona et vera caelestia sunt apud illos qui in amore in Dominum sunt; bona autem et vera spiritualia sunt apud illos qui in amore erga proximum sunt; ac bona et vera naturalia sunt apud illos qui bene vivunt secundum vera ex affectione naturali. Haec per tres illas bestias significantur in variis locis in Verbo

(Ut apud *Ezechielem*, cap. xxvii. 21; et in *Deutr.* xxxii. 14).

At quia pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque "hirci," qui in eo sensu significant illos qui in fide separata a charitate sunt, ex causa quia prae ceteris lascivi sunt, et quia per illos in genuino sensu significantur qui in bono et inde vero naturali sunt; ac omnes illi qui in fide separata a charitate tam doctrina quam vita sunt, mere naturales sunt. Quod illi per "hircos" in

Verbo intelligantur, mihi ad vivum in mundo spirituali ostensum est: ibi apparent variae bestiae, sed illae non sunt bestiae quales in nostro mundo, nempe quod natae sint bestiae, sed sunt correspondentiae affectionum et inde cogitationum spirituum et angelorum; quare etiam ut primum variantur et cessant illae affectiones et inde cogitationes, evanescunt e visu. Ut scirem quod illi qui in fide separata a charitate sunt, seu potius affectiones et inde cogitationes illorum ex sua fide, repraesententur per hircos, datum est mihi videre aliquot ex illis spiritibus; et apparuerunt coram oculis meis et plurium aliorum prorsus sicut hirci cum cornibus; et quoque quod inter illos missi sint arietes et oves, in quos hirci illi accensi ira irruebant, et eos conabantur prosternere, sed incassum; nam in mundo spirituali nulla est potentia hircis contra arietes seu oves, quare hirci profligati sunt; et postea datum est eosdem videre ut homines, per quod testatum factum est quod hirci essent iidem cum illis qui in fide separata a charitate in mundo vixerunt. Ex his constare potest quid per "arietem" et per "hircum," perque "pugnam eorum," apud *Danielem* (cap. viii.) significatur; quod nempe per "arietem" ibi intelligantur qui in fide ex charitate sunt, et per "hircum" illi qui in fide separata a charitate sunt: describitur itaque ibi status ecclesiae futurus, quod nempe fides separata omnem charitatem, quae est bonum vitae, dissipatura sit, et quod falsum inde in orbe Christiano dominaturum sit. Ad illustrationem velim in summa adducere quae apud *Danielem* de ariete et de hirco memorantur, quae haec sunt:

Danieli in visione visus est aries, "cui duo cornua,...unum altum prae altero,....sed altum ascendit posterius;....ille magnum se reddidit:"....sed tunc "hircus caprarum venit ab occidente super facies omnis terrae,"....ac irruit in arietem, percussit illum, et fregit duo cornua ejus, "et projecit arietem in terram, et conculcavit eum:" erat ei cornu inter oculos, et cum hoc fractum est, "ascenderunt quatuor cornua loco ejus, juxta quatuor ventos caelorum; et ex uno de illis exivit cornu unum..., quod crevit valde,....et usque ad exercitum caelorum, et dejecit in terram de exercitu, et de stellis, et conculcavit eos: immo..ad principem exercitus extulit se, et ab Ipso sublatum est juge, et projectum habitaculum sanctuarii Ipsius;....et projecit veritatem in terram" (viii. 1–14, seq.):

quod per "arietem" ibi intelligantur qui in fide ex charitate sunt, et per "hircum" illi qui in fide separata a cha-

ritate sunt, videatur supra (n. 316[c] et n. 573[a]), ubi eadem illa explicata sunt; quare ulterius illa explicare supersedeo. Quod per "hircos" etiam intelligantur qui in fide separata a charitate sunt, et per "arietes" illi qui in fide ex charitate sunt, constat etiam apud *Ezechielem*,

> "Vos.., mi grex,....ecce Ego judicans inter pecudem et pecudem, et inter arietes et inter hircos" (xxxiv. 17);

tum apud *Sachariam*,

> "Adversus pastores exarsit ira mea, et super hircos visitabo" (x. 3).

Ex his constare potest quod per "hircos" et per "oves" apud *Matthaeum* (cap. xxv. 31 ad fin.), non alii intelligantur; quare etiam ibi solum recensentur opera charitatis, quae oves fecerunt, et quae hirci non fecerunt. Quod illi per "hircos" ibi intellecti sint, confirmatum quoque est, dum ultimum judicium super illos qui ab Ecclesia Christiana fuerunt, factum est; tunc omnes illi qui in fide separata a charitate tam doctrina quam vita fuerunt, conjecti sunt in infernum, et conservati omnes qui in fide ex charitate fuerunt.

VERSUS 12.

818. ***"Et potestatem prioris bestiae omnem facit coram illo: et facit ut terra et habitantes in illa adorent bestiam priorem, cujus sanata est plaga mortis ejus."***

12. ***"Et potestatem prioris bestiae omnem facit coram illo,"*** significat *connexionem ratiociniorum e naturali homine cum sensu litterae Verbi, per quam corroboratur religio fidei separatae* [n. 819]; ***"et facit ut terra et habitantes in ea adorent bestiam priorem,"*** significat *unde illi qui in ecclesia in falsis et inde malis sunt, agnoscunt corde concordantiam* [n. 821]; ***"cujus sanata est plaga mortis,"*** significat *et sic submotam discordantiam per inventas conjunctiones operum cum fide* [n. 822].

819. [*Vers.* 12.] ***"Et potestatem prioris bestiae omnem facit coram illo."***—Quod significet *connexionem* [*ratiociniorum*] *e naturali homine cum sensu litterae Verbi, per quam corroboratur religio fidei separatae*, constat ex significatione "bestiae e terra ascendentis, quae potestatem prioris bestiae omnem coram dracone fecit," quod sint confirmationes e sensu litterae Verbi pro fide separata a vita, et inde falsificationes veri (de qua supra, n. 815); ex significatione "prioris bestiae," quod sint ratiocinia ex naturali homine confirmantia separationem fidei a vita (de qua supra, n. 774); et ex significatione "draconis," coram quo haec bestia fecit potes-

tatem prioris bestiae, quod sit in genere fides separata a vita fidei, quae est charitas: ex quibus constare potest quod per quod haec "bestia potestatem prioris bestiae omnem fecerit coram dracone," significetur connexio ratiociniorum e naturali homine cum sensu litterae Verbi, per quam confirmatur religio fidei separatae. Quod sit connexio ratiociniorum ex naturali homine cum sensu litterae Verbi, est quia per sensum litterae Verbi nusquam potest confirmari aliquod falsum, nisi quam per ratiocinia ex naturali homine. Verbum enim in littera consistit ex apparentiis veri, et quoque ex correspondentiis; hae atque illae in sinu suo, hoc est, in sensu spirituali suo, continent genuina vera; quare cum falsum aliquod per apparentias veri correspondentes genuinis veris confirmatur, tunc Verbum falsificatur, et falsificatio Verbi non dari potest nisi quam per ratiocinia ex naturali homine. Inde est quod "draco," per quem significatur dogma haereticum de sola fide, describatur ulterius per "binas bestias," per quarum primam describitur ratiocinatio ex naturali homine pro fide separata a vita ejus quae est charitas, et per alteram confirmatio ex sensu litterae Verbi, et inde ejus corroboratio, tum falsificatio veri. Inde iterum patet quod per quod haec bestia "potestatem prioris bestiae omnem fecerit coram dracone," significetur connexio ratiociniorum e naturali homine cum sensu litterae Verbi. Sed haec illustrentur per exempla; ut, (1.) Quod dogmatici, qui pro sola fide pugnant, nihil attendant ad omnia illa loca Verbi ubi "opera," "facta," "operari" et "facere" dicuntur, quae usque tam evidentia sunt ut ne ullum ratiocinium contrarium possint admittere, et tamen trahunt illa a genuino suo sensu, et per ratiocinia deflectunt et avertunt illa a genuino Vero, quod in caelis est, ac quod sensus spiritualis eorum continet; ratiocinantur enim, dicendo quod sola fides involvat facta et opera, quia qui in fide sunt, in illis sunt, ita quod fides operetur illa; cum tamen fides absque factis seu operibus est fides mortua, quae nihil operari potest: et si hoc illis dicitur, ratiocinantur quod facta usque adsint per occultam operationem Divinam, et tamen excludunt illa e medio salvationis, sic ut possint adesse et non adesse; ut constare potest ex justificatione per fidem momentaneam, et quoque in mortis hora, etiamsi mali

sint. (2.) Ratiocinium e naturali homine est, quod fides separata a bonis vitae etiam spiritualis sit, cum tamen bona quae amoris sunt vitam dant fidei, et eam spiritualem faciunt; est enim amor ipsa anima fidei, et amor est facere; nam quod homo amat, hoc vult, et quod vult hoc facit; quod etiam Dominus docet apud *Johannem*,

"Qui habet praecepta mea, et facit illa, ille est qui amat Me;....qui vero non amat Me, verba mea non servat" (xiv. 21, 24):

inde quoque patet quod fides absque operibus non sit spiritualis, est enim absque anima sua, et fides absque anima sua est fides mortua. (3.) Ratiocinium e naturali homine etiam est, quod quia homo non potest bonum facere ex se, fides facta sit medium salutis. (4.) Ratiocinium ex naturali homine etiam est, quod qui solum in fide sunt, in Deo sint, et in statu gratiae, usque ut nihil condemnet: inde a multis creditur quod non necessarium sit Christianam vitam vivere, quae est secundum praecepta Domini, dicentes secum, Cur intendam operibus, cum bona non salvant, et mala nec condemnant? Fidem habeo quod Dominus passus sit crucem pro peccatis mundi, et a condemnatione legis nos liberavit; quid magis? (5.) Ratiocinium ex naturali homine est, quod sola fides sit sicut semen, ex quo enascuntur salutes omnis generis, sicut frutices et arbores ex semine in hortis; cum tamen in sola fide non semen vitae sit, nisi a vita spirituali hominis. (6.) Ratiocinia e naturali homine etiam sunt omnia illa quae de progressionibus ad justificationem per solam fidem ab eruditis dogmaticis istius religiosi traduntur; ut quod comparanda sit fiducia istius fidei ex Verbo, ex praedicatione et ex auctoritate doctorum, absque visu intellectuali; et si intellectus intrat, quod fides non fiat spiritualis: cum tamen quando visus intellectualis excluditur, homo caecus est, et coram homine caeco confirmari possunt falsa aeque ac vera, immo falsa prae veris; quia apud illum fallaciae, quae tenebrae sunt, plus valent quam ipsa vera quae in luce. Occlude intellectum, deprome ratiocinia, et adduc confirmationes ex sensu litterae Verbi, et persuadebis quodcunque velis, imprimis in theologicis, quae in interiora mentis rationalis ascendunt. Quod dicantur ratiocinia ex naturali homine, est quia naturalis homo in jucundis

amoris sui et mundi est; et haec jucunda, quando praedominantur, faciunt ut homo non credat, nisi talia quae concordant, quae in se sunt falsa; inducunt etiam tenebras in omni re spirituali, usque ut homo fugiat lucem caelestem, et inde rejiciat illustrationem intellectus. Causa est, quia naturalis homo separatus a spirituali spectat se solum et mundum, ac non Dominum et caelum, et inde conjunctus est inferno, unde sunt omnia falsa, quae nusquam discuti possunt quam per praedominium amoris caelestis et per genuina vera quae ex illo amore sunt. Inde nunc est quod dicantur ratiocinia ex naturali homine, et quod ratiocinia ex naturali homine sint per quae falsificatur Verbum; nam Verbum absque ratiociniis ex naturali homine non falsificari potest.

820[*a*]. Quoniam in articulo praecedente (n. 817[*a–d*]) ostensum est, quod in Verbo per Cainum, Reubenem et Philisthaeos repraesentati sint qui in veris separatis a bono sunt, velim nunc ostendere quod per "Petrum Apostolum" in Verbo Evangelistarum intelligatur verum ex bono quod a Domino, et quoque in opposito sensu verum separatum a bono; et quia verum est fidei et bonum est charitatis, per illum etiam intelligitur fides ex charitate et quoque fides separata a charitate: duodecim enim apostoli, sicut duodecim tribus Israelis, repraesentaverunt ecclesiam quoad omnia ejus, ita quoad vera et bona; nam omnia ecclesiae ad duo illa se referunt, sicut ad fidem et amorem, vera enim sunt fidei, et bona sunt amoris: in genere repraesentaverunt Petrus, Jacobus et Johannes, fidem, charitatem et opera charitatis; quare illi tres prae reliquis secuti sunt Dominum; de quibus ideo dicitur apud *Marcum*,

"Non permisit cuiquam Ipsum sequi, nisi Petrum, Jacobum et Johannem" (v. 37).

Et quia verum ex bono, quod a Domino, est primum ecclesiae, ideo Petrus per Andream fratrem ejus primum vocatus est, deinde Jacobus et Johannes: ut constat apud *Matthaeum*,

"Ambulans..Jesus ad Mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem dictum Petrum et Andream fratrem ejus, jacientes rete in mari, erant enim piscatores; et dixit illis, Venite post Me, et faciam vos piscatores hominum; et illi statim relinquentes retia secuti sunt Ipsum" (iv. 18–20);

apud *Johannem*,

> **Andreas "invenit fratrem proprium Simonem, et dicit ei, Invenimus Messiam, quod est, si interpreteris, Christus; ducit illum itaque ad Jesum, et inspiciens illum Jesus, dixit illi, Tu es Simon Jonae filius; tu vocaberis Kephas, quod interpretamur Petrus" (i. 41–43);**

et apud *Marcum*,

> **Jesus ascendens montem vocat ad Se quos volebat: primum Simonem, et imposuit ei nomen Petrus; deinde Jacobum filium Zebedaei, et Johannem fratrem Jacobi (iii. 13, 16, 17).**

Quod Petrus esset primus apostolorum, erat quia verum ex bono est primum ecclesiae; homo enim ex mundo non scit aliquid de caelo et inferno, nec de vita post mortem, immo nec de Deo; lumen ejus naturale non docet aliud quam quod intravit per oculos, ita non nisi quam quod mundi et quod sui est; vita ejus quoque inde est; et quamdiu homo solum in illis est, in inferno est. Ut autem inde abducatur, et perducatur ad caelum, necessarium est ut discat vera, quae non solum doceant quod Deus sit, quod caelum et infernum sint, quodque vita post mortem sit, sed etiam doceant viam ad caelum. Inde constare potest quod verum sit primum, per quod homini est ecclesia; sed verum ex bono; nam verum absque bono est modo cognitio quod ita sit, et sola cognitio non aliud facit quam ut homo possit fieri ecclesia; sed non fit priusquam vivit secundum cognitiones; tunc conjungitur verum bono, ac homo introducitur in ecclesiam: vera etiam docent quomodo homo victurus est; et quando tunc afficitur veris propter vera, quod fit quando amat vivere secundum illa, tunc ducitur a Domino, et datur ei conjunctio cum caelo, et fit spiritualis, et post mortem angelus caeli. Sed usque sciendum est quod vera non producant illa, sed bonum per vera, ac bonum est a Domino. Quoniam verum ex bono, quod a Domino, est primum ecclesiae, ideo Petrus primum vocatus est, ac primus apostolorum fuit; nominatus etiam est a Domino "Kephas," quod est Petra; sed ut esset nomen personae, dicitur Petrus. Per "Petram" in supremo sensu significatur Dominus quoad Divinum Verum, seu Divinum Verum procedens a Domino; inde in sensu respectivo per "petram" significatur verum ex bono quod a Domino; simile per "Petrum." **(Quod "petra" significet illa, videatur supra, n. 411; quid autem "Simon Jonae" significat,**

videatur etiam supra, n. 443[a].) Quod tres illi apostoli piscatores fuerint, et quod dictum sit illis, "Venite post Me, et faciam vos piscatores hominum, erat quia "piscari" significat instruere naturales homines; erant enim eo tempore tam intra ecclesiam, quam extra illam, naturales homines, qui sicut receperunt Dominum, et receperunt vera ab Ipso, facti sunt spirituales. Ex his concludi potest quid significant haec quae a Domino ad Petrum de "clavibus" dicta sunt; quae ita leguntur apud *Matthaeum*;

> Cum dixerunt quidam Jesum esse Johannem Baptistam, alii Eliam, alii, Jeremiam, vel alium prophetarum, dixit Jesus discipulis, "Vos vero, quid Me dicitis esse? Respondens..Simon Petrus, dixit, Tu es Christus, ille Filius Dei viventis: et respondens Jesus dixit.., Beatus es, Simon fili Jonae, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in caelis: quin immo vero tibi dico, Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferni non praevalebunt illi: et dabo tibi claves regni caelorum; et quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in caelis, et quicquid solveris in terra, erit solutum in caelis" (xvi. 14-19).

Quoniam verum ex bono, quod a Domino, est primum ecclesiae, et illud per "Petrum" significabatur, ideo haec a Domino dicta sunt ad Petrum, et tunc dicta quando ille agnovit Dominum pro Messia seu Christo, et pro Filio Dei viventis: nam absque illa agnitione verum non est verum, nam verum suam originem, essentiam et vitam ducit a bono, ac bonum a Domino. Quoniam verum a bono, quod a Domino, est primum ecclesiae, ideo dicit Dominus, "Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam:" quod per "Petrum" seu "Petram" in supremo sensu significetur Divinum Verum procedens a Domino, et in sensu respectivo verum a bono, quod a Domino, mox supra dictum est: quod portae inferni non praevaliturae sint, significat quod falsa ex malo, quae ex infernis, non hiscent exsurgere contra illos qui ab ecclesia in veris ex bono a Domino sunt: per "portas inferni" significantur omnia inferni, quibus omnibus sunt portae, per quas falsa ex malo exhalantur et exsurgunt: per "claves caelorum" significatur intromissio in caelum omnibus illis qui in veris ex bono a Domino sunt: "quicquid ligaveris in terra erit ligatum in caelis, et quicquid solveris in terra erit solutum in caelis," significat quod a Domino caelum aperiatur illis qui in veris ex bono ab Ipso sunt, et quod claudatur illis qui non sunt. Haec dicta sunt ad Petrum, sed quia per "Petrum" intelligitur

verum ex bono quod a Domino, haec de Domino dicta sunt, a quo bonum et inde verum; quare tunc dicta sunt quando Petrus agnovit Dominum pro Messia seu Christo, proque Filio Dei viventis: ut primum etiam implantatum est bonum veris apud hominem, conjungitur ille angelis; quamdiu autem bonum non implantatum est veris apud hominem, tamdiu caelum ei clausum est; nam tunc pro bono ei est malum, et pro veris sunt falsa. Ex his patet quam sensualiter cogitant qui Petro illam potestatem attribuant, cum tamen illa potestas est solius Domini. Quod per "Petrum" significetur verum ex bono quod a Domino, e caelo manifestatum sit, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio* (n. 57). Quoniam "Petrus" significabat verum ex bono quod a Domino, et inde quoque doctrinam, et sic repraesentabat illos qui in veris ex bono, et in doctrina genuini veri a Domino sunt, et quoniam hi sunt qui alios instruunt et qui a Domino instruuntur, ideo Petrus toties locutus est cum Domino, et quoque instructus a Domino. Locutus est cum Domino quando Dominus transformatus est,

> De tribus tabernaculis faciendis (*Matth.* xvii. 1–5; *Marc.* ix. 2–8; *Luc.* ix. 26–36).

Dominus tunc repraesentavit Verbum, quod est Divinum Verum; ac per "tabernacula" significatur cultus Domini ex bono amoris et inde veris. (Videatur supra de transformatione Domini, n. 594[a]; et de significatione "tabernaculorum," n. 799.) Locutus est de Domino,

> Quod esset Christus, Filius Dei viventis (*Joh.* vi. 67–69).

Instructus est a Domino,

> De charitate quod condonandum fratri quoties peccaverit (*Matth.* xviii. 21, 22);
> De regeneratione, quae significatur per quod qui semel lotus est, non opus habeat nisi quoad pedes lavetur (*Joh.* xiii. [1]10);
> De potentia veri ex bono a Domino, [2]quae intelligitur [per] potentiam illorum qui habent fidem Dei (*Marc.* xi. 21, 23, 24);
> De peccatis, quod remittantur illis qui in fide ex amore sunt (*Luc.* vii. 40–48);
> De hominibus qui spirituales sunt, quod liberi sint, et quod qui naturales sunt servi sint; instruebatur Petrus de eo dum ex ore piscis sumpsit staterem, et illum dedit in tributum (per "piscem" enim significatur naturalis homo, et similiter per "tributarium") (*Matth.* xvii. 24–27);
> Praeter alia plura (de quibus *Matth.* xiv. 26–31; cap. xix. 27, 28: *Marc.* x. 28, seq.; cap. xiii. 3, seq.; cap. xvi. 7: *Luc.* xxii. 8, seq.; cap. xxiv. 12, 33, 34: *Joh.* xviii. 10, 11; cap. xx. 3–8; cap. xxi. 1–11).

[b.] Quoniam illi qui in veris ex bono amoris in Dominum sunt, seu in doctrina ex illis, repraesentabantur per Petrum, et illi sunt qui instruent alios, ideo dixit ad illum Dominus, quando respondit quod amaret Ipsum, quod "pasceret agnos et oves Ipsius;" de quibus ita apud *Johannem*,

> "Postquam..pransi sunt, dicit Jesus Simoni Petro, Simon Jona, amasne Me plus quam hos? Dicit Ipsi, Immo, Domine, Tu scis quod amem Te: dicit illi, Pasce agnos meos. Dicit illi iterum.., Simon Jona, amasne Me? Dicit Ipsi, Immo Domine, Tu scis quod amem Te: dicit illi, Pasce oves meas. Dicit illi tertium, Simon Jona, amasne Me? Contristatus est Petrus, quia dixit illi tertium, Amasne Me? ideo dicit illi, Domine, Tu omnia nosti, Tu nosti quod amem Te; dicit illi Jesus, Pasce oves meas" (xxi. 15-17):

ex his manifeste patet quod Petrus repraesentaverit verum ex bono amoris in Dominum; quare etiam nunc vocabatur "Simon Jona," nam per "Simonem Jonae" significatur fides ex charitate; per "Simonem" auscultatio et obedientia, et per "Jonam" columba, per quam significatur charitas: quod illi qui in doctrina veri ex amore in Dominum sunt, instructuri sint illos qui ab ecclesia Domini erunt, intelligitur per interrogationem Domini, "Amasne Me;" et dein per "Pasce agnos meos" et "oves meas;" non quod solus Petrus instructurus sit, sed omnes illi qui per Petrum repraesentati sunt; qui sunt, ut dictum est, qui in amore in Dominum sunt, et inde a Domino in veris: quod Petrus ter interrogatus sit, significabat plenum tempus a principio ecclesiae ad finem ejus, nam "tria" id significant; quare cum tertia vice interrogabatur, dicitur quod "contristatus sit Petrus." Et quia tertia interrogatio significabat finem ecclesiae, ideo sequuntur nunc haec Domini verba ad Petrum, apud *Johannem*,

> "Amen, amen, dico tibi, cum fuisti junior cingebas te ipsum, et ambulabas quo volebas; quando vero senex fueris, extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet quo non vis:....et cum hoc dixisset, dicit illi, Sequere Me: conversus vero Petrus videt discipulum quem Jesus amabat, sequentem, qui etiam accumbebat in cena super pectore Ipsius....: [1]hunc videns Petrus, dicit ad Jesum, Domine, hic vero quid? Dicit illi Jesus, Si illum volo manere donec venio, quid ad te? tu sequere Me. Exivit ergo verbum hoc inter fratres, quod discipulus ille non moriturus esset; verum non dixit Jesus illi quod moriturus non esset, sed, Si illum volo manere donec venio, quid ad te?" (xxi. 18-23:)

quid illa omnia significant, nemo scire potest, nisi sciat quod per "Petrum" significetur fides ex charitate, et quo-

que fides absque charitate; fides ex charitate in ecclesia dum incohat, et fides absque charitate dum ecclesia desinit; ita quod per "Petrum, cum fuit junior," significetur fides ecclesiae incohantis, et per illum "dum factus est senex," fides ecclesiae desinentis; et quod per "cingere et ambulare" significetur addiscere vera ac vivere secundum illa: inde patet quod per "Dico tibi, cum fuisti junior, cingebas te ipsum et ambulabas quo volebas," significetur quod ecclesia in suo initio in veris quae ex bono docebitur, et per illa ducetur a Domino; et quod per "quando senex fueris, extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet quo non vis," significetur quod ecclesia in fine suo non vera sciet sed falsa, quae sunt fidei absque charitate, et per illa ducetur; "cingere se" significat instrui in veris, simile quod "vestiri," quia "vestes" significant vera induentia bonum (videatur supra, n. 195, 395, 637); et "ambulare" significat vivere secundum illa (videatur etiam supra, n. 97); inde "cingere se ipsum, et ambulare quo vult," significat libere circumspicere, ac videre vera, ac facere illa; "extendere" autem "manus," significat non in libero illo esse, "manus" enim significant potentiam veri ex ejus intellectu et perceptione, et "extendere manus" significat non illam potentiam habere, inde nec liberum cogitandi et videndi verum; "alius te cinget et ducet quo non vis," significat quod agnoscenda pro veris illa quae alius dictat, et ipse non videt, ut fit hodie cum religioso de sola fide. Haec fides nunc intelligitur per "Petrum;" quare dicitur quod "conversus Petrus viderit discipulum, quem Jesus amabat, sequentem," et quod "dixerit de illo, Hic vero quid?" tum quod Jesus dixerit ad Petrum, "Quid ad te?" Per "discipulum sequentem Jesum" significabantur bona vitae, quae sunt bona opera; quae quod non peritura sint ad finem vitae, describitur per sequentia ibi. Ex his constare potest quod per "Petrum" etiam significetur fides separata a charitate; ut quoque dum

Petrus ter abnegavit Dominum (*Matth.* [1]xxvi. 69–75: *Marc.* xiv. 29–31, 54, 66–72: *Luc.* xxii. 33, 34, 50, 51, 55–62: *Joh.* xiii. 36–38; cap. xviii. 16–18, 25–27):

Tum etiam cum Dominus conversus a Petro dixit ei, "Abi post Me, Satana; scandalum Mihi es, quia non sapis ea quae Dei sunt, sed quae hominum" (*Matth.* xvi. 21–23):

Et quando dixit ei Dominus, "Simon, Simon, ecce Satanas expostulavit vos, ut cribraret vos sicut triticum" (*Luc.* xxii. 31).

Haec omnia adducta sunt, ut sciatur quod per "Petrum" apud *Evangelistas* in sensu repraesentativo significetur verum ex bono quod a Domino, tum fides ex charitate; et quoque in opposito sensu verum separatum a bono, quod in se est falsum, tum fides separata a charitate, quae in se non est fides.

821[*a*]. ***"Et facit ut terra et habitantes in ea adorent bestiam priorem."***—Quod significet *unde illi qui in ecclesia in falsis et inde malis sunt, agnoscant corde concordantiam*, constat ex significatione "terrae et habitantium in ea," quod sint qui ab ecclesia in falsis et inde malis sunt; per "terram" enim significatur ecclesia quae in veris aut in falsis est, hic quae in falsis; et per "habitantes" significantur ecclesiae bona aut mala, hic mala; ita applicate ad personas ibi, per "terram et habitantes in ea," significantur qui in falsis et inde malis sunt in ecclesia; (quod "terra" significet ecclesiam quoad vera et quoad falsa, videatur supra, n. 304, 413[*b*], 417[*a*], 697, 741, 752; et quod "habitantes" significent bonos in ecclesia, et quoque malos, ac in sensu abstracto bona aut mala, supra, n. 479:) ex significatione "adorare," quod sit agnoscere pro certo, agnoscere corde et credere (ut supra, n. 790[*a*], 805[*a*]); et ex significatione "bestiae prioris," quod sint ratiocinia ex naturali homine confirmantia separationem fidei a vita (videatur supra, n. [1]774), hic concordantia ratiociniorum cum sensu litterae Verbi, quia per hanc "bestiam" significantur confirmationes inde (videatur etiam supra, n. 815[*a*]): ex his patet quod per quod "bestia e terra ascendens faciat ut terra et habitantes in ea adorent bestiam priorem," significetur quod illi qui in ecclesia in falsis et inde malis sunt, agnoscant corde concordantiam.

[*b*.] In praecedente articulo ostensum est quod "Petrus" significaverit verum ac fidem in utroque sensu, nempe verum ex bono, ac verum absque bono, tum fidem ex charitate, et quoque fidem absque charitate; nunc aliquid dicetur de Johanne Apostolo, quod ille significaverit opera charitatis. Quod duodecim apostoli, sicut duodecim tribus Israelis, repraesentaverint ecclesiam in toto complexu, seu omnia veri et boni, seu omnia fidei et charitatis, supra dictum est; tum quoque quod "Petrus," "Jacobus" et "Johannes" significaverint fidem, charitatem et opera charitatis in suo ordine; inde sequitur, quod dum simul erant, repraesentaverint illa sicut unum: sicut unum dicitur, quia

non datur fides quae fides absque charitate, et non datur charitas quae charitas absque operibus. Quia illi tres apostoli significaverunt illa, ideo prae ceteris secuti sunt Dominum, quod etiam constare potest apud *Marcum*, ubi dicitur,

Jesus "non permisit cuiquam sequi Ipsum, nisi Petrum, Jacobum et Johannem fratrem Jacobi" (v. [1]37):

ideo Dominus primum vocavit Petrum per Andream, per quem significatur obedientia fidei, et postea Jacobum et Johannem, et imposuit his binis novum nomen: tum assumpsit Petrum, Jacobum et Johannem in montem, cum transformatus: et quoque locutus cum illis tribus de consummatione saeculi, et de adventu suo: et quoque cum Domino fuerunt in Gethsemane. Quod Dominus vocaverit Jacobum et Johannem, postquam vocaverat Petrum, constat apud *Evangelistas*,

Jesus "progressus inde, videt alios duos fratres, Jacobum qui Zebedaei, et Johannem fratrem ejus, [in navi] cum Zebedaeo patre eorum, reparantes retia sua; et vocavit eos: et hi statim relinquentes navim et patrem suum secuti sunt Ipsum" (*Matth.* iv. 21, 22; *Marc.* i. 19, 20).

Quod Dominus Jacobo et Johanni imposuerit novum nomen, constat apud *Marcum*,

Jesus vocavit "Jacobum filium Zebedaei, et Johannem fratrem Jacobi, et imposuit illis nomen Boanerges, quod est, Filii tonitrui" (iii. 17):

per "filios tonitrui" significantur vera ex bono caelesti; quod illa per "tonitrua," in Verbo significentur, est quia in mundo spirituali etiam audiuntur tonitrua, quae existunt ex veris quae ex bono caelesti sunt, dum haec ex caelis superioribus delabuntur in inferiora; ipsa lux veri ex bono apparet tunc sicut fulgur, ipsum bonum sicut tonitru, et ipsa vera inde sicut variationes soni; inde est quod in Verbo passim dicantur "fulgura," "tonitrua" et "voces" per quae illa significantur: causa quod bonum ibi audiatur sicut tonitru, est quia bonum quod est affectionis seu amoris hominis, tum quod est voluntatis ejus, non loquitur sed modo sonat; at verum quod est intellectus et inde cogitationis hominis articulat sonum illum in voces: bonum caeleste est idem cum bono amoris in voluntate et in actu; prius non est bonum caeleste; et hoc est quod producit

vera per cogitationem et inde loquelam; ex his patet unde est quod Jacobus et Johannes dicti fuerint "filii tonitrui." (Quid "fulgura," "tonitrua" et "voces" in Verbo significant, videatur etiam supra, n. 273, 702, 704.) Quod Dominus assumpserit Petrum, Jacobum et Johannem in montem cum transformatus est, constat apud *Marcum* (cap. ix. 2), et apud *Lucam* (cap. ix. 28); causa quod illi assumpti sint, erat quia non alii quam illi qui in veris ex bono caelesti sunt, possunt videre Dominum in gloria, et nec alii possunt illustrari, et in illustratione percipere Verbum; Dominus enim, cum transformatus est coram illis, repraesentabat Divinum Verum, quod est Verbum; quare etiam Moses et Elias visi sunt loqui cum Ipso; per "Mosen et Eliam" significatur Verbum (de qua re actum videatur supra, n. 594[a]). Quod Dominus locutus sit cum Petro, Jacobo et Johanne de consummatione saeculi, et de adventu suo, constat apud *Marcum* (cap. xiii. 3). Et quod illi tres fuerint cum Domino in Gethsemane, *Matth.* xxvi. 37; *Marc.* xiv. 33. Quoniam Johannes repraesentabat ecclesiam quoad bona opera, et bona opera continent omnia amoris in Dominum et charitatis erga proximum, ideo ille fuit prae reliquis a Domino amatus, ut constare potest ex eo,

> Quod accubuerit in sinu Domini, et allapsus ad pectus locutus sit cum Ipso (*Joh.* xiii. 23, 25):

per "sinum" et per "pectus" in Verbo significatur amor spiritualis, qui est amor actu; ac per "sinum" et "pectus" Domini ipse Divinus Amor; quare illi in caelo in provincia pectoris sunt qui in amore spirituali sunt. Et ideo quoque Johannes accepit matrem Domini in domum suam, et mansit cum illa, de qua re ita apud *Johannem*,

> Jesus e cruce "vidit matrem et discipulum astantem, quem amabat; dicit matri suae, Mulier ecce filius tuus; deinde dicit discipulo, Ecce mater tua; quare ab ista hora accepit eam discipulus in propria" (xix. 26, 27):

per haec significabatur quod ecclesia sit ubi charitas actu, seu ubi bona opera; per "matrem" enim Domini, et per "mulierem," significatur ecclesia; et per "Johannem" charitas actu, quae sunt bona opera; (quod per "matrem" significetur ecclesia, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 289, 2691, 2717, 3703, 4257, [1]5581, 8897; quod per "mulierem," similiter, supra, n. 555, 707, 721[a], 730[a,b]:) quod ecclesia Domini sit apud illos qui in charitate actu

aut in bonis operibus sunt, et non apud illos qui in fide separata ab illis, significatur etiam per illa quae de Petro et Johanne memorantur,

> Quod nempe "Petrus conversus viderit discipulum, quem amabat Dominus, sequentem, qui etiam accumbebat in cena super pectore Ipsius;....hunc videns Petrus dicit ad Jesum, Domine, hic vero quid? Dicit ipsi Jesus, Si illum volo manere donec venio, quid ad te? tu sequere Me" (*Joh.* xxi. 20–22):

quod per "Petrum" ibi significetur verum absque bono, seu fides separata a bonis operibus, qualis erit fides in fine ecclesiae, videatur supra (n. 820[*b*]), ubi etiam praecedentia explicata sunt; et quia per "Johannem" significantur bona charitatis, quae vocantur bona opera, et ea sunt apud illos qui constituunt ecclesiam Domini, ideo non Petrus sed Johannes secutus est Dominum, et a Domino dictum est Petro, (qui dixit, "Quid vero hic?") "Si illum volo manere donec venio, quid ad te? tu sequere Me;" per quae intelligitur, quod usque bonum charitatis permansurum sit apud illos qui Domini sunt, usque ad finem ecclesiae, et quando nova ecclesia, et non apud illos qui in fide separata ab illo bono sunt; quod significatur per illa verba ad Petrum, "Quid ad te?"

822. ***"Cujus sanata est plaga mortis."***—Quod significet *et sic submotam discordantiam per inventas conjunctiones operum cum fide*, constat ex significatione "plagae mortis sanatae" apud bestiam priorem, quod sit discordantia apparenter submota per inventas conjunctiones operum cum fide (de qua supra, n. 786, ubi eadem verba). Dicitur, discordantia submota per inventas conjunctiones operum cum fide; sed quales sunt conjunctiones ab illis inventae, quod nempe sint potius separationes, videatur in loco supra citato. Quoniam ostensum est quod per Johannem Apostolum in Verbo Evangelistarum significentur bona opera, quae etiam vocantur bona charitatis, et bona vitae, et quod Johannes, quia illa significabat, accubuerit ad pectus Domini, velim in nunc sequentibus ostendere quid sunt bona opera; sed hic modo, quod bona opera in se contineant omnia charitatis et fidei quae sunt apud hominem. Hactenus nemo novit quod in operibus sint omnia vitae hominis, quia apparent solum sicut motus, qui quia apud hominem vivunt, vocantur actiones, et qui fiunt per motus

oris, linguae et laryngis, loquelae; sed usque sunt illa, quae [non solum] manifestant charitatem et fidem apud hominem, sed etiam complent et perficiunt illas; et hoc ex causa, quia non fides nec charitas est apud hominem priusquam actualiter existunt, et actualiter existunt in operibus. Quod in operibus sint omnia fidei et charitatis, quae sunt apud hominem, est quia opera sunt activitates oriundae ex voluntate et ex cogitatione ejus; et harum omnia se egerunt et effundunt in opera, prorsus sicut omnia causae in effectus, ac omnia seminis et arboris in fructus; sunt enim opera complementa earum. Quod ita sit, non apparet coram oculis hominis, sed perceptibiliter coram angelis. Quando homo in exercitio charitatis est, tunc sphaera omnium affectionum et inde cogitationum ejus, sicut tenuis aqua, et quandoque sicut nubes candida vel obscura, apparet circum illum, in qua sphaera sunt omnia mentis ejus in complexu, ex qua cognoscitur homo ab angelis qualis est quoad omnia sua: causa est, quia unusquisque est suus amor, et opera inde faciunt ut amor activus sit; et dum activus fit, effundit se circum illum. Eadem sphaera spiritualis non modo manifestat se coram visu sicut undatio, sed etiam coram visu in variis formis repraesentativis; et hoc adeo, ut ex repraesentativis illis appareat homo, spiritus aut angelus, prorsus qualis est. Quod opera contineant in se omnia mentis, est quoque causa, quia omnia successiva, quae progrediuntur in suo ordine a supremis ad infima, seu a primis ad ultima, formant in infimis seu in ultimis simultaneum, in quo omnia superiora seu priora coexistunt; sed qualis est ordo successivus et inde ordo simultaneus, videatur supra (n. 595, 666), et in *Arcanis Caelestibus* (n. [1]634, 3691, 4145, [2]5114, 5897, 6239, 6326, 6465, [3]9215, 9216, 9828, 9836, 10044, [4]10099, 10329, 10335); ac opera sunt ultima hominis oriunda ex interioribus ejus, quae in ordine successivo sunt; ex quibus patet quod in illis coexistant omnia voluntatis et cogitationis hominis, proinde omnia amoris et fidei ejus. Inde nunc est quod toties in Verbo a Domino mandentur opera, et quod homo secundum opera judicandus sit. Ex his patet qualis homo est, qui separat fidem ab operibus; quod sit absque fide, et quod opera ejus sint mala, scaturientia ex amore sui et mundi, obvelata et circumdata talibus quae fidei sunt, sed quae

a malis, quae intus sunt, contaminata et profanata: quare cum homo talis in interiora sua immittitur, quod fit post mortem, dum fit spiritus, tunc omnia quae fidei ejus fuerunt, quae fecerunt peripherias, disjiciuntur et dissipantur. Ex his constare potest unde est quod Johannes, qui repraesentavit bona charitatis seu bona opera, ad pectus Domini accubuerit, quodque secutus Dominum sit, et non Petrus; tum quod post resurrectionem Domini una cum matre Domini habitaverit.

VERSUS 13, 14.

823. ***"Et facit signa magna, ut et ignem faciat descendere e caelo in terram coram hominibus; et seducat habitantes super terra, propter signa quae data ei facere coram bestia, dicens habitantibus super terra facere imaginem bestiae, quae habet plagam machaerae et vixit."***

13. ***"Et facit signa magna,"*** significat *testificationes et persuasiones* [n. 824]; ***"ut et ignem faciat descendere e caelo in terram coram hominibus,"*** significat *amorem falsi ex malo oriundum ex fastu propriae intelligentiae, sicut foret amor veri ex bono, qui e caelis in ecclesia* [n. 825];

14. ***"Et seducat habitantes super terra, propter signa quae data ei facere coram bestia,"*** significat *persuasionem illorum qui in ecclesia sunt,* [*quod vera sint,*] *per testificationes e Verbo conjunctas ratiociniis e naturali homine* [n. 826]; ***"dicens habitantibus super terra facere imaginem bestiae,"*** significat *ordinationem statutam, quod prorsus talia docerentur et crederentur ab omnibus in ecclesia* [n. 827]; ***"quae habet plagam machaerae et vixit,"*** significat *qualia sunt naturalia illa quae conjunxerunt illa quae ex sensu naturali Verbi ad confirmationem desumpserunt* [n. 829].

824. [*Vers.* 13.] ***"Et facit signa magna."***—Quod significet *testificationes et persuasiones*, constat ex significatione "signorum," quod sint testificationes et persuasiones (de qua supra, n. 706); et quia "magnum" praedicatur de bono, et in opposito sensu de malo, inde per "signa magna" significantur testificationes et persuasiones falsi ex malo; quod hic de "bestia" dicatur quod "fecerit signa magna," est quia per illam significantur confirmationes ex Verbo pro fide separata a bonis operibus; et cum ratiocinia ex naturali homine, quae per "priorem bestiam" significantur, confirmantur ex Verbo, tunc non modo testificantur, sed etiam persuadent quod ita sit; et hoc ex causa, quia separatores illi non volunt ut visus intellectualis aliquam partem in rebus fidei, quas vocant mysteria, habeat; et cum visus intellectualis non adest, potest persuaderi quodcunque libet, etiam quod quisque ex solo Naturae lumine

[potest] videre quod falsum sit. Propone aliquod falsum, et dic quod id verum sit, quia ab antesignano, qui ab asseclis creditur illustratus aut inspiratus, dictum est; et deme rationis usum, et sic inhibe ne intellectus luce aliqua intret; visurus es omnia sicut vera, et persuadeberis: causa est, quia prima propositio creditur, et non primum exploratur num illa verum sit vel falsum. Ut sciatur quod falsum aeque confirmari possit sicut verum, sit hoc levissimum exemplum: propone hoc ridiculosum, quod corvus albus sit, et confirma id per haec, quod corvus non nascatur prorsus niger, quod dum senescit albescat, quod pennae ejus interius albae sint, et quoque cutis, et quod sic nigredo sit modo umbra albis circuminducta; et ratiocinare quod homo quidem secundum aspectum possit loqui, nempe dicere quod sit niger, sed usque ex intellectu debeat cogitare, quia homo est, quod albus sit, quia interius albus est; sicut licet de solis progressione circum tellurem ex aspectu loqui, ut quoque dicitur in Verbo, quod nempe oriatur et occidat, sed usque debeat ex intellectu cogitare quod tellus se circumvolvat, et faciat illam apparentiam; adde ratiocinia ex coloribus, quod omnes albi sint ex origine, quia sunt ex luce caeli; et ex eo, quod omnis color, dum commolitur in pulverem, etiam crystallum nigrum, albus sit, de qua re cita auctores optices; insuper aufer rationis usum, et dic quod vir auctoritatis et eruditionis hoc viderit, et fige mentem in confirmationibus et non in prima propositione, forte erit qui persuadebitur: sed hoc ridiculosum dicitur, quia fatuum est avem ex alio colore quam ex suo, in quo apparet, judicare, sic enim omnia in mundo dicerentur alba. Simile est cum falsis haeresium, ut cum maxima illa, quae fuit in Babele, de qua apud *Danielem*, quod rex ibi indictum ederit, ut pro Deo coleretur; ut quoque est cum ratiociniis illorum, quae ex inferno sunt, quod omnia Naturae sint, immo quod Natura semet creaverit, et non Deus illam; et si ausim dicere, ita quoque est cum fide justificante absque actuali vitae cooperatione. Talia intelliguntur hic per "signa magna," quae fecit bestia e terra ascendens, et quae fecit ut ignis descenderit e caelo in terram coram hominibus, et seduxit habitantes super terra, propter signa quae data ei facere coram bestia, ut in hoc versu et in sequente dicitur.

825. ***"Ut et ignem faciat descendere e caelo in terram coram hominibus."***—Quod significet *amorem falsi ex malo oriundum ex fastu propriae intelligentiae sicut foret amor veri ex bono qui* [1]*e caelis in ecclesia*, constat ex significatione "ignis," quod sit amor in utroque sensu, nempe amor in Dominum, et amor erga proximum, et in opposito sensu amor sui et amor mundi (de qua supra, n. 504, 539); et inde amor boni et veri, tum amor mali et falsi, nam omnia bona et inde vera profluunt ex amore in Dominum et ex amore erga proximum, et vicissim omnia mala et inde falsa ex amore sui et amore mundi: inde est, quod qui in amore sui et mundi sunt, in amore omnium malorum inde oriundorum, et in amore falsorum ex illis malis sint; (de quibus amoribus, et inde oriundis malis et falsis, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 65–[2]83:) ex significatione facere illum, nempe ignem, "descendere e caelo;" hoc dicitur, quia tale fit in mundo spirituali ab illis qui [in] fide separata sunt, per artes ibi notas: quod sit apparentia sicut amor falsi ex malo foret amor veri ex bono, est ex confirmatione fidei separatae a vita per sensum litterae Verbi; nam quod confirmatur ex Verbo, ex caelo confirmatur; at falsum, dum ex Verbo, non ex caelo confirmatur, sed modo apparet sicut e caelo confirmatum: et ex significatione "coram hominibus," quod sit imprimis coram illis qui in fastu propriae intelligentiae sunt, et qui scriptis et praedicationibus apud se haereticum id dogma confirmant; ex illis derivatur id ad simplices, qui non in fastu propriae intelligentiae sunt, at hi non confirmant illud apud se, sed autumant quod ita sit, quia a viro eruditionis et inde auctoritatis dictum est et asseveratum; verum hi solum id memoria tenent, illi autem implantant illud suae vitae, imprimis si vixerunt secundum illud; et quod implantatur vitae, hoc in aeternum inhaeret, non autem quod solum memoriae. Fastus propriae intelligentiae est apud omnes qui falsa confirmant usque ad destructionem Divini Veri, in quo sunt angeli caeli: sunt enim illi in eo fastu qui se solum spectant, hoc est, sui famam, in scriptis et in praedicationibus; sunt enim in amore sui, et omnis qui in amore sui est, dum scribit et praedicat, in fastu est, et fastus ex proprio hominis omnia trahit; inde est quod dicatur fastus propriae intelligentiae; amor sui residet in voluntate, ac fastus propriae intelligen-

tiae in cogitatione inde; hi itaque, dum aliquid ex se cogitant, non possunt aliter quam falsa cogitare; proprium enim, quod est voluntatis, proinde amoris, dominatur, quod in se spectatum non est nisi quam malum: aliter illi qui in amore usuum sunt, et inde in amore veri propter verum. Quoniam hi, qui in fastu propriae intelligentiae sunt, removent opera a fide, et propterea non sciunt quid opera, ne quidem quid charitas et quid proximus, immo postquam se confirmaverunt, non volunt scire; quare hic dicetur quid bona opera. Bona opera sunt omnia quae homo facit, scribit, praedicat, immo quae loquitur, non a semet sed a Domino; et a Domino facit, scribit, praedicat et loquitur, quando vivit secundum leges suae religionis. Leges nostrae religionis sunt, quod nempe Deus unus colendus sit, quod adulteria, furta, neces, falsa testimonia, fugienda sint, ita quoque fraudes, illicitae lucrationes, odia, vindictae, mendacia, blasphemationes, et plura, quae non solum in decalogo, sed etiam ubivis alibi in Verbo, dicuntur peccata contra Deum, et quoque abominationes; quum homo illa fugit, quia contra Verbum et inde contra Deum sunt, et quia ex inferno sunt, tunc vivit homo secundum leges suae religionis; et quantum religionem vivit, tantum ducitur a Domino; et quantum ducitur a Domino, tantum opera ejus sunt bona; ducitur enim tunc ad faciendum bona, et ad loquendum vera, propter bona et propter vera, et non propter semet et propter mundum; usus sunt ei jucunditates, et vera sunt ei deliciae; indies etiam docetur a Domino quid faciendum et loquendum est, tum quid praedicandum aut quid scribendum, nam remotis malis continue sub auspicio Domini est, ac in illustratione: at ducitur ac docetur non immediate per aliquod dictamen, aut per aliquam inspirationem perceptibilem, sed per influxum in ejus jucundum spirituale, unde ei fit perceptio secundum vera ex quibus est intellectus ejus; ex quo cum agit, apparet sicut a se agat, attamen agnoscit corde quod sit a Domino. Omnes angeli in tali statu sunt; et omnes infantes in caelo per illam viam ad caelum ducuntur. Aliter vero est cum homine, quando a malis abstinet, et illa fugit, propter leges civiles, et propter laesionem famae suae; is non fugit illa ex aliqua origine spirituali, sed ex origine naturali; inde is quidem opera facit quae exterius apparent

sicut bona, sed usque interius mala sunt; sunt sicut picturae ex luto stercoreo inductae coloribus ad visum pulchris, aut sicut meretrices apparentes in forma venusta, et ornatae vestibus candidis, ac super fronte et sub auribus diadematibus, et usque intus scatent fetoribus. Expende nunc, qualis hodie est orbis Christianus, quot sunt hodie qui fugiunt adulteria, fraudes, lucrationes illicitas, odia, vindictas, mendacia et blasphemationes, [non] quia contra Verbum sunt, et sic contra Deum, sed quia contra leges civiles sunt, et [propter] famam, ac timorem jacturae honoris et lucri in mundo; sed inquire interius in causam, et appercipies quod hoc inde sit, quia non credunt quod caelum et infernum sint, et quod non vita post mortem. Ex his patet quod quicquid homo facit, tam parvum quam magnum, dum facit ex religione, et in ecclesia ex Verbo, postquam detestatur mala quia peccata sunt et in se infernalia, bonum opus sit; at vicissim, quod quicquid homo facit, tam parvum quam magnum, dum non facit ex religione, et apud nos ex Verbo, malum opus sit. (Plura de his videatur supra, n. 803.) Sciendum usque est, quod qui mala fugit quia contra leges Divinas in Verbo sunt, etiam fugiat illa quia contra leges civiles et morales in mundo sunt, homo enim ex his cogitat quando in statu naturali est, at ex illis quando in statu spirituali: ex quo sequitur, quod propter famam et sui honorem mala fugere et bona facere, nec damnosum sit, modo Verbum et inde religio locum superiorem teneant, et faciant caput, ac ipse et mundus locum inferiorem, et faciant pedes: sin aliter, pedibus conculcatur religio, et capite colitur mundus.

826. [*Vers.* 14.] ***"Et seducat habitantes super terra propter signa quae data ei facere coram bestia."***—Quod significet *persuasionem illorum qui ab ecclesia sunt, quod vera sint, per testificationes e Verbo conjunctas ratiociniis e naturali homine*, constat ex significatione "seducere," quod sit persuadere falsa, nam persuasio falsi est seductio; ex significatione "habitantium super terra," quod sint qui ab ecclesia sunt (ut supra, n. 821[*a*]); ex significatione "signorum," quod sint testificationes et inde persuasiones (ut mox supra, n. 824), hic testificationes ex sensu litterae Verbi; et ex significatione "bestiae," coram qua fecit illa signa, quod sint ratiocinia ex naturali homine (de qua supra, n. 774): quod

hic per "signa facta ab hac bestia coram altera" significentur testificationes e sensu litterae Verbi conjunctae ratiociniis e naturali homine, est quia per "bestiam, quae fecit signa" significantur confirmationes e sensu litterae Verbi, et per "bestiam coram qua facta sunt signa" significantur ratiocinia e naturali homine; hic itaque significatur conjunctio confirmationum e Verbo cum ratiociniis illis; et cum conjunguntur, tunc fiunt testificationes et persuasiones: ratiocinia enim e naturali homine in spiritualibus coram mundo non valent, at cum eadem confirmantur e Verbo, valent; causa est, quia Verbum est Divinum, et id in sensu litterae consistit ex apparentiis veri, et ex correspondentiis, in quibus genuina vera, quae intus latent, non nisi quam ex illustrato videri possunt; a non illustrato autem possunt apparentiae veri trahi ad confirmandum falsa sicut vera, nam apud non illustratum fallaciae regnant, et ex fallaciis sunt ratiocinia: illustratus autem videt ex spirituali et simul ex naturali luce, et naturalis lux apud illum illustratur a spirituali; non illustratus vero videt solum ex naturali luce separata a spirituali, quae lux in spiritualibus non lux sed caligo est; haec caligo usque post confirmationes falsi apparet sicut lux veri, sed est sicut lux in infernis, quae coram illis qui ibi sunt apparet ut lux, sed ut primum intrat lux e caelo, vertitur lux ibi in meram caliginem, et cogitatio eorum obstupescit; in infernis in quibus sunt illi qui altius persuaserunt sibi falsa ex dote cogitandi interius quam alii, in luce phantasiae sunt, quae lux ad modum candet, sed haec lux in adhuc magis furvam caliginem vertitur per influxum radiorum lucis e caelo; talis lux est lux confirmationis falsi ex sensu litterae Verbi per ratiocinia ex fallaciis naturalis hominis: inde patet quod lux confirmationis falsi usque ad destructionem Divini Veri, quod in caelo est, sit lux infernalis. Quoniam in praecedentibus articulis actum est de bonis operibus, velim hic continuare telam, et ostendere quid amor in Dominum. In tertio seu intimo caelo sunt omnes in amore in Dominum a Domino; et illi tales sunt ut vitae suae inscripta vera possideant, et non memoriae sicut angeli inferiorum caelorum; quae etiam causa est quod illi qui in tertio caelo sunt nusquam loquantur de veris, sed solum audiant alios loquentes de illis, ac respondeant vel

quod ita sit, vel quod aliquid ita, vel quod non ita: vident enim in se num sint vera quae audiunt, vel num non sint vera, et hoc vident non ex aliquo visu in cogitatione, sicut alii, sed ex affectione veri in intellectu; omnia enim vera apud illos inscripta sunt illorum affectionibus, quae suam essentiam trahunt ex amore caelesti, qui est amor in Dominum; ita vera apud illos unum faciunt cum affectionibus illorum. Et quia illi angeli in amore in Dominum a Domino sunt, illorum vita interior consistit ex meris affectionibus boni et veri ex illo amore; inde est quod non loquantur vera, sed faciant vera, ita bona opera; affectiones enim boni et veri, quae ex illo amore sunt, non possunt aliter quam actu existere; et dum existunt, vocantur usus, ac intelliguntur per bona opera. Percipiunt etiam in se quale usuum seu operum ex affectione ex qua sunt, et quoque eorum differentias ex plurium affectionum conjunctione; ita faciunt omnia cum interiore sapientia. Et quia illi non cogitant vera et inde loquuntur illa, sed modo faciunt illa, et hoc venit ex amore illorum in Dominum, et inde ex solis affectionibus, ex quibus consistit vita eorum, patet quod amor in Dominum consistat in faciendis veris ex affectione illorum, et quod facta illorum sint bona opera; proinde quod amare Dominum sit facere; quod etiam intelligitur per Domini verba apud *Johannem*,

> "Qui habet praecepta mea, et facit illa, ille est qui amat Me:....qui vero non amat Me, verba mea non servat" (xiv. 21, 24):

et illi intelliguntur per haec apud *Jeremiam*,

> "Dabo legem meam in medio eorum, et super cor illorum scribam illam: ....neque docebunt..quis socium suum, aut quis fratrem suum,.. Agnoscite Jehovam: omnes enim cognoscent Me, a minimo eorum ad maximum eorum" (xxxi. 33, 34):

per "legem" intelliguntur omnia Verbi, ita omnia vera et bona caeli; "in medio eorum" significat in vita eorum; et "cor," super quod lex scribetur, significat amorem. Ex his patet quam ampla sit doctrina amoris in Dominum, est enim doctrina omnium affectionum, quae sunt amoris; et unaquaevis affectio sibi inscripta habet vera secundum quale perfectionis ejus, et producit illa actu cum infinita varietate; et affectiones illae non in intellectum sub specie idearum veniunt, sed ad perceptionem sensitivam interio-

rem sub specie jucunditatum voluntatis; quare non per verba describi possunt. Illi angeli tertii caeli fiunt qui leges vitae ex Verbo hauriunt, ac vivunt secundum illas, et qui colunt Dominum.

827[a]. ***"Dicens habitantibus super terra facere imaginem bestiae."***—Quod significet *ordinationem statutam quod prorsus talia docerentur et crederentur ab omnibus in ecclesia*, constat ex significatione "habitantium super terra," quod sint omnes qui ab ecclesia (ut mox supra, n. 826); et ex significatione "imaginis bestiae," quod sit doctrina fidei separatae a bonis operibus et inde cultus, confirmata ex sensu litterae Verbi per ratiocinia ex naturali homine; inde per "facere illam imaginem" significatur facere statutum seu ordinare quod prorsus ita doceatur et credatur; ut quoque factum est in ecclesiis ubi doctrina fidei separatae recepta est. Quod "imago" illa significet, est quia omnia spiritualia sisti possint per imagines, tum per idola in mundo spirituali, et per illa effigiari singula doctrinae, quod etiam factum vidi; inde est quod "imagines" et "idola" in Verbo talia significent; quod "idola" significent falsa doctrinae, videatur supra (n. 587, 650[*d*], 654[*k*], 780[*a*]): inde nunc per "dicere habitantibus super terra facere imaginem bestiae," significatur ordinatio statuta ut ab omnibus in ecclesia prorsus talia docerentur et crederentur. Quod apud illos qui ab Ecclesiis Antiquis fuerunt imagines repraesentativae doctrinae eorum et inde cultus factae sint, at quod filiis Israelis, propter propensionem animi eorum ad cultum idololatricum, illas facere prohibitum fuerit, constat ex Verbo. Ut itaque sciatur quod "imagines" talia significent, velim ad confirmationem sequentia loca e Verbo adducere:—Apud *Mosen*,

"Non facies tibi sculptile, aut ullam imaginem quae in caelis desuper, et quae in terris infra, et quae in aquis sub terra; non incurvabis te illis, et non coles illa" (*Exod.* xx. 4, 5);

"Non facietis vobis idola, nec sculptile aut statuam erigetis vobis, nec lapidem imaginis dabitis in terra vestra ad incurvandum vos [1]illis" (*Levit* xxvi. 1);

"Ne faciatis vobis sculptile imaginis ullius similitudinis, figuram maris aut feminae, figuram ullius bestiae quae in terra, figuram ullius avis alae quae volat sub caelo, figuram ullius reptilis in terra, figuram ullius piscis qui in aquis sub terra" (*Deutr.* iv. 16–18):

quod filiis Israelis prohibitum fuerit idola, sculptilia, imagines et figuras ullius rei in caelis, in terra, et in aquis

facere, erat, quia Ecclesiae Antiquae, quae fuerunt ante Ecclesiam Israeliticam, ecclesiae repraesentativae fuerunt, et quia filii Jacobi prorsus externi homines fuerunt, et externi homines eo tempore, quando omnis cultus repraesentativus fuit, proni ad idololatrias erant, ita ad cultum talium quae coram oculis apparebant. Nunc quia Antiquae Ecclesiae repraesentativae fuerunt, ideo homines istarum ecclesiarum fecerunt sibi sculptilia et imagines variarum rerum, quae repraesentabant et inde significabant caelestia; et antiqui delectabantur illis ex eo quod significarent talia; quare cum illa inspectabant, recordabantur caelestium quae repraesentabant, et quia haec religionis illorum fuerunt, illa colebant; inde erant illis luci, erant excelsa, erant figurae sculptae, fusae et pictae, positae vel in lucis, vel super montibus, vel in templis, vel in domibus eorum. Inde in Aegypto, ubi scientia repraesentationum, quae eadem est cum scientia correspondentiarum, floruit, fuerunt imagines, idola et sculptilia, tum hieroglyphica; similiter apud varias gentes. Sed quando homines ecclesiarum illarum ab internis facti sunt externi, tunc caelestia et spiritualia, quae repraesentabantur et inde significabantur, remanserunt sicut traditiones apud illorum sacerdotes et sapientes, qui vocati sunt magi et harioli; inde vulgus propter religiosum, quod patres illorum in illis viderunt, coepit colere illa, et [1]vocare suos deos. Nunc quia filii Jacobi prae ceteris externi homines fuerunt, et inde proni ad idololatrica, et quoque ad magica, ideo tam severe prohibitum fuit illis sibi facere sculptilia, imagines et figuras ullius similitudinis rerum existentium in caelis, super terra, et in mari; quia omnia quae in mundo sunt, repraesentativa sunt, sicut volatilia, bestiae, pisces, reptilia; nam quantum illa idololatrice colebant, tantum non agnoscebant Jehovam; sed usque quia etiam apud illos repraesentativa ecclesia fuit, aedificatum est Tabernaculum, in quo repraesentativa caelestium praecipua posita fuerunt, sicut mensa super qua panes, altare aureum super quo suffiebatur, candelabrum cum lucernis, arca cum propitiatorio et cum cherubis desuper, altare non procul ab ostio tabernaculi, super quo ignis sacer; ac postea aedificatum est Templum, in quo etiam omnia repraesentativa erant, sicut picturae inibi, lavacra extra illud, mare aeneum sub quo boves qui porta-

bant, tum columnae et porticus, cum vasis ex auro, quae omnia illis licuit colere sicut sancta, modo agnoscerent Tabernaculum ac postea Templum pro Habitaculo Jehovae: haec data sunt illis ne deflecterent ad idololatrica et magica, quae tunc erant apud varias gentes in Asia, ut in Aegypto, Syria, Assyria, Babele, Tyro et Sidone, Arabia, Aethiopia, Mesopotamia, ac imprimis in terra Canaane, et circum illam. Ex his constare potest unde est quod "idola" in Verbo significent falsa religionis, ac "imagines" doctrinalia. Quod talia fuerint apud varias gentes in terris Asiaticis, constare potest ex diis Labanis Syri, quos Rachel uxor Jacobi abstulit (*Gen.* xxxi. 19, 20); ex vitulis et aliis idolis in Aegypto; ex hieroglyphicis ibi sculptis et pictis in templis, super obeliscis et super parietibus; ex Dagone idolo Philisthaeorum in Ekrone; ab idolis a Salomone factis, ac postea a regibus in templo Hierosolymae, ac in Samaria; et ab altaribus, statuis, imaginibus et lucis, apud gentes terrae, quae filii Israelis destruere jussi sunt, ut patet ex variis locis in Verbo.

[*b*.] Ex scientia correspondentiarum et repraesentationum etiam fuit,

> Quod sacerdotes et harioli Philisthaeorum suaserint ut facerent imagines haemorrhoidum et murium qui vastarunt terram, ex auro, et ponerent illas juxta arcam, quam remittebant super plaustro novo ducto a vaccis; et quod sic darent Deo Israelis gloriam (1 *Sam.*[1] vi., seq.);

sciebant enim tunc sacerdotes et harioli illorum, quid illa omnia repraesentabant; et quod haemorrhoidum et murium imagines significarent falsa religionis illorum, quae placarentur per illas factas ex auro, ut dona. Doctrinalia etiam per "imagines" significantur in sequentibus locis:—Apud *Ezechielem*,

> "Argentum eorum in plateas projicient, et aurum eorum in abominationem erit,..eo quod decus ornatus sui in superbiam transposuerint, ac imagines abominationum detestationum suarum fecerint ex eo; ideo dedi id illis in abominationem" (vii. [19,] 20):

agitur ibi de devastatione ecclesiae per falsa et mala, quae intelligitur ibi per "gladium," "pestem" et "famem" (vers. 15), quae consument illos: per "argentum," quod in plateas projicient, et per "aurum" quod in abominationem erit, significatur verum ecclesiae ac bonum ejus versa in falsum et in malum; "in plateas projicere" significat dispergere,

et "esse in abominationem" significat verti in malum infernale, nam hoc abominationi est: "quod decus ornatus sui in superbiam transposuerint, ac imagines abominationum detestationum suarum fecerint ex eo," significat quod totam ecclesiam et doctrinam ejus, ac omnia quae in ea, impleverint profanis; "decus ornatus" significat ecclesiam et ejus doctrinam; ac "imagines abominationum detestationum" significant omnia ejus, ita doctrinalia, quorum bona et vera profanata sunt; "abominationes" sunt bona profanata, ac "detestationes" sunt vera profanata. Apud eundem,

> "Accepisti..vasa ornatus tui ex auro meo et ex argento meo, quod dederam tibi, et fecisti tibi imagines maris, cum quibus scortareris" (xvi. 17):

haec de "abominationibus Hierosolymae," per quas intelliguntur adulterationes veri ac boni doctrinae ex Verbo; "vasa ornatus ex auro et argento" significant cognitiones boni et veri ex Verbo; "facere inde imagines maris" significat facere doctrinalia ex falsis apparentia sicut ex veris; et "scortari cum illis" significat falsificationem illarum. Apud eundem,

> Oholiba scortata est in Aegypto,...."amavit filios Aschuris;....addidit ad scortationes suas..cum vidisset viros pictos super pariete, imagines Chaldaeorum pictos minio,....adamavit eos ad aspectum oculorum" (xxiii. [1]3, 12, 14, 16):

per "Oholibam" intelligitur Hierosolyma, per quam significatur ecclesia quoad doctrinam, proinde doctrina ecclesiae; per "scortari" significatur falsificatio et adulteratio Verbi; et quia per "Aegyptum" significantur vera naturalia, quae vocantur scientifica, et per "Aschurem" vera rationalia, tum in opposito sensu falsa, inde patet quid significatur per "scortari cum illis:" quoniam per "Chaldaeos" significantur vera Verbi profanata, quia applicata amoribus sui et mundi, inde per "imagines Chaldaeorum" significantur doctrinalia illis amoribus litantia; "pictae minio," significat illa exterius apparentia sicut vera, tametsi intus sunt profana; simile significatur per "viros pictos super pariete;" "paries pictus" est doctrinalium apparentia in externis. Per "imagines" similia significantur apud *Esaiam*, cap. ii. 16; apud *Davidem*, Ps. lxxiii. 20; tum in sequentibus in *Apocalypsi*, cap. xiv. 9–11; cap. xv. 2; cap

xvi. 2; cap. xix. 20; cap. xx. 4. (Videantur insuper quae de "idolis" et "sculptilibus" supra, n. 587, 650[d], 654[h], 780[a], dicta, et ex Verbo allata et explicata sunt.)

828. Actum est supra de amore in Dominum, in quo amore sunt angeli qui in tertio caelo; sequitur nunc ut aliquid dicatur de amore erga proximum apud illos angelos. Per "proximum" ab illis intelliguntur usus, qui [1]quidem sunt opera; sed usus illis sunt omnia quae fiunt apud illos a Domino, quae praecipue spectant cultum Domini, ecclesiam Ipsius, implantationem sanctorum ejus, praecipue apud infantes, cum quibus habent conjunctionem, et quibus inspirant innocentiam et ejus affectiones, etiam bonum societatis in communi et quoque in particulari: haec sunt praecipue amoris illorum, quia sunt amoris Domini; operatur Dominus illa apud eos per amorem implantatum vitae illorum, qui talis est ut in illis percipiant jucunditatem vitae suae. Quod illa sint eorum proximus, est quia non spectant ad personas, sed ad talia quae apud personas; in sapientia enim prae ceteris angelis sunt, et sapientia est spectare alios ex talibus quae apud illos sunt, et quae faciunt illos: unusquisquis enim angelus, spiritus et homo est suus amor et sua affectio, ita suum bonum et inde suum verum; haec quia faciunt illos, non ad aliud spectare possunt, quia sapientes sunt, quam ex quo sunt; hoc illis est proximus, seu frater et socius, ut saepius in Verbo dicitur; "frater" est illis bonum et "socius" est illis verum: inde patet quid amor erga proximum in tertio caelo. Reliqua quae concernunt vitam civilem, moralem, et domesticam, sunt quoque opera, quae ex affectione faciunt; sed non sunt opera talia quae ab illis intelliguntur per "proximum," seu "fratrem et socium," trahunt enim aliquid ex mundo, tum etiam ex [2]utili pro se et suis; sunt usuum praedictorum derivationes et productiones, et sunt talia quae procedunt ex cogitatione eorum, de quibus ideo possunt sermocinari; haec vitam illorum corporis tenent in statu, ut vita amoris illorum inhabitare possit, ac fungi suis usibus. Hi angeli, quia tales sunt, non sciunt quid charitas nec quid fides; sed pro charitate illis est amor boni, et pro fide illis est amor veri; sunt etiam continue in amore boni et veri, quia vita illorum est affectio boni, in qua et ex qua est perceptio veri; quare cum nominatur charitas ex qua fides, et cum nominatur fides quae ex cha-

ritate, non sciunt quid sunt. Angeli tertii caeli, quia tales sunt, apparent coram angelis inferiorum caelorum sicut infantes, quidam sicut pueri, et omnes sicut simplices; tum etiam incedunt nudi. Quod appareant sicut infantes et sicut pueri, est quia in innocentia sunt, et amor in Dominum a Domino est innocentia; inde etiam [per] "infantes" et per "pueros" in Verbo innocentia et quoque amor in Dominum significatur. Quod appareant simplices, est quia non de sanctis caeli et ecclesiae loqui possunt; illa enim apud eos non in memoria sunt, unde omnis loquela, sed in vita; et inde in intellectu non sicut cogitatio, sed sicut affectio boni in sua forma, quae non descendit in sermonem; quae si descenderet, non loqueretur, sed modo sonaret; et illi qui de talibus non loqui possunt, apparent sibi et aliis sicut simplices: tum etiam quia in humilitate cordis sunt, scientes quod sapientia sit percipere quod vix aliquid sit quod sapiunt, respective ad illa quae non sapiunt. Quod procedant nudi, est quia "nuditas" in sensu spirituali est innocentia, et quia "vestes" significant vera investientia bonum, et vera investientia sunt in memoria, et inde in cogitatione; apud eos autem vera sunt in vita, ita abscondita, et non se manifestantia quam coram perceptione, dum alii loquuntur illa, ac ministri illorum ex Verbo praedicant illa: perficiuntur etiam ex loquelis illorum qui in intellectu veri sunt, ex praedicationibus, et quoque ex libris: scribunt etiam, sed non per litteras, ut alii angeli, sed per curvaturas et inflexiones, quae continent arcana, quae intellectum angelorum in inferioribus caelis transcendunt. Habitant quoque in expansis supra alios, ac ibi in hortis ubi arboreta et floreta, sic in perpetuis repraesentativis caelestium; et quod mirum, non invenitur ibi lapis; causa est, quia "lapis" significat verum naturale, "lignum" autem bonum, "arbor" perceptionem, ac "flos" implantationem. Haec de amore in Dominum, et de amore erga proximum, ita de amore caelesti; in sequentibus dicetur de amore spirituali, tum de charitate et de fide.

829. ***"Quae habet plagam machaerae et vixit."***—Quod significet *qualia sunt naturalia illa quae conjunxerunt illa quae ex sensu naturali Verbi ad confirmationem desumpserunt*, constat ex explicatione illorum quae supra in versu

tertio hujus capitis dicta sunt, ubi haec verba, "Vidi unum capitum ejus sicut sauciatum ad mortem, et plaga mortis ejus sanata est;" explicationem videas supra (n. 785, 786): quod "machaera" significet pugnam falsi contra verum, ac destructionem veri per falsa, videatur etiam supra (n. 131, 367).

VERSUS 15.

830. *"Et datum ei dare spiritum imagini bestiae, ut et loquatur imago bestiae, et faciat ut quicunque non adorant imaginem bestiae, occidantur."*

15. *"Et datum ei dare spiritum imagini bestiae,"* significat *quod per conjunctionem cum Verbo aliquid vitae spiritualis inesset* [n. 831]; *"ut et loquatur imago bestiae,"* significat *quod inde e caelo consentiens influxerit in cogitationem loquelae proximam, ab amore naturali excitatam et incensam* [n. 832]; *"et faciat ut quicunque non adorant imaginem bestiae, occidantur,"* significat *minas mortis aeternae pro illis qui non omnia et singula, quae sic stabilita sunt, credunt* [n. 833].

831. [*Vers.* 15.] *"Et datum ei dare spiritum imagini bestiae."*—Quod significet *quod per conjunctionem cum Verbo aliquid vitae spiritualis inesset*, constat ex significatione "spiritus," quod sit vita spiritualis (de qua sequitur); et ex significatione "imaginis bestiae," quod sit doctrina fidei separatae a bonis operibus, quae doceretur et crederetur in ecclesia (de qua supra, n. 827[*a*]); inde sequitur, quod per "dare spiritum imagini bestiae," significetur quod per conjunctionem ratiociniorum ex naturali homine cum Verbo aliquid vitae spiritualis inesset; sed quale vitae, dicetur in sequentibus. Quod per "spiritum" significetur vita spiritualis, est quia per "spiritum" in supremo sensu significatur Divinum Verum procedens a Domino, et inde applicate ad homines, qui id recipiunt, significatur vita spiritualis (videatur supra, n. 183): vita spiritualis est eadem cum vita ex Divinis veris; et quia Verbum est Divinum Verum, et inde ex illo est vita spiritualis homini, ideo quando ratiocinia ex naturali homine pro fide separata a vita, conjuncta sunt cum Verbo, et inde facta est doctrina pro ecclesia, inest ei aliquid vitae spiritualis; nam omnia quae in Verbo sunt, in se spiritualia sunt, et dant vitam spiritualem illis qui ei student, secundum receptionem corde: quare Dominus dicit,

"Verba, quae Ego loquor vobis, spiritus sunt et vita sunt" (*Joh.* vi. 63).

Quoniam in antecedentibus actum est de amore caelesti,

in quo sunt angeli tertii caeli, velim nunc aliquid dicere de amore spirituali, in quo sunt angeli secundi caeli. Amor spiritualis est amor veri, ac in supremo sensu amor Divini Veri quod procedit a Domino; ita quoque amor in Dominum, sed in inferiori gradu quam in quo sunt angeli caelestes: hi, nempe angeli caelestes, in amore in Dominum sunt ex receptione Divini Boni ab Ipso; illi autem, nempe angeli spirituales, in amore in Dominum sunt ex receptione Divini Veri ab Ipso; differentia est sicut inter amorem voluntate et inter amorem intellectu, aut sicut inter flammam et ejus lucem; etiam lux apud angelos tertii caeli trahit a flammeo, et lux apud angelos secundi caeli trahit a candido (sed plura de his videantur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 126–140). Similiter differt vita illorum: vita angelorum tertii caeli consistit in affectionibus boni, et vita angelorum secundi caeli in affectionibus veri; illa differentia talis est ut probe internoscantur ex faciebus, et quoque ex loquelis. Quoniam amor spiritualis est amor veri, et illi quoad vitam suam sunt affectiones veri, ideo illi loquuntur de sanctis caeli et ecclesiae secus ac angeli tertii caeli, qui de illis non loqui possunt, ut supra dictum est; at quia usque angeli caelestes perficiuntur sapientia per auditionem, ideo sunt angeli intermedii, qui vocantur angeli caelestes spirituales, qui praedicant et docent vera in templis illorum, quae vocantur Domus Dei, et sunt ex ligno. Quod angeli spirituales, ex amore spirituali qui facit vitam illorum, sint affectiones veri, et non affectiones boni, est quia illi per aliam viam reformantur et regenerantur, ac fiunt angeli, quam angeli caelestes; angeli enim spirituales primum admittunt vera in memoriam, et inde in intellectum, qui sic ab illis formatur; et tunc quantum afficiuntur Divinis veris spiritualiter, hoc est, propter illa, tum propter vitam secundum illa, tantum perficiuntur; angeli autem caelestes non primum admittunt vera in memoriam, sed statim in voluntatem, et per actus in vitam: inde hi non loqui possunt de Divinis veris, sed solum volunt et faciunt illa; illi autem loquuntur Divina vera, quia inscripta etiam sunt memoriae apud illos, et cogitatio ex memoria loquitur. At spirituales angeli non admittunt aliquod verum in memoriam, et inde in intellectum apud se, nisi videant illud; angeli enim in illo caelo vident vera ex luce veri, ita ex

illustratione a Domino; sunt enim vera in caelis objecta spiritualia, quae clarius coram angelis ibi apparent quam objecta naturalia coram hominibus in mundo; quare illi [1]sciunt quod fides non aliud sit quam agnitio veri quia vident quod verum sit, et prorsus non capiunt quod dari possit apud aliquem fides alicujus rei non visae, seu intellectae; sic enim non scit homo num verum sit aut num falsum, ac fides falsi est damnosa: inde patet quod visus intellectualis apud illos sit visus spiritualis. Angeli illi perficiuntur intellectu, quantum in amore veri sunt propter vitam et ejus genuinos usus, ac tantum implantantur vera vitae illorum, ac fiunt affectiones veri; trahunt enim vera omnem suam essentiam et inde vitam a bono, ita intellectus a voluntate et ejus activo; intellectus enim est receptaculum veri, et voluntas est receptaculum boni, et activum eorum complet et fundat; inde etiam vera, ex quibus formatus est intellectus eorum, quando fiunt voluntatis, et inde actus, vocantur bona, sed bona spiritualia; quae quia tunc fiunt amoris illorum, intrant vitam, et formant illam. Ex his quoque patet quod vita cujusvis hominis sit ex operibus ejus, quia affectio quae voluntatis et cogitatio quae intellectus in illis terminantur, et sic existunt; quae nisi terminatae sunt, pereunt: voluntas enim non existit nisi activa fiat; et si non voluntas est, perit intellectus, et remanet solum facultas intelligendi. Quia amor eorum est amor veri, ideo pro proximo agnoscunt verum actu, quod vocatur bonum spirituale; ita bonum ecclesiae, bonum societatis in qua sunt, bonum concivium in societate, proinde etiam bonum morale quod vocatur sincerum, et bonum civile quod vocatur justum: quare amor eorum erga proximum etiam consistit in exercitiis, quae sunt opera; omnes etiam ibi usus amant, ac intendunt operibus, per quae cogitationes suas tenent quasi domi, et detinent ab otio, quod est, sicut etiam vocatur, pulvinar diaboli. Sciunt quod non alii possint in amore spirituali teneri quam qui jucundum in operibus percipiunt; hi in sua affectione stata sunt, reliqui in omni et sic in nulla, nam divagantur quo voluptates et cupiditates illos ferunt. Angeli secundi caeli etiam, sicut angeli tertii caeli, habitant distincti in societates; at horum societates sunt supra illorum, propter influxum amoris caelestis in

amorem spiritualem; nam amor spiritualis trahit suam essentiam ab amore caelesti, per influxum mediatum et immediatum a Domino. Sunt in caelo spirituali palatia magnifica, in quibus intus omnia fulgent lapidibus pretiosis, et decoramentis in talibus formis ut non aequari possint aliqua pictura in mundo, nec exprimi verbis; ars enim ibi in sua arte est, imprimis architectonica: ex illo caelo trahunt plures artes in mundo suas leges et harmonias, unde pulchritudines. Argentum, quod apud illos qui infra illos caelos habitant invenitur, datur a Domino ex illo caelo, at aurum ex caelo tertio; nam argentum correspondet bono spirituali, quod in sua essentia est verum, et aurum correspondet bono caelesti. Angeli spirituales vestibus ex bysso et serico, in genere splendentibus, induti sunt: et quia caeli spirituales correspondent oculis, ibi sunt paradisiaca, tum visa iridea in multis locis, quae etiam ineffabilis pulchritudinis sunt. Non sciunt aliquid ibi de sensu litterae Verbi, sed de sensu spirituali ejus, in quo sensu illis est Verbum, quod ab unoquovis legitur: ibi justitia, sinceritas, veritas, castitas, et plures moralis vitae laudes regnant. Illi caeli constituunt regium Domini; at caeli superiores, ubi sunt angeli caelestes, constituunt sacerdotium Domini; nam regium Ipsius est Divinum Verum, ac sacerdotium Ipsius est Divinum Bonum.

832. ***"Ut et loquatur imago bestiae."***—Quod significet *quod inde e caelo consentiens influxerit in cogitationem loquelae proximam, ab amore naturali excitatam et incensam*, constare potest ex loquela et praedicatione illorum qui separationem fidei a vita per Verbum confirmant; omnia enim et singula Verbi communicant cum caelis, et inde influit sanctum apud loquentem aut praedicantem; sed id sanctum non in aliquam affectionem spiritualem et inde cogitationem potest influere, quia omnes illi qui in fide separata a vita sunt, non spirituales sed mere naturales sunt; quare id sanctum influit in amorem eorum naturalem, qui excitat et incendit cogitationem loquelae proximam: inde est quod tales etiam loqui et praedicare possint sicut spirituales, tametsi illis nulla affectio spiritualis est, sed modo affectio naturalis, quae est affectio gloriae, honoris aut lucri; haec affectio usque excitatur, immo incenditur ex influxu sancti e caelo. Quod Verbi sensus litterae communicet cum

caelo, est quia omnia et singula ibi sensum spiritualem in se continent, ac sensus spiritualis percipitur in caelis, quando sensus naturalis, qui est sensus litterae, intelligitur ab homine. Quod ita sit, ex multa experientia e mundo spirituali mihi confirmatum est. Audivi quod aliqui recitarent verba ex sensu litterae Verbi, et percepi, quod illico communicatio illis facta sit cum aliqua societate caeli, ad illam enim penetravit sensus spiritualis, qui inerat verbis e sensu litterae recitatis. Mali spiritus quandoque abutuntur hac communicatione ad comparandum sibi patrocinium e caelis. Ex his constare potest quale est Verbum in sensu litterae; et quia est communicativum cum caelo, ideo consentiens spirituale cum naturali, quod est sanctum, influit inde in amorem naturalem loquentis aut praedicantis ex Verbo, qui amor excitat cogitationem loquelae eorum proximam. Cogitatio loquelae proxima dicitur, quia homini est cogitatio interior et cogitatio exterior; cogitatio illi interior est quando solus est et secum cogitat, at cogitatio exterior illi est quando cum aliis est et cum illis loquitur: cuivis notum est [1]quod homo possit secum cogitare aliter quam loquitur coram hominibus; cogitatio haec exterior intelligitur per cogitationem loquelae proximam: hanc cogitationem excitat et incendit amor naturalis, qui est amor gloriae, honoris aut lucri, apud illos qui in falsis sunt, et falsa confirmant ex sensu litterae Verbi. Hoc nunc est quod significatur per quod "datus sit spiritus imagini bestiae," et "ut loquatur imago bestiae," per quae significatur, quod doctrinae fidei separatae a vita, per conjunctionem cum Verbo, aliquid vitae spiritualis inesset, et quod inde e caelo consentiens influxerit in cogitationem loquelae proximam, ab amore naturali excitatam et incensam. Quoniam in superiori articulo actum est de amore spirituali, qui est illis, et qui facit vitam illorum qui in secundo caelo sunt, et quia homo non scit quomodo amor fit spiritualis, paucis hic dicetur. Omnis amor fit spiritualis per vera ex Verbo, quantum illa homo agnoscit et quantum intellectu videt, et postea amat, hoc est, ex voluntate facit illa. Quod amor fiat spiritualis per vera ex Verbo, quantum homo agnoscit illa, ac intellectu videt illa, est quia in homine sunt binae memoriae, et inde binae cogitationes, tam apud malos quam apud bonos, nempe interior et exte-

rior: omnis homo ex memoria interiore cogitat apud se, dum sibi relictus ab amore suo ducitur; haec cogitatio est cogitatio ejus spiritus; at ab exteriore memoria cogitat homo, dum coram mundo loquitur. Quod binae illae cogitationes existant, quisque, si modo leviter reflectit, videt: illa quae homo cogitat apud se ex memoria interiore, dum sibi soli relictus est, illa sunt vitae ejus, ac fiunt vitae ejus; nam est spiritus ejus qui tunc cogitat, seu quod idem, est affectio propria vitae ejus, quae cogitationem illam excitat: illa autem quae homo cogitat ex memoria exteriore, si non unum faciunt cum cogitatione ex memoria interiore, non sunt vitae ejus, nec fiunt vitae ejus, sunt enim corporis, propter mundum; quae quoque post mortem, dum homo fit spiritus, rejiciuntur. Inde constare potest qualis est status illorum qui mali sunt, ac non timent Deum nec timent hominem, quod nempe interius apud se cogitent mala et falsa, exterius autem cogitent et inde loquantur vera, et quoque faciant bona; sed quod bona et vera, dum homo exuit corpus et fit spiritus, dissipentur, et quod mala et inde falsa apud illum, ut spiritum, remaneant. Aliter vero apud bonos: hi quia timuerunt Deum, et dilexerunt proximum, dum ex interiore memoria cogitant, ex veris quae ex bono cogitant, similiter cum ex memoria exteriore; apud hos binae illae cogitationes unum faciunt; et quia in veris ex bono sunt, apud illos aperitur internus spiritualis homo, qui conjunctus est angelis in caelis, ac in se est angelus caeli; hic quia est in luce caeli, in qua apparent vera spiritualia tam clare sicut objecta in mundo coram oculo, cum videt vera, recipit illa, et ex illis format intellectum: inde illis fides spiritualis, quae in sua essentia est agnitio veri quia visum est intellectu; fides naturalis illis est nulla fides, quae est credere quod ita sit quia alius dixerat; hanc fidem vocant fidem historicam, et apud quosdam persuasivam, quae permanet quantum cum amore vitae eorum concordat. Quis non videre potest quod nihil intrare possit vitam hominis, et facere illam, nisi quod prius cogitavit quod ita sit, et dein voluit quod ita esset? Ex his constare potest quod homo, ut amor ejus fiat spiritualis, oporteat videre sua vera, hoc est, intellectu capere illa. Sed si dixeris quod vera spiritualia non videri possint, et quod intellectus non eo usque aperiri queat, dum homo

in mundo est, [1]sciatur quod qui amat verum ex vero, hoc est, quia verum est, is possit videre illa; et quae non videt in mundo, illa videt postea in caelo; ipse amor veri recipit lucem caeli, quae illustrat intellectum. Praeterea unusquisque potest recipere cogitatione ac intelligere vera plus quam ipse novit, nisi amor proprius ejus induceret obscurum, et obfuscaret; hoc saepius testatum mihi factum est in mundo spirituali; spiritus enim mali tam bene intellexerunt vera spiritualia quam sicut spiritus boni, immo paene sicut angeli, cum dicta sunt a quodam; sed ut primum aurem averterunt, et se remiserunt in statum amoris proprii, nihil prorsus intellexerunt. Inde patuit quod cuivis homini sit facultas intelligendi vera, immo videndi illa; sed quod solum amor veri propter vera faciat ut homo intelligat illa, in mundo rationaliter, post mortem autem spiritualiter. Sed amor apud hominem, et inde vita ejus, non fit spiritualis per solum scire ac intelligere vera, nisi etiam velit et faciat illa; nam, ut modo dictum est, homo malus, cui amor infernalis, aeque potest scire et intelligere vera quemadmodum homo bonus, cui amor caelestis est; inde mali credunt quod propter cognitiones et propter intellectum veritatum, non modo venturi sint in caelum, sed etiam futuri ibi inter intelligentes, de quibus dicitur quod "luciturì sint sicut stellae;" cum tamen, si vera, quae sciunt ac intelligunt, non quoque [2]amant seu volunt facere, post mortem inter illos veniunt qui in inferno sunt, quibus adimuntur omnia vera. Quisque enim post mortem fit suus amor; ac quisque fit suus amor in mundo per velle et facere secundum ejus intelligere et scire; amor enim hominis residet in illis, et in amore resident vera intellectus; inde patet unde vita homini est, quoniam amor facit vitam ejus. Sunt tres gradus vitae apud hominem; tertius gradus est, in quo sunt angeli caeli tertii; secundus gradus est, in quo sunt angeli caeli secundi; et primus gradus est, in quo sunt angeli caeli primi seu ultimi; est quoque gradus infimus, qui est corporeus ac materialis, qui est apud hominem dum vivit in mundo. Illi gradus aperiuntur apud hominem secundum receptionem Divini Veri in vita sua, ac Divinum Verum recipitur vita ex velle et facere verum secundum scire et intelligere illud. Et quia amor et vita hominis unum faciunt, sequitur quod tot gradus

amoris sint quot sunt gradus vitae: amor in quo sunt angeli tertii caeli, vocatur amor caelestis; amor in quo sunt angeli secundi caeli, vocatur amor spiritualis; et amor in quo sunt angeli primi caeli, vocatur amor spiritualis naturalis, tum caelestis naturalis. Sicut est amor illorum, ita est sapientia et intelligentia illorum. Illi qui in gradu tertio amoris et inde sapientiae sunt, vivunt in atmosphaera sicut pura aetherea; qui in gradu secundo amoris et inde intelligentiae sunt, vivunt in atmosphaera sicut pura aerea; et qui in gradu primo amoris et inde scientiae sunt, vivunt in atmosphaera sicut pura aquea; et quia puritas vitae illorum in simili gradu cum amore illorum est, patet quod illi qui in tertio caelo sunt, ac in illius caeli amore et vita, non adiri queant ab illis qui in secundo et primo; nam e secundo caelo ascendere in tertium, foret [sicut] avis supra atmosphaeram suam volaret in aetherem; et a primo caelo in secundum, foret sicut piscis elevaretur in aerem, in quo suffocaretur et dira pateretur. Haec dicta sunt, ut sciatur quod amor spiritualis sit amor veri actu, et quod amor veri actu sit secundum visum veri intellectu; et quod fides illius amoris non aliud sit quam agnitio veri ex illo viso ac intellecto. Haec itaque est fides spiritualis.

833. ***"Et faciat ut quicunque non adorant imaginem bestiae, occidantur."***—Quod significet *minas mortis aeternae pro illis qui non omnia et singula, quae sic stabilita sunt, credunt*, constat ex significatione "adorare," quod sit agnoscere et credere (ut supra, n. 790[a], 805[a], 821[a]); ex significatione "imaginis bestiae," quod sit doctrina fidei separatae, et ordinatio, ut omnia et singula, quae ibi stabilita sunt, doceantur et credantur (de qua mox supra, n. 827[a]); et ex significatione "occidi," quod sit spiritualiter occidi, hoc est, perire morte aeterna (de qua supra, n. 315, 589): exinde patet quod per "facere ut quicunque non adorant imaginem bestiae, occidantur," significentur minae mortis aeternae pro illis qui non omnia et singula, quae ita stabilita sunt, credunt. Quod ita sit, notum est, nam annuntiatur cuique salvatio, ita vita aeterna, illis [qui] credunt doctrinae, et denuntiatur damnatio et mors aeterna illis qui non credunt.

834. Quoniam actum est de amore caelesti et de amore spirituali, sequitur ut nunc aliquid dicatur de amore spiri-

tuali naturali, in quo sunt angeli primi seu ultimi caeli; hic amor est qui proprie vocatur charitas erga proximum. Hi angeli, quia paene similes sunt hominibus in mundo quoad intellectum, et quia sunt naturales, non habent intellectum, nisi parum, elevatum supra suum in mundo; quare non vident vera in luce, sicut angeli secundi caeli; sed recipiunt, agnoscunt et credunt illa ex doctrina, in qua, antequam intromittuntur in caelum, instruuntur: inde est quod solum intelligentiores illorum sciant quid charitas erga proximum; simplices ibi credunt quod unusquisque homo sit proximus, et quod charitas sit opem ferre indigentibus, ac facere bonum pauperibus, peregrinis, et sic porro; spectant imprimis ad personas et ad loquelas illorum, et non ad interiora ex quibus sunt. Causa est, quia naturales sunt, et naturalis homo non abstracte cogitat ab illis quae oculis videt, nisi quantum in lumen suum naturale admittit lucem e caelo. Sed usque instruuntur ibi, quod per "proximum" in Verbo non intelligatur homo solum quoad personam, sed quoad quale in illo, quod facit ut sit homo talis aut talis; et quod quale hominis sit ex intellectu et voluntate ejus, et quale intellectus ex veris, et quale voluntatis ex bonis, et quale utriusque tam intellectus quam voluntatis ex amore ejus: inde scitur, quod quia unusquisque homo est proximus, sit unusquisque homo proximus ex quali ejus, et inde quod quale hominis, ex quo est homo, in sensu spirituali intelligatur per "proximum:" alioqui foret tam malus quam bonus aeque proximus; et tamen benefacere malis quandoque est malefacere bonis. Quod ita sit, quisque potest ex lumine naturali videre. Elige tibi in coadjutorem, aut in famulum, ex vicinis aliquem, et siste decem ante oculos, ex quibus electurus es unum; num eligis aliquem ex facie? annon ex quali quod amas, quod est sincerum, modestum, pium, probum? haec spectas cum illos intueris. Simile est cum proximo, quod sit quale hominis quod amandum est. Inde sequitur quod proximus in spirituali sensu sit illud apud hominem, ex quo talis aut talis homo est.

VERSUS 16, 17.

835. ***"Et facit omnes parvos et magnos, et divites et pauperes, et liberos et servos, ut det illis characterem super manu eorum dextra, aut super frontibus eorum. Et ut nemo possit emere et vendere, si non habeat characterem, aut nomen bestiae aut numerum nominis ejus."***

16. ***"Et facit omnes parvos et magnos, et divites et pauperes, et liberos et servos,"*** significat *inferiores et superiores, sapientes et simplices, quique a se cogitant, quique ab aliis* [n. 836]; ***"ut det illis characterem super manu eorum dextra et super frontibus eorum,"*** significat *testificationem agnitionis quod sint ab ecclesia, et in illius fidei veris et bonis ita dictis* [n. 838].

17. ***"Et ut nemo possit emere et vendere, si non habeat characterem bestiae,"*** significat *prohibitionem ne aliquis discat et doceat quam illud quod agnitum et inde in doctrina receptum est* [n. 840]; ***"aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus,"*** significat *vel simile ejus quoad vitam, vel simile ejus quoad fidem* [n. 841].

836. [*Vers.* 16.] ***"Et facit omnes parvos et magnos, et divites et pauperes, et liberos et servos."***—Quod significet *inferiores et superiores, sapientes et simplices, quique a se cogitant et qui ab aliis*, constat ex significatione "omnium parvorum et magnorum," quod sint inferiores et superiores, seu viliores et eminentiores; ex significatione "divitum et pauperum," quod sint sapientes et simplices; (quod "divites" dicantur qui multas cognitiones boni et veri possident, ita sapientes, videatur supra, n. 118, 236; et quod "pauperes" dicantur, qui non habent cognitiones boni et veri, quia non habent Verbum, et usque desiderant illas, videatur etiam supra, n. 118, 238:) et ex significatione "liberorum et servorum," quod sint qui ex se cogitant et qui ab aliis. Ex se cogitare est ex se videre num verum sit aut num falsum, ac sic eligere unum et rejicere alterum; hi sunt qui spirituales a Domino facti sunt, et inde in luce caeli, et a Domino vident ac ducuntur, nam liberum est cogitare et vivere a Domino, ac servum est cogitare et vivere ex inferno; quod illi sint "liberi," videatur supra (n. 248, 409[a,b], 701[a], 774). Quod Dominus per Divinum suum Verum liberos faciat, dicitur apud *Johannem* (cap. [1]viii. 32–36): et quod ecclesia, dum in fide ex amore est, in statu libero sit, at cum in fide absque amore est, in statu servo sit, et quod id intelligatur per Domini verba apud *Johannem* (cap. xxi. 18), videantur supra (n. 820[b]). Ex his sequitur quod per "servos" intelligantur qui non a se sed ab aliis cogitant, sed non vident an verum sit vel falsum, et usque agnoscunt quod verum; quod hi servi sint, cum illi qui ex se cogitant liberi sunt, ex relatione opposita patet.

837. Quoniam hactenus plura dicta sunt de fide et de operibus, velim nunc eadem in summam breviter conferre, quae haec est:—(1.) Quod omnis homo post mortem fiat suus amor, et quod spiritus hominis non sit nisi quam affectio quae amoris ejus est; quare homo cum fit spiritus, ex affectione sua cogitat et inde loquitur, tum ex affectione sua vult et inde facit, et tunc illa quae affectionis seu amoris ejus sunt desiderat et haurit, et quae non affectionis seu amoris sunt aversatur et rejicit; immo facies ejus successive fit facies affectionis seu amoris ejus; inde postea cognoscitur; tum etiam ex loquela, cujus sonus est ejus affectionis sonus. Verbo, homo post mortem fit suus amor seu sua affectio in forma; quapropter dum aliquis contra affectionem quae amoris ejus est, loquitur, aut illam impugnat, mutatur facies ejus, et quoque ipse abit, aut subito evanescit. Quoniam omnes homines post mortem sunt substantiae et formae amoris sui, ideo universum caelum, quod ex angelis qui fuerunt homines consistit, in societates secundum affectionum genera et species, ita secundum omnes affectionum differentias et varietates, distinctum est; similiter infernum, quod etiam ex spiritibus qui fuerunt homines consistit, in societates secundum affectiones caelestibus oppositas, et secundum omnes illarum differentias et varietates in genere et in specie, distinctum est. Quod homo post mortem sit suus amor, seu sua affectio quae amoris, hactenus in mundo ignotum fuit; mundus enim crediderat quod affectio nihil faciat, sed quod cogitatio, ex causa quia homo non potuit reflectere super affectiones et illarum varia apud se, sed super cogitationes et earum varia; has enim intus in se quasi videt, non autem affectiones; et quae non ad visum cogitationis ejus perveniunt, et sic se manifestant, non animadvertit: sed qui sapiens est, is ex cogitationibus suis affectiones suas nosse potest, in illis enim se manifestant, dum homo in sui spiritus libero est, et solus apud se; nam cogitat tunc ex affectione quae amoris ejus est; cogitatio nec aliud est quam affectio per lucis influxum visibilis in variis formis facta; quare si aufers affectionem, perit illico cogitatio, sicut lux si aufers flammam. Ex his constare potest, quantum interest comparare sibi amorem seu affectionem caelestem, quae quomodo comparatur, dicetur in his sequentibus. Sciendum est

quod per affectionem intelligatur amor in suo continuo. (2.) Quod tota vita hominis sit vita amoris ejus, et quod amor et vita apud hominem unum faciant, ac unum sint, constare potest ex supra dictis; quod nempe quisque in mundo spirituali appareat facie secundum amorem suum, loquatur secundum illum, cogitet, velit, desideret, cupiat, laetetur, contristetur secundum illum; et haec sunt quae faciunt vitam, ac procedunt a vita: quod ita sit, manifeste constat ex spiritibus et angelis, qui omnes sunt tam facie quam corpore homines; ut primum aliquis impugnat eorum amorem, evanescit ille cum toto suo corpore, tametsi inclusus conclavi sederet, quod saepius mihi visum est; ex quo patuit quod angelus et spiritus non modo sit affectio in forma humana, sed etiam quod tota vita ejus a capite ad plantam pedis, seu a pileo ad calceum, non sit nisi quam affectio quae amoris; alioqui non potuisset totus ex oculis assidentium evanescere. Inquisitum est num forma ejus corporea cum ejus membris etiam sit affectio quae amoris, et compertum est quod omnia et singula eorum sint; causa est, quia universum caelum, quod, ut supra dictum est, in societates secundum omnes differentias et varietates affectionum distinctum et formatum est, refert unum Hominem, et omnes angeli et spiritus inde sunt formae humanae; quare sicut caelum est complexus omnium affectionum, ita quoque angelus et spiritus, qui sunt minimae formae caeli. Inde patuit mihi hoc arcanum, quod etiam confirmatum est e caelo, quod omnia et singula hominis tam quae mentis ejus sunt quam quae corporis, sint formae amoris in mirabili serie; et quod organa cerebri et faciei, tum membra et viscera corporis, sint perpetuae contexturae correspondentes affectionibus caeli, in quibus sunt societates ejus. Inde adhuc aliud arcanum mihi patuit, quod nempe affectiones et inde cogitationes mentis exspatientur et se effundant in omnia corporis, sicut in campum sui excursus et circumgyrationis; qui campus et circumgyratio est a mentis affectione et ejus cogitatione in usus, ex quibus, in quibus et ad quos membra et viscera corporis formata sunt; simile enim id est cum affectionibus et inde cogitationibus angelorum, quod illae quaquaversum in caelum et ejus societates se effundant, et quod sapientia angelorum sit secundum ex-

tensionem illarum. (Sed de his videantur plura in opere *De Caelo et Inferno*, Quod, nempe, omnes Angeli sint imagines Caeli, et sic quasi Caeli in minima forma, n. 41–58: Quod universum Caelum referat unum Hominem, et quod inde Angeli et Spiritus sint Formae humanae, n. 59–102: Quod omnis cogitatio ex affectione procedens ab Angelis extensionem habeat in Caeli Societates secundum quale amoris et sapientiae illorum, n. 200–212.) (3.) Quoniam amor facit vitam hominis, et homo secundum vitam suam comparatam in mundo victurus est in aeternum, vel in caelo vel in inferno, maxime interest scire quomodo comparatur ac imbuitur amor caelestis, ut vita ejus absque fine beata et felix sit. (4.) Sunt binae facultates primariae vitae hominis, nempe, voluntas et intellectus. Voluntas est receptaculum omnium boni, ac intellectus est receptaculum omnium veri ex illo bono. Homo non potest nisi quam per binas illas facultates vitae reformari, et nisi quam per impletionem illarum ex bonis et veris. Reformatio fit hoc ordine: Homo primum implebit memoriam ex scientiis et cognitionibus veri et boni, per quas sibi comparabit lumen rationis; ac imprimis discet quod Deus unus sit, quod Dominus sit Deus caeli et terrae, quod caelum ac infernum sint, quod vita post mortem sit, et quod Verbum sanctum sit. (5.) Tunc discet quae mala sunt peccata, primum ex decalogo, et postea ex Verbo ubivis, et cogitabit quod peccata sint contra Deum, et quod illa ideo detineant ac separent hominem a caelo, ac condemnent illum et adjudicent inferno. Inde est quod primum reformationis sit a peccatis desistere, illa fugere et tandem aversari; ut autem desistat ab illis, fugiat illa et aversetur illa, supplicabit Dominum de ope; sed fugiet et aversabitur illa quia sunt contra Verbum, ita contra Dominum, et inde contra caelum, et quia in se sunt infernalia. (6.) Quantum homo fugit et aversatur mala quia peccata sunt, et cogitat de caelo, de sua salute et vita aeterna, tantum adoptatur a Domino et conjungitur caelo, ac tantum donatur affectione spirituali, quae est ut non modo velit scire vera, sed etiam intelligere illa, tum velle et facere illa. (7.) Ita homo a Domino reformatur; et quantum tunc scit et intelligit vera, ac vult et facit illa, tantum fit novus, qui est homo regeneratus, et qui fit angelus caeli, cui est amor et vita caelestis. (8.) Amor et [vita] ejus sunt prorsus sicut opera voluntatis ejus, et opera voluntatis sunt sicut vera quae applicata vitae sunt. Cognitiones veri et boni, quas homo ab infantia sibi com-

paravit, ex quibus implevit memoriam, non prius vivunt apud illum, quam dum incipit affici veris quia sunt vera, ac incipit velle et facere illa; prius sunt modo extra vitam hominis. (9.) Per bona opera intelliguntur omnia et singula quae homo facit, postquam aversatus est mala quia sunt peccata contra Deum, tunc enim non amplius a se sed a Domino illa facit et operatur; discit etiam tunc indies quid facturus est: discernit etiam bona et quoque mala, et haec fugit et illa facit cum prudentia, intelligentia et sapientia. Haec dicta sunt de amore, qui facit vitam hominis: nunc dicetur de fide. (10.) Antiqui non sciverunt quid fides, sed pro fide illis fuit veritas; veritas enim dum percepta est, aut intellectu visa, et sic agnita, ex se creditur; quare de illa non dici potest quod ei fides habenda sit, quia fides est in illa: sicut pro exemplo, qui in horto videt arborem ac florem, et alter dicturus esset, quod crederet seu fidem haberet quod arbor sit et quod flos sit, ac talis arbor et talis flos, annon alter responsurus esset, Quid velis ut hoc credam, aut ejus fidem habeam, dum ipse video? Inde est quod angeli tertii caeli, quia ex bono percipiunt vera, fidem ne quidem velint nominare, immo nec scire quod sit: et quod angeli secundi caeli, quia ex luce veri, qua illustratur intellectus eorum, vident vera, nec agnoscant vocem fidei. Mirantur et rident, dum audiunt dicentem quod intellectus sub obedientia fidei captivandus sit, et quod fides habenda sit non perceptis ac non visis; dicunt tunc quod sic possit falsum credi, ac per confirmationes poni sicut in luce, ac ipsum verum sicut in tenebris, ac ita ludi cum vero per falsum sicut cum pila. (11.) Quando mundus non amplius videre potuit vera ex amore illorum et ex luce illorum, ex eo quod facti sint naturales et externi, tunc fides incohavit nominari, ac omne fidei vocari verum, tametsi non perceptum aut visum, sed modo affirmatum a quodam antesignano, ac confirmatum a locis in Verbo non intellectis. In hoc statu sunt hodie ecclesiae in Christiano orbe, in quarum singulis creditur quod doctrinalia fidei eorum vera sint, et hoc solum ex eo, quod sint ecclesiae patriae suae: quod tamen usque non percipiatur aut videatur num sint vera, patet ex eo, quod de illis sint ventilationes, disceptationes, opiniones, haereses in communi et particulari tam foris quam domi.

(12.) Quamdiu fides fuit conjuncta operibus, et agnoscebatur charitas in pari gradu cum fide, aut supra illam, tamdiu fuit ecclesia in veris ex Verbo, sed in paucis, quia non viderunt illa; at vero ut primum separabatur fides a charitate, ecclesia elapsa est a veris in falsa, et tandem in fidem quae omnia ecclesiae vera destruxit; haec fides est fides justificationis et salvationis per meritum Domini apud Patrem: nam cum haec sola fides, et haec quoque separata a bonis vitae, quae sunt bona opera, salvat, quid opus veris quae doceant viam, et ducant ad caelum? vive et crede quomodo cumque vis, et tene modo illam fidem, et salvaberis. Sed dicam tibi, mi lector, quod omnes qui illam fidem vivunt, in amore naturali separato ab amore spirituali sint; ac amor naturalis ab eo separatus est amor sui et mundi, et inde amor omnium malorum et ex malis omnium falsorum; et quod omnes illi tam vacui et simul tam caeci sint, ut ne quidem unum genuinum verum ecclesiae sciant, ac in Verbo, tametsi id habent et legunt, videant; ac plures eorum tales sunt ut non scire nec videre aliquod velint. (13.) Causa est quia non datur aliquod verum, minus aliqua fides apud hominem, nisi velit et faciat; prius non est verum vitae, sed solum verum memoriae, quod verum est extra hominem, et non intra illum; et quod est extra illum, hoc dissipatur: inde patet quod fides absque operibus non sit fides, nisi fides falsi ex malo, quae est fides mortua, regnans in inferno.

838. ***"Ut det illis characterem super manu eorum dextra, et super frontibus eorum."***—Quod significet *testificationem agnitionis quod sint ab ecclesia, et in illius fidei veris et bonis ita dictis*, constat ex significatione "characteris," quod sit signum seu testificatio agnitionis, hic quod sint ab illa ecclesia; ex significatione "manus dextrae," quod sit verum fidei in sua potentia (de qua supra, n. 298); et ex significatione "frontis" quod sit bonum amoris (de qua etiam supra, n. 427): hic itaque per "dextram et frontem" significantur vera et bona illius fidei sic dicta, quae tamen sunt vel non vera et bona, vel falsa et mala; agnitio tamen illorum pro veris et bonis significatur per "dare et accipere characterem super manu dextra eorum et super frontibus eorum." "Character" etiam significat signum agnitionis in sequentibus locis,

In *Apocalypsi*, cap. xiv. 9, 11; cap. xv. 2; cap. xvi. 2; cap. xix. 20; cap. xx. 4.

Simile quod per "characterem," etiam intelligitur per

"Signum" a Jehovah positum super Caino (*Gen.* iv. 15):
Tum per "signum," quod propheta jussus signare super frontes virorum in urbe Hierosolyma (*Ezech.* ix. 4):

ut et per "signum," apud *Mosen*,

"Amabis Jehovam Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis;....alligabis ea in signum super manu tua, ac sint in frontalia inter oculos tuos" (*Deutr.* vi. 5, 8; cap. xi. 18).

839. Prius ostensum est quod unusquisque homo sit suus amor, ac quod amor et vita hominis unum faciant ac unum sint: nunc dicetur quod fides hominis sit qualis ejus amor seu vita, tum quod fides hominis sit secundum ejus opera. Supra ostensum est quod opera in se contineant omnia amoris et vitae hominis, quoniam opera sunt productiones et effectus eorum, et sunt ultima, in quibus omnia priora coexistunt; inde est quod ab angelis tertii caeli homo noscatur qualis est, ex sono loquelae, et quoque ex gressu, ex tactu manus, ex actu corporis, ab exultatione ejus, et ex pluribus, quae sunt actiones; quod homo ex illis noscatur in tertio caelo, non notum est in mundo, quia homo credit quod talibus nihil insit, nisi quam solus motus; cum tamen vita mentis ejus per vitam corporis ejus producit talia, ac utraque vita cum omnibus suis ad producendum illa concurrit; ex quo sequitur quod se manifestet in illis. Cum itaque vita hominis se producit in opera, ac se manifestat in illis, sequitur quod etiam fides ejus; nam fides est agnitio quod ita sit, et agnitio est cogitationis et simul voluntatis; et quia voluntas et cogitatio per vitam corporis producunt actionem, ideo etiam fides se in operibus manifestat, qualis est. Sed usque nihil agnoscitur quod ita sit cogitatione, voluntate et opere simul, nisi etiam sit amoris et vitae hominis; amor et vita ejus agnoscit; inde patet quod fides, quia est sicut amor et vita hominis, etiam sit sicut sunt ejus opera. Per opera intelliguntur omnia quae homo facit, loquitur et scribit, sive magna et multa sint, sive parva et pauca; sicut quicquid praefectus facit in sua functione, quicquid sacerdos in sua, quicquid mercator in sua, quicquid famulus in sua;

ac omnia illa opera, tam parva quam magna, sunt bona quando a Domino apud illum, et sunt mala quando ab ipso homine; ac bona sunt quantum fugit mala quia peccata contra Deum sunt, et mala sunt quantum non illa fugit. Simile est cum fide; qualia sunt opera ejus, talis est fides ejus, nam unum faciunt sicut cogitatio et loquela, ac sicut voluntas et actio. Homo putat quod tametsi male vivit usque possit fidem habere, ad minimum credere quod Deus sit, [quod] Dominus sit Salvator mundi, quod caelum et infernum sint, quod Verbum sanctum sit; sed asseverare possum, si non fugit mala quia peccata sunt, et tunc spectat ad Dominum, prorsus non credat illa; non enim sunt vitae et amoris ejus, sed sunt solum memoriae et scientiae ejus, quae non prius vitae et amoris ejus fiunt, quam dum pugnat contra mala, et vincit illa. Hoc patuit mihi a multis post mortem, qui putaverunt se credidisse, ad minimum quod Deus sit, et quod Dominus Salvator mundi sit, et similia; illi qui male vixerunt, usque non crediderunt.

840. [*Vers.* 17.] ***"Et ut nemo possit emere [1]et vendere, si non habeat characterem bestiae."***—Quod significet ***prohibitionem ne aliquis discat et doceat quam illud quod agnitum et inde in doctrina receptum est***, constat ex significatione "emere" et "vendere," quod sit cognitiones sibi comparare et aliis communicare, ita quoque discere et docere (de qua sequitur); prohibitio significatur per "facere ut nemo possit:" et ex significatione "characteris, quod sit testificatio et signum agnitionis quod sint ab ecclesia qui in illis fidei veris ac bonis ita dictis sunt (de qua mox supra, n. [2]838): inde patet quod per "facere ut nemo possit emere et vendere, si non habeat characterem bestiae," significetur prohibitio ne aliquis discat et doceat nisi quam illud quod agnitum, ita quoque quod in doctrina receptum est. Quod "emere et vendere," significet cognitiones veri ac boni ex Verbo sibi comparare et illas communicare, seu quod idem est, discere et docere, est quia per "opes" et per "divitias" in Verbo significantur cognitiones veri et boni, ac per "argentum et aurum," per quae fiunt emptiones et venditiones, significantur vera et bona caeli et ecclesiae: inde nunc est quod in Verbo passim dicatur "emere," "vendere," tum "mercari" et "negotiari," ac quod per illa

significentur emptiones, venditiones, mercaturae et negotiationes spirituales:—Ut apud *Esaiam*,

> "Omnis sitiens, ite ad aquas, et cui non argentum, ite, emite et comedite; ite inquam, emite sine argento, et sine pretio vinum et lac" (lv. 1):

quod hic per "emere vinum et lac" non intelligatur emere talia, unusquisque videt; et quia "emere" significat comparare sibi talia quae conducunt vitae spirituali hominis, patet quod singula ibi spiritualiter intelligenda sint; ita per "aquas," ad quas "omnis sitiens iret," significantur vera desiderantibus illa; "aquae" sunt vera ex Verbo, et "sitire" est desiderare illa: quod gratis a Domino darentur, significatur per "cui non argentum," tum "sine argento et pretio:" "comedere" significat appropriare sibi; "vinum et lac" significant verum spirituale et inde verum naturale, utrumque ex bono. Apud *Matthaeum*,

> Virgines prudentes dicebant stultis, "Abite potius ad vendentes, et emite vobismet" oleum; "sed abeuntibus illis ad emendum, venit sponsus" (xxv. 9, 10):

per "virgines prudentes" significantur illi in ecclesia apud quos fides conjuncta est charitati, et per "stultas" significantur illi in ecclesia apud quos fides separata est a charitate; "lampades" enim significant vera fidei, et "oleum" significat bonum amoris: inde per "abire ad vendentes et emere" significatur ad illos qui docent, et discere seu comparare sibi: sed quia non comparaverunt sibi bonum amoris, et per id vivificaverunt vera fidei, quando in mundo vixerunt, sed postea quidem comparaverunt sibi, sed quia nemo potest comparare sibi bonum amoris post mortem et id retinere, ideo virgines illae stultae, per quas significantur omnes qui separant bonum amoris seu bonum charitatis a veris fidei, non admissae sunt in nuptias et [1]receptae a sponso; "nuptiae" significant caelum, et "sponsus" Dominum. Apud *Evangelistas*,

> "Intravit Jesus in Templum.., et ejecit omnes vendentes et ementes in Templo, et mensas numulariorum [evertit], cathedras vendentium columbas" (*Matth.* xxi. 12; *Marc.* xi. 15; *Luc.* xix. 45);

per "vendentes et ementes" hic significantur qui sibi quaestum faciunt ex sanctis, per "mensas numulariorum" significantur [qui] ex sanctis veris, et per "cathedras venden-

tium columbas" significantur qui ex sanctis bonis: quare postea dicitur quod "fecerint templum in speluncam latronum;" "latrones" sunt qui depraedantur vera et bona ecclesiae, et inde sibi quaestum faciunt. Apud *Lucam*,

> "Sicut factum est in diebus Lothi," sic erit in diebus Filii hominis; "edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, aedificabant" (xvii. 28):

per "edere et bibere" significatur ibi vivere sibi et mundo, ac appropriare sibi mala et falsa; per "emere et vendere" significatur comparare sibi illa, et communicare illa aliis; per "plantare et aedificare" significatur confirmare se in illis, et vivere in illis. Apud eundem,

> Jesus dixit "Nunc qui habet crumenam tollat, similiter..peram; qui vero non habet, vendat vestimenta sua, et emat gladium" (xxii. 36):

quid per haec intelligitur, constat ex sequentibus ibi, quod nempe "oporteret consummari in Domino quod scriptum est" (vers. 37), ita quod passurus crucem; hoc quia non potuit aliter quam animos illorum qui tunc vixerunt, et quoque animos discipulorum, distrahere, ac in dubitationes de Ipso et de Ipsius regno inducere, et sic in tentationes, et illae non nisi quam per vera discuti possunt, ideo dicit Dominus, "Qui habet crumenam et peram, tollat;" nempe, qui possidet vera ex Verbo, in quo praedictum est quod Christus talia passurus esset, caveat ne illa amittat; "crumena" enim et "pera" simile quod nummi et pecuniae in illis significant, nempe cognitiones veri et boni ex Verbo: "qui vero non habet, vendat vestimenta sua, et emat gladium," significat quod illi, quibus non vera, rejiciant propria, et comparent sibi vera cum quibus pugnent contra falsa; "gladius" significat pugnam veri contra falsum, et hujus destructionem. Quoniam "Tyrus" significat ecclesiam quoad cognitiones veri et boni, et inde quoque cognitiones veri et boni quae sunt ecclesiae ac inserviunt doctrinae ejus, ideo ubi agitur in Verbo de Tyro, agitur etiam de negotiationibus; per quas significatur comparatio illarum, et quoque communicatio cum aliis; ut apud *Ezechielem*,

> "Omnes naves maris...fuerunt..ad negotiandum negotiationem tuam; ....Tharschisch negotiatrix tua....in argento, ferro, stanno, et plumbo, dederunt mercaturas tuas. Javan, Thubal et Meschech,

hi mercatores tui, cum anima hominis et vasis aeris dederunt negotiationem tuam. Filii Dedanis mercatores tui; insulae multae mercatores manus tuae. ....Syria negotiatrix tua....cum chrysopraso. ....Sed opes tuae, et negotiationes tuae; mercatus tui,.... negotiantes negotiationem tuam,....cadent in cor marium in die casus tui" (xxvii. 1 ad fin.):

apud *Esaiam*,

"Ejulate, naves Tharschischi, quia devastata est Tyrus,....cujus mercatores principes, negotiatores ejus honorati terrae" (xxiii. 1, 8):

quisque videre potest quod per "negotiationes" et "mercaturas" ibi non intelligantur negotiationes et mercaturae; quid enim commune habet Verbum cum talibus, quod in se Divinum ac caeleste est, ac docet hominem de Deo, de caelo et ecclesia, de vita aeterna, et similibus? Inde quis non videre potest, quod singula ibi significent spiritualia quae caeli et ecclesiae sunt? non solum nomina terrarum ibi, cum quibus negotiationes factae sunt, sed etiam singulae mercaturae illarum: sed quid singula in spirituali sensu significant, nimis prolixum foret hic exponere; satis est quod sciatur quod "negotiationes" ibi significent acquisitiones et communicationes cognitionum veri et boni, ac quod "mercaturae" seu "merces" illas cognitiones, quae multifariae sunt. Quod illa significentur, patet quoque ex his apud *Ezechielem*,

"In sapientia tua et in intelligentia tua feceras tibi opes, et feceras aurum et argentum in thesauris tuis, per multitudinem sapientiae tuae in negotiatione tua multiplicaveras tibi opes" (xxviii. [4,] 5):

haec de principe Tyri, per quem intelliguntur cognitiones veri ex Verbo, per quas intelligentia et sapientia; et quia eaedem illae cognitiones significantur per "opes," et comparatio illarum per "negotiationem," ideo dicitur, "per [1]multiplicationem sapientiae tuae in negotiatione tua multiplicaveras tibi opes." Ex his constare potest unde est

Quod Dominus comparaverit regnum caelorum "negotiatori quaerenti pulchras margaritas, qui cum invenisset unam pretiosam.., abiit et vendidit omnia quae habuit, et emit illam" (*Matth.* xiii. 45, 46):

per "margaritas" significantur cognitiones, et quoque ipsa vera; et per "unam pretiosam" significatur agnitio Domini; et per "vendere omnia quae habuit" significatur abalienare omnia quae amoris proprii sunt, et per "emere illam"

significatur id Divinum Verum sibi comparare. Simile intelligitur per

> Thesaurum absconditum in agro, "quem repertum homo abscondit, et prae gaudio abiit, et omnia quaecunque habebat vendidit, et emit.. agrum" (*Matth.* xiii. 44):

per "thesaurum" significatur Divinum Verum quod in Verbo est, et per "agrum" significatur ecclesia et ejus doctrina; ac per "vendere quaecunque habet, et emere agrum," significatur hic ut supra, abalienare propria, et comparare sibi Divinum Verum, quod in ecclesia Domini est. Quoniam "negotiatio" significabat acquisitionem et possessionem veritatum, ideo Dominus per parabolam locutus est

> De homine peregre profecto, quod dederit servis suis talenta, ut cum illis negotiarentur, et lucrarentur (*Matth.* xxv. 14-[1]30):

ac de alio,

> Qui dedit servis suis decem minas, ut cum illis negotiarentur (*Luc.* xix. 12-26).

Similia per "negotiari," "negotiationes," ac "negotiatores" significantur alibi in Verbo: tum etiam in opposito sensu, in quo per illas significantur receptiones et appropriationes falsorum

> (Ut *Esai.* xlviii. 15; *Ezech.* xvi. 3; *Nah.* iii. 14; *Apoc.* [2]xviii. 3, 11-24).

Inde ecclesia, ubi talia sunt, vocatur

> "Terra negotiationis" (*Ezech.* xvi. 29; cap. xxi. 35, 36 [*B. A.* 30, 31]; cap. xxix. 14).

Praeterea per "vendere" et per "vendi" significatur abalienare vera ac abalienari ab illis, ac pro illis acceptare falsa et captivari ab illis

> (*Esai.* l. 1; cap. lii. 3: *Ezech.* xxx. 12: *Joel* iv. [*B. A.* iii.] 6, 7: *Nah.* iii. 4: *Sach.* xiii. 5: *Psalm.* xliv. 12-14 [*B. A.* 11-13]: *Deutr.* xxxii. [3]30).

Ex his constare potest quid proprie significatur per "redimi" et per "redemptionem," ubi de Domino; ut apud *Esaiam*,

> "Gratis venditi estis, ideo non per argentum redimemini" (lii. 3);

et multis in locis alibi.

841. ***"Aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus."***— Quod significet *vel simile ejus quoad vitam, vel simile ejus quoad fidem*, constat ex significatione "nominis," quod sit quale boni amoris et inde vitae, et ex significatione "numeri," quod sit quale veri fidei et inde intelligentiae; inde per "numerum nominis" significatur quale veri fidei et inde intelligentiae ex quali bono amoris et inde vitae; hic in opposito sensu quia dicitur "nomen bestiae" et "numerus nominis ejus." Quod "nomen" in Verbo significet quale alicujus quoad bonum, seu quoad amorem, ita quoad vitam, videatur supra (n. 102, 135, 148, 676, 695[b], 696[a], 815[c]): et quod "numerus" significet quale rei de qua agitur, et quod quale illud determinetur per numeros qui apponuntur, etiam supra (n. 429, 430, 574), ita quale veri fidei: et quod "numerare" significet nosse quale rei, ac ordinare et disponere secundum id (n. 453). Quod "numerus" significet quale veri et inde fidei, est quia numerus involvit multitudinem, ac "multitudo" in Verbo praedicatur de veris (videatur supra, n. 336[a], 337): inde nunc per "numerum nominis" significatur quale veri ex bono, seu quale fidei ex amore; sed hic in opposito sensu, quia dicitur de "bestia."

842. Quia supra actum est de fide et operibus, velim ex illis sequens conclusum facere: quod amor, vita et opera apud unumquemvis hominem unum faciant; adeo ut sive dicas amorem, sive vitam, sive opera, simile sit. Quod amor faciat vitam hominis, et quod vita ejus sit qualis ejus amor, non solum vita mentis sed etiam simul vita corporis, supra ostensum est; et quia id quod homo amat, hoc etiam mente vult et corpore facit, sequitur quod amor et facta seu opera unum faciant. Quod opera procedant a vita tam interna quam externa hominis, et quod sint activitates sphaerae affectionum et inde cogitationum ambientis illum, et quod communicatio vitae et amoris hominis non detur nisi sphaera ambiens, quae est vitae ejus, activa fiat per facere, multis ostendi potest; quare sicut vita, aut sicut amor, aut sicut opera sunt apud hominem, ita sunt omnia a quibus illa sphaera, consequenter etiam fides: itaque si opera mala sunt, sequitur quod nulla fides veri sit, sed fides falsi; malum enim et falsum cohaerent, non autem malum et verum: si vero opera bona sunt, sequitur quod fides veri sit, nam bonum et verum se mutuo amant et se

conjungunt: si autem opera hominis in externa forma bona apparent, et tamen homo interius est malus, sequitur quod ei fides falsi sit, utcunque ore potest loqui verum, at verum quod contaminatum est malo ab interiori: ejus facta inde sunt secundum illorum descriptionem a Domino,

Sicut exteriora poculi et patinae purgata, quorum interiora sunt plena rapina et intemperantia. Et sunt sicut sepulcra dealbata, "quae foris apparent pulchra, intus vero plena ossibus mortuorum et omni immunditie" (*Matth.* xxiii. 25, 27, 28).

VERSUS 18.

843. *"Hic sapientia est. Habens intelligentiam computet numerum bestiae, numerus enim hominis est, et numerus ejus sexcenta sexaginta sex."*

18. ***"Hic sapientia est,"*** significat *quod haec in omni complexu sit eorum doctrina, quae reputatur pro sapientia, tametsi est insania* (n. 844). ***"Habens intelligentiam computet numerum bestiae,"*** significat *quod qui in illustratione sunt inquirant quale fidei hujus religiosi* (n. 845); ***"numerus enim hominis est,"*** significat *quale ejus sicut foret ex intellectu veritatum, qui hominibus ecclesiae erit* (n. 846); ***"et numerus ejus sexcenta sexaginta sex,"*** significat *quod usque quale ejus sit ex omnibus falsis et inde omnibus malis in complexu* (n. 847).

844. [*Vers.* 18.] ***"Hic est sapientia."***—Quod significet *quod haec in omni complexu sit eorum doctrina, quae reputatur pro sapientia, tametsi est insania*, constat ex significatione "Hic est sapientia," quod sit quod omnia illa, quae de dracone et de binis ejus bestiis dicta sunt, sit doctrina eorum qui fidem separaverunt a vita, quae tamen non est sapientia, sicut reputatur, sed insania; quod haec intelliguntur per "Hic est sapientia," sequitur ex mox praecedentibus, quod "nemo possit [1]emere et vendere, si non haberet characterem, aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus," per quae significatur quod non aliquis disceret aut doceret aliud quam quod agnitum et inde in doctrina receptum est: exinde concludi potest quod per "sapientiam" hic intelligatur sapientia in oculis illorum, quae tamen est insania illis visa sicut sapientia. Quod insania intelligatur per "sapientiam," est quia illi qui in falsis sunt, credunt quod prae aliis sapientes sint quando falsa sua confirmaverunt: similiter faciunt mali, quando in malis suis sunt, et excogitant artes per quas malefaciunt bonis; tunc videntur sibi ingeniosi, immo sapientes prae aliis, cum tamen tunc coram oculis angelorum apparent vesani; inde

nunc est quod insania illorum quia in falsis sunt, in Verbo etiam dicatur "sapientia" et "intelligentia;" ut in sequentibus his locis,

> Domine Deus, "Abscondisti haec sapientibus et intelligentibus, et revelasti ea infantibus" (*Matth.* xi. 25; *Luc.* x. 21);
> "Vae sapientibus in oculis suis, et coram faciebus suis intelligentibus" (*Esai.* v. 21);
> "Visitabo super fructum superbiae cordis regis Aschuris, et super decus altitudinis oculorum ejus, ideo quia dixit, In virtute manus meae feci, et per sapientiam meam, quia intelligens fui" (*Esai.* x. 12, 13);
> "Certe stulti principes Zoanis, sapientes consiliariorum Pharaonis;... quomodo dicitis ad Pharaonem, Filius sapientum ego" (*Esai.* xix. 11);
> "Peribit sapientia sapientum.., ac intelligentia intelligentium..se occultabit" (*Esai.* xxix. 14);
> "Rejicit sapientes retro" (*Esai.* xliv. 25);
> "Gladie....contra habitatores Babelis, et contra principes ejus, et contra sapientes ejus" (*Jerem.* l. 35).

Inde est

> Quod magi in Babele et alibi dicti fuerint sapientes (ut *Dan.* ii. 48).

Ex his patet quod "sapientia" in Verbo etiam dicatur de non sapientibus, et quoque de illis qui ex falsis insaniunt; similiter quod illis tribuantur diademata (ut draconi, *Apoc.* xii. 3; et ejus bestiae, in hujus capitis versu 1); et quod de muliere insidente bestiae coccineae, dicatur,

> Quod fuerit amicta purpura et cocco, inaurata auro, ornata lapidibus pretiosis ac margaritis (*Apoc.* xvii. 4):

similiter quod mali dicantur "fortes" et "potentes" cum tamen nihil minus quam fortes et potentes sunt (de qua re videatur supra, n. 783).

845. ***"Habens intelligentiam computet numerum bestiae."***—Quod significet *quod qui in illustratione sunt, inquirant quale fidei hujus religiosi*, constat ex significatione "habens intelligentiam," quod sit qui in illustratione est (de qua sequitur); ex significatione "computare," quod sit inquirere; causa quod "computare" significet inquirere, est quia in binis sensibus Verbi, nempe in sensu litterali et in sensu spirituali, verba praedicantur secundum sua subjecta; ita "computare" de numero, et *inquirere* de quali fidei: et ex significatione "numeri bestiae," quod sit quale fidei hujus religiosi; quod "numerus" significet quale fidei, videatur supra (n. 841); et quod "bestia" significet fidem separatam a vita, quae fides est hujus religiosi: inde constare potest,

quod "Habens intelligentiam computet numerum bestiae," significet quod qui in illustratione sunt, inquirant quale fidei hujus religiosi. Quod illi qui in illustratione sunt, inquisituri sint, est quia quale fidei istius religiosi ab aliis non videri potest, ita nec inquiri; nam omne Verbi, per quod fiet inquisitio, et ex quo judicatio, in luce caeli est, et inde non nisi quam ex illa luce potest videri, et illa lux est quae illustrat hominem; quare inquirere quale fidei alicujus religionis, quod confirmatum est per aliqua loca ex Verbo, non alius potest quam qui in luce caeli est, proinde qui in illustratione est.

846. ***"Numerus enim hominis est."***—Quod significet *quale ejus sicut foret ex intellectu veritatum, qui hominibus ecclesiae erit,* constat ex significatione "numeri," quod sit quale fidei (de qua supra, n. 841); et ex significatione "hominis," quod sit intellectus veri qui hominibus ecclesiae in rebus fidei (de qua etiam supra, n. 280, 546, 547), hic sicut foret ex intellectu; est enim fides separata a vita fides falsi, ita absque vero et ejus intellectu: quare hic cum significatione "hominis" simile est ut cum significatione "sapientiae" supra (n. 844), quod intelligatur, sicut foret sapientia, tametsi est insania. Praeterea illi qui in fide separata a charitate sunt, excludunt intellectum, volentes ut obedientia fidei non intellectae sit, et quod fides intellecta sit fides propria hominis, ac inde naturalis et non spiritualis: sed qualis fides intellectualis sit, dicetur. In Verbo, in ejus sensu spirituali, multis agitur de intellectu Divini Veri in Verbo; et ubi de desolatione ecclesiae, etiam de intellectu deperdito veritatum Divinarum ejus ex Verbo agitur; et ex locis ibi de ea re collectis, et quoad sensum eorum interiorem exploratis, patet, quod quantum perit intellectus veri in ecclesia, tantum pereat ecclesia; etiam per "Aegyptum," Aschurem," "Israelem," et per "Ephraimum," multis in locis significatur intellectus Verbi; sed per "Aegyptum" intellectus naturalis ejus, per "Aschurem" intellectus rationalis, per "Israelem" intellectus spiritualis, at per "Ephraimum" ipse intellectus Verbi in ecclesia; sed tres illi gradus intellectus, nempe naturalis, rationalis et spiritualis, una erunt, ut homo ex illustratione videat et percipiat genuinas veritates Verbi; nam intellectus naturalis, qui est infimus, non potest a suo lumine illustrari, sed illustrabitur a luce ratio-

nalis hominis, qui est medius, et hic ex luce spirituali; intellectus enim spiritualis est in luce caeli, et inde videt; rationale est medium inter spirituale et naturale, ac recipit lucem spiritualem, quam transmittit in naturale ac illustrat illud: inde patet quod intellectus naturalis, absque luce per rationale ex spirituali, non sit intellectus, est enim absque luce e caelo; ac vera ecclesiae, quae etiam sunt vera caeli, nequaquam videri possunt, nisi quam in luce caeli: causa est, quia Divinum Verum procedens a Domino ut Sole est lux caeli, ac Dominus per suam lucem, quae est lux spiritualis, solus illustrat hominem. Ex his patet quod Dominus velit ut homo vera ecclesiae suae non modo sciat, sed etiam intelligat; attamen non ex luce naturali separata a luce spirituali; lux enim naturalis separata a luce spirituali, in rebus caeli seu in spiritualibus, non lux est sed caligo: homo enim ex luce naturali separata, res ecclesiae ex semet et non ex Domino intuetur; quare non potest aliter quam illas ex apparentiis et fallaciis videre, et eas ex illis videre est videre falsa pro veris ac mala pro bonis; ignis qui propagat et quoque accendit illam lucem, est amor sui, et inde fastus propriae intelligentiae; homo qui ex illo igne et inde luce cogitat, quantum valet dote ingenii, et inde facultate confirmandi omnia quae lubet, tantum etiam potest falsa et mala confirmare, usque ut appareant sicut vera et bona; immo potest falsa et mala sistere in luce splendente naturali, quae tamen est lux fatua ita ab artifice exaltata: sed comprehendere res ecclesiae ex hac luce non est intelligere illas, sed est potius non intelligere, nam homo ex illa sola luce videt vera sicut falsa, ac falsa sicut vera; et hoc fit imprimis quando receptum aliquod dogma assumitur sicut ipsum verum, et non in antecessum lustratur num sit verum vel non; et si lustretur, fit solum ex confirmatis per ratiocinia ex naturali homine, et per confirmationes ex locis in Verbo non intellectis: homo qui omnia religionis suae dogmata eo modo intuetur, potest pro principio sumere quodcunque lubet, et ei dare confirmationis lucem usque ad apparentiam sicut foret verum e caelo, tametsi est falsum ex inferno. Ex his concludi potest quod per intellectum veritatum ecclesiae intelligatur intellectus illarum illustratus a luce caeli, ita a Domino: homo qui in illa illustra-

tione est, ille potest vera ecclesiae videre rationaliter in mundo, ac spiritualiter post mortem. At vero ex lumine naturali separato a luce spirituali, quae est lux caeli a Domino, intrare in res ecclesiae, quae interius sunt spirituales et caelestes, est progredi inverso ordine, nam naturale non potest intrare in spirituale, sed spirituale potest in naturale; non enim datur influxus naturalis apud hominem in ejus spiritus cogitationes ac intentiones, qui influxus etiam vocatur physicus, sed datur influxus spiritualis, nempe cogitationum ac intentionum spiritus in corpus, ac in ejus actiones et sensationes.

847. ***"Et numerus ejus sexcenta sexaginta et sex."***—Quod significet *quod usque quale ejus sit ex omnibus falsis et inde omnibus malis in complexu*, constat ex significatione "numeri," quod sit quale fidei separatae a vita; et ex significatione "sexcenta sexaginta sex," quod sint omnia falsa et inde omnia mala in complexu; quod is numerus illa significet, est quia "sex" significant omnia, ac praedicantur de veris et inde bonis, ac in opposito sensu de falsis et inde malis; numerus enim ille est compositus ex numeris 2 et 3 in se ductis, ac numerus "duo" praedicatur de bonis, et in opposito sensu de malis, ac numerus "tria" de veris ac in opposito sensu de falsis, ac numerus compositus simile significat cum numeris simplicibus ex quibus compositus est; inde nunc est quod "sex" significent omnia vera et inde omnia bona in complexu, ac in opposito sensu omnia falsa et inde mala in complexu. Ut significentur omnia illa ad plenum, ideo triplicatur ille numerus, ac per triplicationem exsurgit sexcenta sexaginta et sex; per "triplicatum" enim significatur prorsus ac plenum a principio ad finem, hic itaque quod prorsus nihil veri et boni supersit. Quod per omnem numerum in Verbo significetur aliquid rei aut status, et quod quale ejus determinetur per numeros qui apponuntur, videatur supra (n. 203, 429, 574, 841); quod numeri majores et congregati ex minoribus similia significent cum minoribus et simplicibus, ex quibus per multiplicationem exsurgunt (n. 430); ita numerus "sexcenta sexaginta et sex" similia cum "sex," et "sex" similia cum "tribus" et cum "duobus" ex quibus per multiplicationem exsurgunt; quod "tria" significent plenum, completum, prorsus et omnia, a principio ad finem, ac dicantur de veris et de fal-

sis, supra (n. 532), et quod "duo" similiter de bonis et de malis (n. 532 fin.): simile quod per "sex" etiam significatur per "duodecim," quia duodecim exsurgunt per multiplicationem 3 in 4, ac "quatuor" similiter ac "duo" praedicantur de bonis, et quoque de malis. Ex his nunc patet quod per numerum "sexcenta sexaginta sex," qui numerus dicitur esse "hominis," et quem computare dicitur esse "intelligentiae," significetur quale fidei separatae a bonis operibus, quod sit ex omnibus falsis et inde omnibus malis in complexu; quod dicatur "intelligentiae esse computare illum numerum," non significat intelligentiam esse scire aut invenire significationem illius numeri, sed intelligentiam esse inquirere et videre falsa et mala quae faciunt quale fidei separatae a vita. Quod quale illius fidei tale sit quoad falsa, videbitur in mox sequentibus; quod etiam tale sit quoad mala, est quia dum removerentur bona opera, ac removentur dum creditur quod prorsus nihil justificent aut salvent, sequitur quod loco illorum sint mala opera; homo enim vel in bonis vel in malis erit; non potest esse in utrisque simul, quod intelligitur per haec Domini verba,

> "Nemo potest duobus dominis servire;..aut unum odio habebit, et alterum diliget;....non potestis Deo servire et mammonae" (*Matth.* vi. 24):

inde est quod ex fide removente bona opera, quae sunt bona vitae, sequantur omnia mala in complexu. Praeterea omnis religio pro fine habet vitam; docet enim mala quae fugienda sunt, ac bona quae facienda; religio quae pro fine non habet vitam, non dici potest religio; consequenter ubi docetur quod opera vitae nihil faciant, sed sola fides; et ubi hoc docetur, annon omnia mala vitae, quantum non leges civiles vetant ac inhibent, permissa sunt? sola enim fides illa celat, remittit, aufert; quod ita sit, constare potest ex eo, quod dicatur quod sola fides justificet vitam, et tamen docetur quod homo non salvetur per aliquod bonum vitae, et quoque quod salvetur ex fide illa etiam in ultima mortis hora, tum quod justificetur eodem momento quo recipit illam fidem; et similia plura, quae prorsus persuadent quod vita non sit finis istius religionis; et si religio pro fine non habet vitam, sequitur quod laxet frena malis omnis generis. Quod omnia falsa in complexu

sint illis qui tam doctrina quam vita in fide illa sunt, constare potest ex eo, quia fides sola justificans seu salvans est haec fides, quod Pater miserit Filium, qui reconciliaret Sibi genus humanum per passionem crucis et sic sublationem damnationis; sed qualis haec fides est, et quid veri aut non veri in illa est, supra expositum est; et quisque videre potest quod in illa fide non sit nisi quam cogitatio, ac nihil vitae; nam dicitur, si id cum fiducia et confidentia credimus, hoc est, cogitatione agnoscimus, quod salvemur. Si salus sit in hac sola fide, quid ergo tunc opus est scire quid amor in Dominum, quid charitas erga proximum, quid vita hominis, ac vitae bona et mala, quid remissio peccatorum, quid reformatio et regeneratio? annon omnia illa sunt sola illa fides? Si quaeritur quid remissio peccatorum, annon est sola illa fides? si quaeritur quid charitas erga proximum, annon est sola illa fides? si quaeritur quid est ecclesia, annon est sola illa fides? Ita in reliquis. Inde patet quod illa sola fides absorpserit, et quasi draco deglutiverit omnia vera et bona Verbi et inde ecclesiae, quae tamen innumerabilia sunt, et per quae omnis intelligentia et sapientia est angelis, et per quae omnis salus est hominibus. Quia per illam solam fidem exsularunt omnia vera ac bona ecclesiae, sequitur quod loco illorum sint falsa et inde mala, et consequenter ecclesia devastata; immo etiam, per hoc verum, quod homo ex se non facere possit bonum quod bonum est, rejiciuntur omnia vera et bona ecclesiae, quasi homini liceat sic desistere ab illis faciendis, quia potius damnabilia, si non bona, quam salutifera: et mirum est quod per unum verum male intellectum, omnia vera et bona ecclesiae in toto complexu rejecta sint. Haec sunt quae per "numerum bestiae sexcenta sexaginta et sex" in sensu spirituali significantur.

CAPUT XIV.

ET vidi, et ecce Agnus stans super Monte Sion, et cum Ipso centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen Patris Ipsius scriptum super frontibus suis.

2. Et audivi vocem e caelo, tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni: et vocem audivi citharaedorum pulsantium citharis suis.

3. Et canebant tanquam canticum novum coram throno, et coram quatuor animalibus, et senioribus; et nemo potuit discere canticum, nisi quam illi centum quadraginta quatuor millia, empti de terra.

4. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati, virgines enim sunt; hi sunt qui sequentes Agnum, quocunque vadit: hi empti sunt de hominibus, primitiae Deo et Agno.

5. Et in ore illorum non est inventus dolus, immaculati enim sunt coram throno Dei.

6. Et vidi alium angelum volantem in medio caeli, habentem Evangelium aeternum, evangelizare habitantibus super terra, et omni genti et tribui et linguae et populo.

7. Dicentem voce magna, Timete Deum, et date Ipsi gloriam, quia venit hora judicii Ipsius, et adorate Ipsum qui fecit caelum et terram, et mare et fontes aquarum.

8. Et alius angelus secutus est, dicens, Cecidit, ceci-

dit Babylon, urbs illa magna, quia ex vino irae scortationis suae potavit omnes gentes.

9. Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magna, Si quis bestiam adoraverit, et imaginem ejus, et acceperit characterem super fronte sua et super manu sua.

10. Et ille bibet ex vino irae Dei mixto mero in poculo excandescentiae Ipsius, et cruciabitur igne et sulphure coram sanctis angelis et coram Agno.

11. Et fumus cruciatus illorum ascendet in saecula saeculorum, et non habebunt requiem diu et noctu adorantes bestiam et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus.

12. Hic patientia sanctorum est; hic custodientes mandata Dei et fidem Jesu.

13. Et audivi vocem e caelo dicentem mihi, Scribe, Beati mortui in Domino morientes a nunc; immo dicit Spiritus, ut requiescant ex laboribus suis; opera enim illorum sequuntur cum illis.

14. Et vidi, et ecce nubes alba, et super nube sedens similis Filio hominis, habens super capite suo coronam auream,* et in manu sua falcem acutam.†

15. Et alius angelus exivit e templo, clamans magna voce sedenti super nube, Mitte falcem tuam et mete, quia venit Tibi hora metendi, quia aruit messis terrae.

16. Et misit sedens super nube falcem suam super terram, et demessa est terra.

17. Et alius angelus exivit e templo quod in caelo, habens et ille falcem acutam.

18. Et alius angelus exivit ex altari, habens potestatem super ignem, et clamavit clamore magno habenti

---

[Notae Auctoris:—] * Div[inum] am[orem] et Div[inam] sap[ientiam].
† Divinum verum Verbi.

falcem acutam, dicens, Mitte tuam falcem acutam, et vindemia botros vineae* terrae, quia maturuerunt uvae ejus.

19. Et misit angelus falcem suam in terram, et vindemiavit vineam terrae, et conjecit in torcular irae Dei magnum.

20. Et calcatum est torcular extra urbem, et exivit sanguis e torculari usque ad frena equorum, a stadiis mille sexcentis.

EXPLICATIO.

VERSUS I.

848. ***"Et vidi, et ecce Agnus stans super Monte Sion, et cum Ipso centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen Patris Ipsius scriptum super frontibus suis."***

1. ***"Et vidi,"*** significat *manifestationem de futura separatione bonorum a malis ante ultimum judicium* [n. 849]; ***"et ecce Agnus stans super monte Sionis,"*** significat *praesentiam Domini in caelo et in ecclesia ad separandum bonos a malis, et ad faciendum judicium* [n. 850]; ***"et cum Ipso centum quadraginta quatuor millia,"*** significat *secundum vera in omni complexu* [n. 851]; ***"habentes nomen Patris Ipsius scriptum super frontibus suis,"*** significat *illa secundum agnitionem Divini Ipsius ex amore* [n. 852].

849. [*Vers.* 1.] ***"Et vidi."***—Quod significet *manifestationem de futura separatione bonorum a malis ante ultimum judicium*, constat ex significatione "vidi," quod sint quae Johanni visa sunt, et nunc sequuntur; quae in sensu spirituali spectata agunt de convocatione et congregatione fidelium, ac de separatione illorum a malis ante ultimum judicium, ac sunt quae intelliguntur a Domino per haec apud *Matthaeum*,

> "Videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute et gloria.. ; et mittet angelos suos,....et congregabit electos Ipsius a quatuor ventis, a terminis caelorum usque ad terminos illorum" (xxiv. 30, 31):

agitur etiam in eo capite de ultimo judicio, quod ibi intelligitur per "consummationem saeculi" et "adventum Domini:" congregatio et separatio bonorum a malis tunc describitur per illa verba; similiter ut in hoc capite (vers. 14, 16), ubi dicitur de Filio hominis sedente super nube

[NOTA AUCTORIS:—] * Bona charitatis.

alba, ac per falcem in manu metente terram. Similia quae in hoc capite etiam intelliguntur per haec Domini verba, apud *Matthaeum*,

> "Simile est regnum caelorum homini seminanti bonum semen in agro suo; sed dum dormiverant homines, venit..inimicus et seminavit zizania..., et abivit; cum vero germinavit herba, et fructum fecit, tunc apparuerunt..zizania. Et servi..accesserunt, et dixerunt,.... Vis..abeuntes colligamus ea? Ipse vero dixit, Non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum illis triticum; sinite potius.. crescere utraque usque ad messem; et in tempore messis dicam messoribus, Colligite prius zizania, et colligate ea in fasciculos ad comburendum ea, triticum vero congregate in horreum meum" (xiii. 24-30):

praedicitur etiam ibi a Domino separatio bonorum a malis futura tempore ultimi judicii, quod intelligitur per "Sinite crescere utraque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus, Colligite zizania ad comburendum ea, triticum vero congregate in horreum meum:" per "zizania" intelliguntur mali qui tunc in infernum conjicientur, et per "triticum" intelliguntur boni, qui separati a malis in caelum attollentur: similia sunt cum his in hoc capite (vers. 15 et 16), ubi dicitur, "Venit Tibi hora metendi, quia aruit messis; et misit sedens super nube falcem suam super terram, et demessa est terra" (seq.). Cur non prius separati sunt boni a malis, quam tempore ultimi judicii, ac boni in caelum sublati, et mali in infernum conjecti, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio;* et quoque supra (n. 391[*a*], 392[*a*], 394, 397, 411[*a*], 413[*a*], 418[*a*], 419[*a*], 426, 489½, 493, 497, 668, 669, 670, 674, 675[*a*], 676, 754).

850[*a*]. ***"Et ecce Agnus stans super Monte Sion."***—Quod significet ***praesentiam Domini in caelo et in ecclesia ad separandum bonos a malis, et ad faciendum judicium***, constat ex significatione "Agni," quod sit Dominus quoad Divinum Humanum (de qua supra, n. 297, 314, 343, 460, 482); ex significatione "stare," quod sit praesens esse et conjungi (de qua sequitur); et ex significatione "montis Sionis," quod sit caelum et ecclesia, ubi Dominus per Divinum suum Verum regnat, constare potest ex locis in Verbo ubi mons Sionis nominatur: at primum aliquid dicetur de praesentia Domini in caelo et in ecclesia ad separandum bonos a malis, et ad faciendum judicium. Est praesentia Domini perpetua in universo caelo, ac in universa ecclesia; nam caelum non est caelum ab angelorum proprio ibi, nec ecclesia est

ecclesia ab hominum proprio ibi, sed a Divino Domini apud illos; proprium enim angeli non potest facere caelum, nec proprium hominis ecclesiam, quia proprium tam angelorum quam hominum non est bonum; quare Divinum quod procedit a Domino receptum ab illis facit caelum et ecclesiam in particulari apud unumquemvis, et inde in communi apud omnes in quibus est caelum et ecclesia: inde patet quod praesentia Domini sit perpetua apud omnes qui in caelo et in ecclesia, sed est praesentia pacifica, tranquilla, conservans et sustentans, per quam omnia in caelis et in terris in suo ordine et in connexu constanter tenentur, et in illum rediguntur; similiter in infernis: at praesentia quae hic intelligitur per "stare super Monte Sion," est praesentia Domini activa extraordinaria, propter finem ut Divinum Ipsius per caelos influat in inferiora, ac ibi separet bonos a malis, ac malos dejiciat e locis suis, ubi instar caelorum sibi formaverunt; sed de hac praesentia et conjunctione Domini cum caelis, et inde influxu Ipsius in inferiora ad faciendum judicium, supra (n. 413[a], 418[a], 419[a], 426, 489½, 493, 702, 704) actum est. Haec praesentia est quae significatur per "stare," cum de Domino, etiam alibi (ut *Esai.* iii. 13). Ex his constare potest quod per "ecce Agnus stans super Monte Sion" significetur praesentia Domini in caelo et in ecclesia ad separandum bonos a malis, et ad faciendum judicium. Quod per "montem Sionis" significetur caelum et ecclesia ubi Dominus per Divinum suum Verum regnat, est ex eo, quia Sion fuit urbs quam David aedificavit, et in qua postea habitavit, ac inde dicta est "urbs Davidis;" et quia per Davidem repraesentatus est Dominus quoad regium, quod est Divinum Verum, ideo per "Sionem" in Verbo significatur caelum et ecclesia ubi Dominus per Divinum Verum regnat. Ex ea causa etiam fuit quod arca Jehovae, in qua reposita fuit Lex, in illam urbem a Davide translata sit; per "Legem" enim illam in lato sensu etiam significatur Divinum Verum procedens a Domino. Ex illa causa etiam fuit quod per "Hierosolymam," quae isti monti erat subjecta, significetur ecclesia quoad doctrinam, doctrina enim ecclesiae omnis est ex Divino Vero quod procedit ex Domino, consequenter ex Verbo. Quod urbs illa super monte aedificata fuerit, erat quia montes eo

tempore ex altitudine repraesentabant caelos, et inde quoque in Verbo significant caelos. Causa repraesentationis et inde significationis erat, quia caeli supremi, ubi sunt angeli tertii gradus, apparent in altitudine supra reliquos, ac coram oculis aliorum sicut montes; et quia supremi caeli apparent sicut montes, ac angeli, qui super illis sunt, in amore in Dominum sunt, inde per "montes" in Verbo, et primario per "montem Sionis," significatur amor in Dominum. (Quod "mons" amorem significet, videatur supra, n. 405, 510.) Quod per "Sionem" significetur caelum et ecclesia, in quibus Dominus per Divinum suum Verum regnat, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Davidem*,

"Ego..unxi Regem meum super Sionem, montem sanctitatis meae; annuntiabo de statuto, Jehovah dixit ad me, Filius meus Tu, Ego hodie genui Te;...dabo gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam fines terrae. ....Osculamini Filium, ne irascatur, et pereatis in via, quia exardebit brevi ira Ipsius; beati omnes confidentes in Ipso" (Ps. ii. 6-8, 12):

quod haec non de Davide dicta sint, sed de Domino, patet ex eo, quod dicatur, "Filius meus Tu, hodie genui Te; dabo gentes hereditatem et fines terrae possessionem;" tum "Osculamini Filium, ne irascatur, et pereatis in via; beati omnes confidentes in Ipso;" ex quibus non aliquid de Davide dici potest: quare per "ungere Regem super Sionem montem sanctitatis" significatur regnum Domini in caelo et in ecclesia per Divinum Verum; (quid "ungi" et quid "unctus," cum de Domino, videatur supra, n. 375[*d*,*e*(v.,vi.)];) "Rex" significat Dominum quoad Divinum Verum, "Sion" caelum et ecclesiam; "annuntiare de statuto" significat adventum Ipsius; "Filius meus Tu, hodie genui Te," significat Divinum Humanum, quod etiam est Filius Dei; quod Ipsi omnis potestas in caelis et in terris, intelligitur per "Dabo gentes hereditatem, et fines terrae possessionem;" quod cum Ipso conjunctio erit per amorem, ut sit salvatio, significatur per "Osculamini Filium, ne irascatur, et pereatis in via;" ultimum judicium ab Ipso, significatur per quod "exardebit brevi ira Ipsius;" quod salventur tunc qui fidem in Ipsum habent, significatur per "Beati confidentes in Ipso:" ex his patet quod per "Sionem" intelligatur caelum et ecclesia, ubi Dominus per Divinum suum Verum regnat. Pariter apud *Sachariam*,

"Exulta valde, filia Zionis; clange, filia Hierosolymae; ecce Rex tuus venit tibi, justus et servator.., mansuetus et equitans super asino, et super pullo filio asinae" (ix. 9):

quod haec de Domino dicta sint, deque Ipsius regno in caelis et in terris, quod regnum per "Sionem" et per "Hierosolymam" intelligitur, patet apud *Evangelistas*, ubi haec, dum impleta sunt, memorantur,

Jesus misit duos discipulos, ut adducerent Ipsi asinam et pullum ejus: hoc factum est, "ut impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem, Dicite filiae Zionis, ecce Rex tuus tibi venit, mansuetus, sedens super asino, et super pullo filio subjugalis" (*Matth.* xxi. [1,] 2, 4, 5; *Joh.* xii. 14. 15):

quod "equitare super asino et super pullo asinae" fuerit insigne regis, et quod ideo Dominus ita equitaverit cum intrabat Hierosolymam, et quod ideo a turba acclamante dictus fuerit Rex, ac termites palmarum et vestimenta super viam coram Ipso strata fuerint [vers. 7–9], videatur supra (n. 31[*b*]); et quia Dominus ut Rex intravit Hierosolymam, constat quod per "Sionem" intelligatur caelum et ecclesia, in quibus Dominus per Divinum suum Verum regnat. Quod reges Jehudae et Israelis repraesentaverint Dominum quoad Divinum Verum, et quod inde per "reges" intelligantur qui in veris ex bono a Domino sunt, videatur supra (n. 31, 553, 625); et quod imprimis per Davidem in Verbo representatus sit Dominus quoad regium, quod est Divinum Verum (n. 205).

[**b.**] Apud *Esaiam*,

"Super montem altum ascende tibi, evangelizatrix Sion; extolle cum virtute vocem tuam, evangelizatrix Hierosolyma; extolle, nec time; dic urbibus Jehudae, Ecce Deus vester; ecce Dominus Jehovih in forti venit" (xl. 9, 10):

quoniam haec de Domino, deque Ipsius regno dicta sunt, et per "Zionem" et per "Hierosolymam" illud significatur, ideo dicitur quod Zion et Hierosolyma illud evangelizarent, "Zion" ex bono amoris, et "Hierosolyma" ex veris doctrinae; evangelizatio ex bono amoris significatur per "ascendere montem altum," et ex veris doctrinae per "extollere cum virtute vocem;" per "urbes Jehudae" significatur doctrina amoris in Dominum et amoris erga proximum in toto complexu; Dominus quoad Divinum Verum, et quoad Divinum Bonum, qui venturus et judicium facturus, intelligitur per "Ecce Deus vester, ecce Dominus

Jehovih in forti venit," Dominus enim ex Divino Vero in Verbo vocatur "Deus," et ex Divino Bono vocatur "Jehovah," et quoque "Dominus Jehovih;" "in forti venire" est ad faciendum judicium, ita ad subjugandum inferna. Apud *Micham*,

> "In extremitate dierum erit mons domus Jehovae constitutus in caput montium, et elatus prae collibus, et confluent super illum populi; et ibunt gentes multae et dicent, Ite et ascendamus ad montem Jehovae, ad domum Dei Jacobi, ut doceat nos de viis suis, et eamus in semitis Ipsius; nam e Zione exibit Lex, et sermo Jehovae ex Hierosolyma; tunc judicabit inter gentes multas, et corripiet gentes numerosas usque in longinquum. ....Regnabit Jehovah...in monte Sionis a nunc et in saeculum; tu..turris gregis, clive filiae Zionis, ad te veniet et redibit regnum prius, regnum filiae Hierosolymae" (iv. 1-3, 7, 8):

quod adventus Domini ac regni Ipsius in caelis et in terris hic describatur, quisque videt; quare regnum Ipsius, quod est caelum et ecclesia, intelligitur per "montem domus Jehovae," qui tunc constitutus erit in caput montium; et quia per "Zionem" intelligitur caelum et ecclesia in quibus regnaturus est Dominus per Divinum suum Verum, ac per "Hierosolymam" intelligitur caelum et ecclesia quoad doctrinam ex Divino illo Vero, ideo dicitur, "E Zione exibit Lex, et sermo Jehovae ex Hierosolyma:" instructio omnium ex Domino, describitur in sequentibus ibi. Apud *Esaiam*,

> "Exclama et jubila, habitatrix Zionis, quia magnus in medio tui Sanctus Israelis" (xii. 6);

apud eundem,

> "Redempti Jehovae revertentur...Zionem cum cantu, et gaudium aeternitatis super capite eorum" (xxxv. 10);

apud *Zephaniam*,

> "Jubila, filia Zionis; clange, Israel; laetare et exulta ex omni corde, filia Hierosolymae; removit Jehovah judicia tua, evertit hostem tuum,..Jehovah in medio tui" (iii. 14, 15);

apud *Sachariam*,

> "Jubila et laetare, filia Zionis; ecce..Ego veniens ut habitem in medio tui...., et adhaerebunt gentes multae Jehovae in die illo;...habitabo in te" (ii. 14, 15 [*B. A.* 10, 11]);

apud eundem,

> "Revertar ad Sionem, et habitabo in medio Hierosolymae; unde vocabitur Hierosolyma urbs veritatis, et mons Jehovae [Zebaoth], mons sanctitatis" (viii. 3);

apud *Davidem*,

"Quis dabit in Sione salutem Israelis? Cum reducet Jehovah captivitatem populi sui, exultabit Jacob, et laetabitur Israel" (Ps. xiv. 7; Ps. liii. 7 [*B. A.* 6]);

apud *Esaiam*,

"Fundabit Dominus Jehovih in Sione..lapidem probationis, angulum pretii fundationis fundatae; qui crediderit, non festinabit: tunc ponam judicium in regulam, et justitiam in perpendiculum;.... abolebitur foedus vestrum cum morte, et visio vestra cum inferno non consistet" (xxviii. 16–18);

apud eundem,

"In tempore illo adducetur munus Jehovae Zebaoth, populus distractus et expilatus,..ex populo terribili,....ad locum nominis Jehovae Zebaoth, ad montem Sionis" (xviii. [1]7);

apud eundem,

"Appropinquare feci justitiam meam, non procul est, et salus mea non morabitur; dabo in Zione salutem, Israeli decus meum" (xlvi. 13);

apud eundem,

"Tunc veniet Sioni Redemptor" (lix. 20):

in illis locis agitur de adventu Domini, deque regno Ipsius in caelis et in terris; et quia regnum illud intelligitur per "Sionem" et per "Hierosolymam," ideo dicitur quod illuc venturi sint, et quod Jehovah, Sanctus et Rex Israelis ibi habitaturus sit; per "Jehovam, Sanctum et Regem Israelis" intelligitur Dominus quoad Divinum Verum; inde patet quod per "Sionem" intelligatur caelum et ecclesia, in quibus Dominus per Divinum Verum regnat, et per "Hierosolymam" caelum et ecclesia quoad doctrinam ex Divino illo Vero. Quis non videt quod per reductionem gentium ad Sionem et Hierosolymam, et per habitationem Domini ibi, non intelligatur Sion et Hierosolyma ubi gens Judaica fuit?

[*c*.] Ex sequentibus locis etiam constare potest quod per "Sionem" intelligatur caelum et ecclesia, in quibus Dominus per Divinum Verum regnat:—Apud *Esaiam*,

"Zion in judicio redimetur, et reduces ejus in justitia" (i. 27);

apud eundem,

"Relictus in Sione, et residuus in Hierosolyma, sanctus dicetur Ipsi, omnis scriptus ad vitam in Hierosolyma:....creabit Jehovah super omne habitaculum montis Sionis, et super convocationes ejus, nubem interdiu, ac fumum et splendorem ignis flammae noctu" (iv. 3, 5);

apud eundem,

"Regnabit Jehovah Zebaoth in monte Sionis, et in Hierosolyma, et coram senioribus Ipsius gloria" (xxiv. 23);

apud *Esaiam*,

Jehovah, "cui focus in Sione, et clibanus Ipsi in Hierosolyma" (xxxi. 9);

apud eundem,

"Exaltatus est Jehovah, quia inhabitat altum, implevit Zionem judicio et justitia:....specta Sionem, urbem festi stati nostri; oculi tui videant Hierosolymam, habitaculum tranquillum, tabernaculum quod non dissipabitur" (xxxiii. 5, 20);

apud eundem,

"Contempsit te, subsannavit te, virgo filia Zionis, post te movit caput filia Hierosolymae, quia blasphemasti et calumniatus es....Sanctum Israelis" ([1]xxxvii. 22, 23);

apud *Davidem*,

"Ut [2]enumerem omnes laudes tuas in portis filiae Sionis [(Ps. ix. 15 [*B. A.* 14]).]

[Pulcher tractu, gaudium totius terrae, mons Zionis,] latera septentrionis, urbs regis magni; Deus in plateis ejus notus" (Ps. xlviii. 3, 4 [*B. A.* 2, 3]);

apud eundem,

"Circumdate Sionem, et circumcingite eam, numerate turres ejus, ponite cor vestrum ad antemurale ejus, distinguite palatia ejus, et enarretis generationi insequenti, quod hic Deus Deus noster in saeculum et aeternum, Ille ducet nos" (Ps. xlviii. 12–15 [*B. A.* 11–14]);

apud eundem,

"Est [in] Schalem tabernaculum Dei, et habitaculum Ipsius in Sione" (Ps. lxxvi. 3 [*B. A.* 2]);

apud eundem,

Dominus "elegit tribum Jehudae, montem Sionis, quem amavit" (Ps. lxxviii. 68);

apud eundem,

"Amat Jehovah portas Zionis prae omnibus habitaculis Jacobi, gloriosa praedicanda in te urbs Dei.., Jehovah numerabit in describendo populos, hic natus est ibi;....omnes fontes mei in te" (Ps. lxxxvii. [3]2, 3, 6, 7);

apud eundem,

"Quando reducet Jehovah captivitatem Sionis,...tunc implebitur risu os nostrum, et lingua nostra cantu" (Ps. cxxvi. 1[, 2];

apud eundem,

"Benedicet tibi Jehovah e Zione, ut videas bonum Hierosolymae omnibus diebus vitae [4]tuae; ut videas filios filiorum tuorum, pacem super Israele" (Ps. cxxviii. 5, 6);

apud eundem,

"Elegit Jehovah Zionem, desideravit in sedem Sibi; haec requies mea in aeternum, hic habitabo, quia desideravi eam" (Ps. cxxxii. 13, 14);

apud eundem,

"Benedicet tibi Jehovah e Sione" (Ps. cxxxiv. 3);

apud eundem,

"Benedictus Jehovah e Zione, habitans in Hierosolyma" (Ps. cxxxv. 21);

apud eundem,

"Regnabit Jehovah in aeternum, [1]Deus tuus, Zion, in generationem et generationem" (Ps. cxlvi. 10);

apud eundem,

"Filii Sionis exultent in Rege suo, laudent nomen Ipsius in chorea, cum tympano et cithara psallant" (Ps. cxlix. 2, 3):

haec loca de Sione adducta sunt, ut quisque videre possit quod per "Sionem" in Verbo non intelligatur Sion, sed caelum et ecclesia, ubi Dominus per Divinum suum Verum regnat. Sunt pleraque illa etiam prophetica de Domino, quod "quando veniet amaturus sit Sionem, et commoraturus ibi in aeternum;" cum tamen non illam urbem nec Hierosolymam amavit, ut constat ex Ipsius verbis de illa, sed caelum et ecclesiam ubi Ipse per Divinum suum Verum recipitur. Inde est, quod Sion dicatur "requies Ipsius," "habitaculum Ipsius," "mons Jehovae," "urbs Dei," "urbs Regis magni," "urbs veritatis;" et quod regnum Ipsius ibi futurum sit "in aeternum," "in saeculum," ac "in generationem et generationem;" quae omnia nullatenus dici potuerunt ac intelligi possunt de Sione Davidis.

[d.] Quoniam Dominus in mundum venit ut judicium faceret, ac per id omnia in infernis et quoque in caelis in ordinem redigeret, et quia judicium fit per Divinum Verum, (id enim, secundum receptionem, facit hominem spiritualem, ac secundum ejus leges, quae sunt praecepta Divina in Verbo, in mundo spirituali fiunt omnia judicia,) ideo Dominus assumpsit Humanum, et hoc, quamdiu in mundo fuit, fecit illud Divinum Verum, ob causam ut judicium faceret, ut dictum est. Quod Dominus Humanum suum fecerit Divinum Verum, intelligitur apud *Johannem*, per

Verbum quod fuit apud Deum, et quod fuit Deus, et per quod omnia facta sunt quae facta, et per quod mundus creatus est (*Joh.* i. 1, seq.):

per "Verbum" intelligitur Divinum Verum; quod Dominus hoc factus sit quoad Humanum suum, claris verbis dicitur, nempe,

"Et Verbum Caro factum est, et habitavit inter nos, et vidimus gloriam Ipsius, gloriam sicut Unigeniti a Patre, plenus gratia et veritate" (vers. 14, ibi).

Dominus quoad Divinum Verum etiam intelligitur per "Filium hominis," quem Se Dominus apud *Evangelistas* saepius vocat, de quo etiam dicit quod "facturus judicium." Nunc quia judicium factum est a Domino ex Divino Ipsius Vero, et quia per "Sionem" intelligitur caelum et ecclesia in quibus Dominus per Divinum suum Verum regnat, ideo in *Apocalypsi* in hoc capite, in quo agitur de separatione bonorum a malis ante ultimum judicium, "visus est Agnus stare super monte Sion;" per quod significatur praesentia Domini in caelo et in ecclesia ad separandum bonos a malis, et ad faciendum judicium, ut supra dictum est. Propter eandem significationem "montis Sionis," etiam alibi in Verbo dicitur quod Dominus ex monte Sionis pugnaturus sit pro ecclesia contra malos, et destructurus illos; ut in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Descendet Jehovah Zebaoth ad militandum super monte Sionis, et super colle ejus" (xxxi. 4):

agitur etiam ibi de adventu Domini ac de redemptione seu de liberatione fidelium; quare per "militare super monte Sionis et super colle ejus" significatur judicium facere ex Divino Vero; quod judicium ex illo fiat, est quia judicantur omnes secundum receptionem ejus; Divinum enim Verum seu Verbum, et doctrina inde, docent vitam, et quisque judicatur secundum illam. Apud *Davidem*,

Jehovah "mittet auxilium tuum e Sanctuario, et ex Sione sustentabit te:....cantabimus in salute tua, et in nomine Dei nostri vexilla tollemus. ....Novi quod servet Jehovah Unctum suum, respondeat Ipsi e caelo sanctitatis suae, per virtutes salutis dextrae suae" (Ps. xx. 3, 6, 7 [*B. A.* 2, 5, 6]):

haec quoque de Domino, ac de victoria Ipsius super inferna, et inde salvatione hominum; pugnae et victoriae intelli-

guntur per "respondere Uncto e caelo sanctitatis, per virtutes salutis dextrae Ipsius;" ac salvatio fidelium inde, per "sustentare nos ex Sione," et "cantare in salute Ipsius." Apud eundem,

"Jehovah loquetur, et vocabit terram ab ortu solis usque ad occasum ..; e Sione perfectio pulchritudinis, Deus effulgebit; veniet Deus noster,....clamabit ad caelum sursum, et ad terram, ad judicandum populum suum; colligite Mihi sanctos meos" (Ps. l. 1–5):

hic manifeste agitur de judicio super omnes ex Sione, ita ex Domino per Divinum Verum; separatio bonorum a malis, intelligitur per "Vocabit terram ab ortu solis ad occasum;" judicium super omnes, per "Clamabit ad caelum sursum, et ad terram, ad judicandum populum;" collectio bonorum, et salvatio illorum, intelligitur per "Colligite Mihi sanctos meos;" Divinum Verum, in quo Dominus est in sua gloria, intelligitur per "E Sione perfectio pulchritudinis, Deus effulgebit." Apud eundem,

"Dictum Jehovae ad Dominum meum, Sede ad dextram meam, usque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum; sceptrum roboris tui mittet Tibi Jehovah e Zione, dominare in medio inimicorum tuorum" (Ps. cx. 1, 2):

quod haec de Domino dicta sint, notum est ex Ipsius Domini verbis apud *Matthaeum* (cap. xxii. 44): per "sedere ad dextram" significatur omnipotentia Divina Domini; per "ponere inimicos scabellum pedum," significatur prorsus subjugare et substernere inferna: per "sceptrum roboris e Zione" significatur Divinum Verum cui est omnipotentia; "Zion" est caelum ubi Dominus per Divinum suum Verum regnat; dominium super inferna per illud, significatur per "dominare in medio inimicorum." Quod omnipotentia soli Domino sit, et quod illa sit Ipsi per Divinum suum Verum, videatur supra (n. 726); quod omnis potentia sit veris ex bono, ac bonum et inde verum a Domino, etiam supra (n. 209, 338, 716, 776, 783). Apud *Esaiam*,

"Excitare, excitare, indue robur tuum, Sion; indue vestes decoris tui, Hierosolyma, urbs sanctitatis" (lii. 1):

quoniam per "Sionem" significatur caelum, ubi Dominus per Divinum suum Verum regnat, et quoniam Divino Vero est omnis potentia, ideo dicitur, "Excitare, excitare, indue robur tuum, Sion;" doctrina inde significatur per "vestes

decoris," quas Hierosolyma induet. Apud *Joelem*,

> "Jehovah..e Zione rugiet, et ex Hierosolyma dabit vocem suam, ut contremiscant caeli et terra:....tunc cognoscetis quod Ego Jehovah...habitans in Sione, monte sanctitatis meae, sitque Hierosolyma sanctitas; nec alienigenae transituri per eam amplius" (iv. [*B. A.* iii.] 16, 17, 21);

apud *Amos*,

> "Jehovah e Zione rugiet, et ex Hierosolyma dabit vocem suam" (i. 2):

per "rugire" et per "rugitum leonis," cum de Jehovah, significatur ardens zelus tutandi caelum et ecclesiam, ac salvandi illos qui ibi sunt, quod fit destruendo mala et falsa, [1]quae insurgunt ex inferno, per Divinum Verum et ejus potentiam (videatur supra, n. 601 [*a*]); et quia per "Sionem" significatur caelum ubi Dominus per Divinum Verum regnat, et per "Hierosolymam" doctrina inde, constare potest quid significatur per quod "Jehovah e Sione rugiet, et ex Hierosolyma dabit vocem suam:" quod Dominus ibi sit ubi per Divinum suum Verum regnat, tam apud angelos caeli quam apud homines ecclesiae, significatur per quod "Cognoscetis quod Ego Jehovah habitans in Sione, monte sanctitatis meae:" quod falsa mali nulla ibi, significatur per quod "alienigenae non transituri sint per eam;" "alienigenae" sunt falsa mali. Apud *Esaiam*,

> "Dies vindictae Jehovae, annus retributionum pro lite Zionis" (xxxiv. 8):

per "diem vindictae Jehovae," et per "annum retributionum," significatur ultimum judicium, et damnatio illorum qui per falsa et mala desolarunt omnia vera ecclesiae, quod est "pro lite Zionis." Apud *Davidem*,

> "Jehovah [2]in Zione magnus, et altus Ille super omnes populos;.... robur regis...." (Ps. xcix. 2, 4):

ibi Sion vocatur "robur regis" ex Divino Vero, cui est ipsa potentia. Apud eundem,

> Jehovah, "Tu surges, et misereberis Sionis, quia tempus ad miserandum eam; nam venit tempus statutum: quia desiderant servi tui lapides ejus, et pulverem ejus miserantur, ut timeant gentes nomen Jehovae, et omnes reges terrae gloriam tuam; quod aedificaverit Jehovah Zionem, et apparuerit in gloria sua: annuntiabitur in Sione nomen Jehovae, et laus Ipsius in Hierosolyma, quando congregabuntur populi una, et regna ad serviendum Jehovae" (Ps. cii. 14–17 22, 23 [*B. A.* 13–16, 21, 22]):

haec de adventu Domini, et de redemptione fidelium ab Ipso; adventus Ipsius significatur per "tempus ad miserandum eam," perque "tempus statutum;" vera restauranda ac restaurata significantur per "lapides" quos servi desiderant: instauratio ecclesiae et cultus Domini ex Divinis veris describitur per sequentia ibi. Devastatio ecclesiae a gente Judaica, per quod omne Divinum Verum falsificaverint, passim etiam in Verbo per vastationem Sionis describitur:—Ut apud *Esaiam*,

> "Urbes sanctitatis tuae factae sunt desertum, Sion facta est desertum, et Hierosolyma vastitas" (lxiv. 9 [*B. A.* 10]);

in *Threnis*,

> "Filii Sionis pretiosi, aestimati pares auro puro, quomodo reputati sunt in utres testae, opus manuum figuli" (iv. 2 ad fin.).
> (Tum *Esai.* iii. 16–26; *Jerem.* vi. 2; *Mich.* iii. 10, 12; et alibi.)

Nominatur etiam plurimis in locis "virgo" et "filia Sionis," ut in sequentibus:

> 2 *Reg.* xix. 21: *Esai.* i. 8; cap. iii. 16, 17; cap. iv. 4; cap. x. 32; cap. xvi. 1; cap. xxxvii. 22; cap. lii. 2; cap. lxii. 11: *Jerem.* iv. 31; cap. vi. 2, 23: *Thren.* i. 6; cap. ii. 1, 4, 8, 10, 13, 18; cap. iv. 22: *Mich.* i. 13; cap. iv. 8, 10, 13: *Zeph.* iii. 14: *Sach.* ii. [1]14 [*B. A.* 10]; cap. ix. 9: *Psalm.* ix. 15: *Matth.* xxi. 5: *Joh.* xii. 15: et alibi:

et per "filiam Zionis" significatur affectio spiritualis Divini Veri; affectio spiritualis Divini Veri est amor veri propter verum, ac desiderium ad illud propter usus vitae aeternae. Ex his nunc constare potest quid significatur per quod "Agnus visus sit stare super Monte Sion," quod nempe quia in sequentibus ibi agitur de separatione bonorum a malis, ad faciendum judicium.

851. *"Et cum Ipso centum quadraginta quatuor millia."*—Quod significet *secundum vera in omni complexu*, constat ex significatione "centum quadraginta quatuor millia," quod sint vera in omni complexu (de qua supra, n. 430). Similia per illa significantur, quae per haec Domini verba ad duodecim suos discipulos,

> "Jesus..dixit illis, Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis Me in regeneratione, quando sedebit Filius hominis super throno gloriae suae, sedebitis etiam vos super duodecim thronis, judicantes duodecim tribus Israelis" (*Matth.* xix. 28);

per quae non intelligitur quod duodecim discipuli sessuri

sint super duodecim thronis, et judicaturi duodecim tribus Israelis, sed quod Dominus judicaturus omnes secundum vera ex bono quod ab Ipso; nam per "duodecim discipulos" significantur omnes qui ab ecclesia, et in sensu abstracto omnia ecclesiae, quae sunt vera ex bono. (Sed haec etiam supra, n. 9, 206, 253[*b*], 270, 297, 430[*c*], explicata videantur.) Similia etiam significantur per "seniores" et "principes" apud *Esaiam*,

> "Jehovah stitit Se ad litigandum, et stans ad judicandum populos; Jehovah in judicium veniet cum senioribus populi sui, et principibus ejus" (iii. 13, 14):

per "seniores populi," et per "principes ejus," similia significantur quae per "duodecim discipulos," nempe omnes qui ab ecclesia in veris et bonis ejus sunt, et in sensu abstracto vera et bona ecclesiae in omni complexu. (Quod illa per "seniores" significentur, videatur supra, n. [1]270; et quod etiam per "principes," n. 29, 408.) Quod per "centum quadraginta quatuor millia" intelligantur vera in omni complexu, est quia similia per illum numerum, quae per "duodecim" significantur, et per "duodecim" significantur vera et bona in omni complexu; quod similia per "centum quadraginta quatuor millia," est quia numeri compositi similia significant quae numeri simplices, ex quibus illi per multiplicationem exsurgunt, ac numerus 144 exsurgit per multiplicationem 12 in 12: similis significatio est numeri "centum et quadraginta quatuor millium" quae est numeri "centum et quadraginta quatuor:" sed de hac re videantur plura in explicatione capitis praecedentis, vii., ubi agitur de "duodecim millibus" obsignatis ex unaquavis tribu, et de "centum et quadraginta quatuor millibus" obsignatis simul ex omnibus tribubus.

852[*a*]. ***"Habentes nomen Patris Ipsius scriptum in frontibus suis."***—Quod significet *illa secundum agnitionem Divini Ipsius ex amore*, constat ex significatione "nominis Patris Ipsius," quod sit Divinum Domini (de qua sequitur); et ex significatione "scripti in frontibus," quod sit plenaria agnitio; quod "nomen Patris scriptum in frontibus" sit plenaria agnitio Divini Domini, est quia Dominus omnes qui agnoscunt Divinum Ipsius convertit ad Se, et aspicit illos in fronte, et illi vicissim aspiciunt Dominum oculis; et hoc ex causa, quia "frons" significat amorem, et "oculus"

intellectum veri; inde per quod a Domino spectentur in frontibus, significatur quod a Domino aspiciantur ex bono amoris; et per quod illi vicissim aspiciant Dominum oculis, significatur quod ex veris ex illo bono, proinde ex intellectu veri. (Quod omnes qui in caelis sunt, conversi sint ad Dominum, ac facie spectent ad Ipsum ut Solem, videatur supra, n. [1]646, ac in opere *De Caelo et Inferno*, n. 17, 123, 142, 272: tum quod Dominus videat angelos in fronte, et quod angeli vicissim videant Dominum per oculos, ex causa quia frons correspondet bono amoris, et oculi correspondent intellectui veri, etiam in opere *De Caelo et Inferno*, n. 145, 251; et quod frons correspondeat bono amoris, supra, n. 427.) Qui non scit quale est Verbum in sensu litterae, opinari potest quod ubi "Deus" et "Agnus" dicitur, et hic ubi "Agnus" et "Pater," [2]sint duo qui intelliguntur, cum tamen solus Dominus per utrumque intelligitur; similiter ut in Verbo Veteris Testamenti, ubi dicitur "Jehovah," "Dominus Jehovih," "Jehovah Zebaoth," "Dominus," "Jehovah Deus," "Deus" in plurali et singulari, "Deus Israelis," "Sanctus Israelis," "Rex Israelis," "Creator," "Salvator," "Redemptor," "Schaddai," "Petra," et sic porro; cum tamen per omnia illa nomina non intelliguntur plures, sed intelligitur unus; Dominus enim secundum Divina sua attributa ita varie nominatur. Simile est cum Verbo Novi Testamenti, ubi "Pater," "Filius," "Spiritus Sanctus," ut tres nominantur, cum tamen per tria nomina illa intelligitur unus; per "Patrem" enim intelligitur Dominus quoad Ipsum Divinum, quod Ipsi fuit anima ex Patre; per "Filium" intelligitur Divinum Humanum, et per "Spiritum Sanctum" intelligitur Divinum procedens; ita tres sunt unus; similiter hiç per "Agnum" et "Patrem." Quod Dominus, ubi dixit "Patrem," intellexerit Divinum in Se, ita Se Ipsum, constare potest ex multis locis in Verbo utriusque Testamenti; sed hic solum velim adducere aliqua ex Verbo *Evangelistarum*, ex quibus videri potest quod Dominus per "Patrem" intellexerit Divinum in Se Ipso, quod Divinum fuit Ipsi sicut anima in corpore, et quod dum Patrem et Se Ipsum nominavit sicut duos, Se Ipsum per utrumque intellexerit; nam anima et corpus unum sunt; anima enim est sui corporis, et corpus est suae animae. Quod Divinum, quod "Pater" vocatur, fuerit Ipsum Divinum Domini, ex quo Humanum Ipsius exstitit, et ex quo illud Divinum factum est, constat manifeste a conceptione Ipsius ex ipso Divino, apud *Matthaeum*,

"Angelus Domini in somnio apparuit" Josepho, "dicens,... Ne timeas accipere Mariam sponsam tuam, nam quod in ea natum, ex Spiritu Sancto est;"....et Joseph "non cognovit eam, usque dum peperit Filium suum Primogenitum" (i. 20, 25);

et apud *Lucam*,

Dixit Angelus Mariae, "Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen Ipsius Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. ....Sed Maria dixit ad Angelum, Quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognosco? Respondit..Angelus, et dixit, Spiritus Sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit te; unde quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei" (i. 31, [32,] 34, 35):

ex quo patet quod Dominus ex conceptione sit Jehovah Deus; et ex conceptione esse Jehovah Deus, est quoad ipsam vitam, quae vocatur anima ex Patre, ex qua corpori est vita; ex eo etiam manifeste constat, quod Humanum Domini sit quod vocatur "Filius Dei," nam dicitur quod "Sanctum, quod nascetur ex te, vocabitur Filius Dei."

[*b*.] Quod Humanum Domini sit quod vocatur Filius Dei, ulterius constare potest ex Verbo Veteris Testamenti, et quoque ex Verbo Novi pluribus in locis; sed de hac re, volente Deo, alibi in specie: hic solum adducentur loca, quae testantur quod Dominus per "Patrem" intellexerit Divinum in Se, ita Se Ipsum; quae sunt sequentia:—Apud *Johannem*,

"In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;....omnia per Ipsum facta sunt, et sine Illo factum est nihil quod factum est. ....Et Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam Ipsius sicut gloriam Unigeniti a Patre, plenus gratia et veritate" (i. 1, 2, 14):

quod per "Verbum" intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, patet; nam dicitur quod "Verbum Caro factum sit, et vidimus gloriam Ipsius sicut gloriam Unigeniti a Patre:" quod Dominus sit Deus etiam quoad Humanum, seu quod Humanum Domini etiam sit Divinum, etiam patet; nam dicitur, "Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum," et hoc Verbum Caro factum est: per "Verbum" intelligitur Dominus quoad Divinum Verum. Apud eundem,

"Pater meus usque nunc operatur, ideo etiam Ego operor: sed...Judaei quaerebant Ipsum interficere,...quod Patrem proprium dixisset Deum, parem Se Ipsum faciens Deo: sed respondit Jesus, et dixit.., Non potest Filius facere a Se Ipso quicquam, nisi quod vi-

derit Patrem facientem; quae namque Ille facit, haec etiam Filius similiter facit:....quemadmodum Pater suscitat mortuos, et vivificat, ita etiam Filius quos vult vivificat:....qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui misit Ipsum: amen..dico vobis, quod veniet hora..., quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audient, vivent: quemamodum..Pater habet vitam in Se Ipso, ita etiam dedit Filio vitam habere in Se Ipso" (v. 17–[1]27):

quod per "Patrem" hic intelligatur Divinum in Domino, quod fuit Ipsius vita, sicut est anima patris in omni homine, et quod per "Filium" intelligatur Humanum, quod ex ipso Divino in Ipso vixit, et inde quoque Divinum factum est, consequenter quod Pater et Filius unum sint, constat ex Domini verbis ibi, quod nempe "Filius similia faciat quae Pater;" quod "Filius suscitet mortuos et vivificet sicut Pater;" quod "Filius habeat vitam in Se Ipso sicut Pater;" et quod "victuri sint qui audient vocem Filii;" ex his manifeste patet quod Pater et Filius unum sint sicut anima et corpus: et quod quia Patrem proprium dixit Deum, et parem Se Deo fecit, Judaei Ipsum interficere quaererent. Apud eundem,

"Omne quod dat Mihi Pater, ad Me veniet;....omnis..qui audivit a Patre, et didicit, venit ad Me; non quod Patrem viderit quis, nisi qui est apud Patrem, Hic videt Patrem. ....Ego sum panis vivus, qui e caelo descendit:....quemadmodum misit Me vivens Pater, Ego etiam vivo per Patrem" (vi. 37, seq.):

loquitur ibi Dominus de Humano suo, quod descenderit e caelo, et quod cuivis vita sit per Ipsum, ex causa quia Pater et Ipse unum sunt, et quod vita Patris sit in Ipso sicut Anima ex Patre in Filio. Apud eundem,

"Ego vitam aeternam do" ovibus meis, "et non peribunt in saeculum, nec rapiet quis eas....e manu Patris mei; Ego et Pater unum sumus." Judaei indignati, quod Se Ipsum faceret Deum. Dixit, "Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vosne dicitis, Blasphemas? quia dixi, Filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, ne credite Mihi; si vero facio,....operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quod Pater in Me et Ego in Patre" (x. 28–38):

hic loquitur Dominus de Patre sicut de alio, dicendo, "Nemo rapiet oves e manu Patris mei;" tum "Si non facio opera Patris mei, ne credite Mihi; si vero facio, operibus credite;" et tamen, ne crederent quod Pater et Ipse duo essent, dicit, "Pater et Ego unum sumus;" ac ne crederent quod unum essent solum per amorem, addit, "Ut cognoscatis et credatis quod Pater in Me, et Ego in Patre:" inde constare potest quod Dominus per "Patrem"

intellexerit Se Ipsum, seu Divinum in Se ex conceptione; et quod per "Filium, quem Pater misit," intellexerit Humanum suum, nam hoc missum est in mundum, per quod conceptus a Deo Patre, et natus a virgine. Apud eundem,

> **"Jesus clamavit et dixit, Qui credit in Me non credit in Me, sed in Ipsum qui misit Me; et qui videt Me videt Ipsum qui misit Me. Ego Lux in mundum veni, ut omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat" (xii. 44–46):**

quod Dominus Semet intellexerit per "Patrem," ac Divinum Humanum suum per "Filium, quem misit Pater," etiam ex his patet; nam dicit, "Qui videt Me videt Ipsum qui misit Me," tum quod "qui credit in Me, non credat in Me sed in Ipsum qui misit Me," et usque dicit quod "credituri sint in Ipsum" (ut vers. 36, et alibi). Apud eundem,

> **"Sciens Jesus quod omnia dedisset Ipsi Pater in manus, et quod a Deo exiret, et ad Deum rediret. ....Qui..Me suscipit, suscipit Ipsum qui misit Me" (xiii. 3, 20):**

quia Pater et Ipse unum erant, ac Humanum Domini Divinum fuit ex Divino in Ipso, ideo omnia Patris fuerunt Ipsius, quod intelligitur per quod "dederit Pater omnia in manus Ipsius:" et quia unum erant, dicit, "Qui Me suscipit, suscipit Ipsum qui misit Me:" per "exire a Patre," et "redire ad Patrem," intelligitur concipi et sic existere ab Ipso, ac uniri Ipsi, sicut anima corpori. Apud eundem;

> **"Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per Me; si cognovistis Me, etiam Patrem meum cognovistis, et abhinc cognovistis Ipsum et vidistis Ipsum. Dicit Ipsi Philippus, Domine, monstra nobis Patrem;....dicit illi Jesus, Tantum tempus vobiscum sum, et non nosti Me, Philippe: qui vidit Me vidit Patrem; quomodo ergo tu dicis, Monstra nobis Patrem? Nonne credis quod Ego in Patre, et Pater in Me?....Pater qui in Me manet, Ille facit opera: credite Mihi, quod Ego in Patre, et Pater in Me" (xiv. 6–11):**

hic manifeste dicitur quod Pater et Ipse unum sint, et quod unio sit sicut est unio animae et corporis: ita quod talis unio, ut qui videt Ipsum videat Patrem. Illa unio confirmatur amplius in illo capite: et quia talis unio fuit, et nemo potest adire animam hominis, sed ipsum hominem, ideo dicit,

> **Quod adirent Ipsum, ac peterent Patrem in nomine Ipsius, et quod Ipse daret illis (*Joh.* xvi. 23, 24).**

Unio etiam illa intelligitur per quod

Exiverit a Patre, et venerit in mundum, et quod iterum relinquat mundum, et vadat ad Patrem (*Joh.* xvi. 5, 10, 16, 17, 28).

Quoniam Pater et Ipse unum erant, ideo etiam dicit,

"Omnia quaecunque Pater habet, mea sunt;" et quod ideo Paracletus, qui est Spiritus Sanctus, a Domino accepturus sit quae loqueretur (*Joh.* xvi. 13-15);

tum alibi,

Pater, dedisti Mihi potestatem omnis carnis, ut omni, quem [1]dedisti Mihi, dem vitam aeternam. "Haec est vita aeterna, ut [2]cognoscant Te solum..Deum, et quem misisti Jesum Christum:....omnia mea tua sunt, et tua mea" (*Joh.* xvii. 2, 3, 10):

hic quoque aperte dicitur quod omnia Patris Ipsius sint, sicut omnia animae sunt hominis; homo enim et anima unum sunt, sicut vita ac vitae subjectum. Quod etiam Dominus quoad Humanum Deus sit, constat ex illis Domini verbis, "ut cognoscant Te solum Deum, et quem misisti Jesum Christum." Quoniam Pater et Filius Dei unum sunt, ideo dicit Dominus,

Quod venturus sit "in gloria Patris sui" cum ad judicium (*Marc.* viii. 38; *Luc.* ix. 26), et "in gloria sua" (*Matth.* xxv. 31); et quod Ipsi sit "Omnis potestas in caelis et in terris" (*Matth.* xxviii. 18).

Quod per "Filium Dei" intelligatur Divinum Humanum Domini, etiam in aliis locis in Verbo manifestatum est; et quoque in locis in Veteri Testamento:—Ut apud *Esaiam*,

"Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cujus humero principatus, et vocabitur nomen Ipsius Mirabilis, Consiliarius, Deus, Heros, Pater aeternitatis, Princeps pacis" (ix. 5 [*B. A.* 6]):

et apud eundem,

"Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen Ipsius Deus nobiscum" (vii. 14):

quod hic per "Puerum natum," et per "Filium datum" intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, patet; et quod Dominus quoad illud etiam sit Deus, ita quod Humanum Ipsius sit Divinum, manifeste dicitur; dicitur enim quod "vocabitur nomen Ipsius Deus," "Deus nobiscum," "Pater aeternitatis." Praeter haec loca, etiam plura alia adduci possent, ad confirmandum quod Dominus per "Patrem" in Verbo intellexerit Divinum suum, quod fuit vita seu anima Humani Ipsius, et non alium a Se separatum; immo nec potuit alium intelligere: inde Divinum et Humanum in Domino, secundum doctrinam Christiani orbis,

non sunt duo, sed una persona, prorsus sicut anima et corpus, ut claris verbis dicitur in Fide Athanasiana; et quia Deus et Homo in Domino non sunt duo sed una Persona, et sic unita sicut anima et corpus, sequitur quod Divinum quod Domino fuit ex conceptione fuerit quod vocavit "Patrem," ac Divinum Humanum quod vocavit "Filium," consequenter quod utrumque fuerit Ipse. Ex his nunc constare potest quod per "nomen Patris scriptum in frontibus illorum," intelligatur Dominus quoad Divinum Ipsius.

VERSUS 2, 3.

853. ***"Et audivi vocem e caelo, tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni; et vocem audivi citharaedorum pulsantium in citharis suis. Et canebant tanquam canticum novum coram throno, et coram quatuor animalibus, et senioribus; et nemo poterat discere canticum, nisi quam illi centum quadraginta quatuor millia, empti de terra."***

2. ***"Et audivi vocem e caelo, tanquam vocem aquarum multarum,"*** significat *glorificationem Domini ex Divinis veris quae ab Ipso* [n. 854]; ***"et tanquam vocem tonitrui magni,"*** significat *glorificationem Domini e regno caelesti Ipsius* [n. 855]; ***"et vocem audivi citharaedorum pulsantium in citharis suis,"*** significat *glorificationem Domini e regno spirituali Ipsius* [n. 856].

3. ***"Et canebant tanquam canticum novum,"*** significat *de agnitione et confessione Domini* [n. 857]; ***"coram throno, et coram quatuor animalibus et senioribus,"*** significat *apud omnes in universo caelo* [n. 858]; ***"et nemo poterat discere canticum nisi quam illi centum quadraginta quatuor millia,"*** significat *quod agnitio et confessio Domini solum dari potuerit apud illos qui in fide ex charitate, seu in veris ex bono sunt* [n. 859]; ***"empti e terra,"*** significat *qui instructi receperunt in mundo* [n. 860].

854. [*Vers.* 2.] ***"Et audivi vocem e caelo, tanquam vocem aquarum multarum."***—Quod significet *glorificationem Domini ex Divinis veris quae ab Ipso*, constat ex significatione "vocis e caelo," quod sit glorificatio Domini; nam "vox e caelo" involvit illa quae inde dicta sunt, et nunc sequuntur, et quae imprimis continentur in "cantico novo," per quod significatur agnitio et confessio Domini: et ex significatione "aquarum multarum," quod sint Divina vera quae a Domino. Quod per "aquas" in Verbo significentur Divina vera, videatur supra (n. 71, 483, 518); et quia illa per "aquas" significantur, ideo loquelae e caelo audiuntur quandoque sicut sonus aquarum fluentium, similiter ut audita est vox Filii hominis in medio candelabrorum ambulantis,

Cujus "vox erat sicut sonitus aquarum multarum" (*Apoc.* i. 15);

et in sequentibus,

"Audivi vocem turbae multae, et quasi vocem aquarum multarum, et quasi vocem tonitruorum validorum" (*Apoc.* xix. 6):

similiter

Sonus alarum cheruborum auditus est quasi sonus aquarum magnarum (*Ezech.* i. 24).

855. ***"Et tanquam vocem tonitrui magni."***—Quod significet *glorificationem Domini e regno caelesti Ipsius*, constat ex significatione "vocis," quod sit glorificatio Domini (ut mox supra); et ex significatione "tonitrui magni," quod sit glorificatio Domini e regno caelesti Ipsius: quod "tonitru" illam e regno caelesti significet, est quia ex eo non audiuntur voces loquelae, sed soni; causa est, quia omnes qui in illo regno sunt loquuntur ex amore, seu ex affectione quae cordis, et talis loquela, cum ex illo caelo versus inferiora delabitur, auditur sicut tonitru; omnes enim affectiones in mundo spirituali audiuntur sicut soni cum suis variationibus, at vero cogitationes inde sistuntur per articulationes soni, quae vocantur voces (de qua re videatur supra, n. 323[a], 393; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 234–245): at vero omnes qui in regno spirituali sunt, loquuntur ex cogitatione quae intellectus seu animae; et talis loquela, cum e caelo versus inferiora delabitur, vel auditur sicut vox, vel sicut harmonicum musicum, vel coram oculis apparet sicut candidum nubis, aut sicut flammeum, quale est fulguris ante tonitrua: inde est quod per "fulgura," "tonitrua," et "voces" in Verbo significentur illustratio, intellectus et perceptio (videatur supra, n. 273, 702, 704); et quod voces e regno caelesti demissae audiantur sicut tonitrua (n. 353, 393, 821[b]).

856. ***"Et audivi vocem citharaedorum pulsantium in citharis suis."***—Quod significet *glorificationem Domini e regno spirituali Ipsius*, constat ex significatione "vocis," quod sit glorificatio Domini (ut supra); et ex significatione "citharaedorum pulsantium citharis," quod sint affectiones illorum qui in regno spirituali Domini sunt; horum enim affectiones audiuntur etiam ut soni, sed ut soni instrumentorum chordaceorum; nam soni ex instrumentis chordaceis correspondent veris ex bono, seu intellectualibus, in quibus sunt angeli in spirituali regno Domini; at soni ex

instrumentis inflatoriis correspondent bonis, in quibus sunt angeli in regno caelesti Domini: (quod hae correspondentiae sint, videatur supra, n. 323[a], 326; et quod "citharae" significent confessiones ex veris spiritualibus, et quod "nablia" ex bonis, supra, n. 323:) nunc quia caeli in duo regna distincti sunt, nempe in regnum caeleste, in quo sunt angeli qui in bono amoris sunt, et in regnum spirituale, in quo sunt angeli qui in veris ex illo bono, ideo dicitur quod "vox e caelo audita sit sicut vox tonitrui magni, et sicut vox citharaedorum pulsantium citharis;" per quae itaque significatur glorificatio Domini ex regno caelesti, ita ex bono amoris, et glorificatio Ipsius ex regno spirituali, ita a veris ex illo bono.

857. [*Vers.* 3.] ***"Et canebant tanquam canticum novum."***—Quod significet *de agnitione et confessione Domini*, constat ex significatione "cantici," quod sit confessio ex gaudio cordis, et "cantici novi," quod sit agnitio et confessio Domini, ita glorificatio Ipsius (de qua supra, n. 326[a]). In Verbo multis in locis, et praecipue apud *Davidem*, dicitur "canticum," et per id significatur confessio et glorificatio Dei per cantum; et ubi dicitur "canticum novum," significatur confessio et glorificatio Domini, nam hoc canticum vocatur "novum," ex causa quia in ecclesiis ante adventum Domini per cantica celebrabatur Jehovah; at postquam Dominus in mundum venit, et Se manifestavit, per cantica etiam celebrabatur Dominus; at nunc in ecclesia quae posthac instauranda est, quae intelligitur per "Novam Hierosolymam," celebrabitur Dominus solus; et quia idem Dominus fuit in ecclesiis antiquis, sed celebratus sub nomine Jehovae, qui nunc Dominus vocatur, et quia sic canticum de Ipso in se spectatum non est novum, ideo dicitur "tanquam canticum novum;" hic itaque "novum" vocatur, quia pro nova ecclesia, quae posthac a Domino instauranda est.

858. ***"Coram throno, et coram quatuor animalibus et senioribus."***—Quod significet *apud omnes in universo caelo*, constat ex significatione "throni," quod in genere sit caelum, in specie caelum spirituale, et abstracte Divinum Verum procedens a Domino; inde "thronus" dicitur de judicio (de qua supra, n. 253, 267, 297, 343, 460, 462, 477, 482); et ex significatione "quatuor animalium et viginti quatuor seniorum" quod sint caeli superiores (de qua etiam supra, n. 313[a],

322. 362); inde per "coram throno, et coram quatuor animalibus et senioribus," significatur apud omnes in universo caelo.

859. ***"Et nemo poterat discere canticum nisi quam illi centum quadraginta quatuor millia."***—Quod significet *quod agnito et confessio Domini solum dari potuerit apud illos qui in fide ex charitate, seu qui in veris ex bono sunt*, constat ex significatione "cantici novi," quod sit agnitio et confessio Domini (de qua mox supra, n. 857); et ex significatione "centum quadraginta quatuor millium," quod sint omnes qui in veris ex bono sunt, ita qui in fide ex charitate, et abstracte a personis vera ex bono (de qua supra, n. 430); quod illi per "centum quadraginta quatuor millia obsignatos ex omnibus tribubus" intelligantur, constare potest ab explicatione capitis vii. praecedentis, ubi de "duodecim millibus" obsignatis ex unaquavis tribu, et de "centum quadraginta quatuor millibus" ex omnibus tribubus, agitur; tum quod etiam illi sint qui Dominum et Divinum Humanum Ipsius agnoscunt, ac ideo inter illos sunt qui tempore ultimi judicii separantur a malis, ac elevantur in caelum a Domino, et salvantur: nam, ut supra dictum est, agitur in hoc capite de separatione bonorum a malis ante ultimum judicium; quare boni, qui a malis separati sunt, intelliguntur per "centum quadraginta quatuor millia" signatos ex omnibus tribubus. Ex his nunc patet quod per "nemo poterat discere canticum nisi quam illi centum quadraginta quatuor millia," significetur quod agnitio et confessio Domini apud alios non dari possit quam apud illos qui in fide ex charitate, seu qui in veris ex bono sunt: causa quod agnitio et confessio Domini apud alios non dari possit, est quia non alii possunt recipere influxum e caelo, hoc est, per caelum a Domino; Dominus enim apud unumquemvis influit in vitam ejus, et vita caeli est ex amore seu ex charitate, ita ex bono, et amor seu charitas talis est qualis per vera formatur; inde nunc vita hominis; quare non alia vita recipit influxum e caelo a Domino, et inde corde agnoscit et confitetur Ipsum, quam vita fidei ex charitate, seu vita veri ex bono: vita fidei separatae a charitate, seu vita veri separati a bono, est vita mere naturalis, quae non aliquid recipit e caelo, nec recipere potest, quia ex illa vita non aliqua communicatio datur cum caelo; nam communicatio solum datur

per amorem spiritualem, qui etiam vocatur charitas, ita per vitam secundum vera ex Verbo, quae vita non datur apud illos qui fidem separant a charitate, et credunt quod per solam fidem, hoc est, per fidem separatam a bonis operibus, salventur. Nunc quia per "centum quadraginta quatuor millia" intelliguntur qui in veris ex bono sunt, seu qui in fide ex charitate, patet cur illi soli potuerunt discere canticum, hoc est, corde agnoscere et confiteri Dominum, nempe Ipsum solum Deum, ac Trinitatem in Ipso.

860. *"Empti e terra."*—Quod significet *qui instructi receperunt in mundo*, constat ex significatione "emptorum" seu redemptorum a Domino, quod sint qui instructionem ex Verbo recipiunt, imprimis de Domino (de qua sequitur); et ex significatione "terrae," quod sit ecclesia (de qua supra, n. 29, 304, 697, 741[b-d], 742, 752); inde per "emptos e terra" significantur qui instructi receperunt in ecclesia, proinde in mundo, illa quae Dominus in Verbo docuit. Sciendum est quod non alii possint agnoscere et confiteri Dominum in altera vita, quam qui agnoverunt et confessi sunt Ipsum in mundo; nam qualis homo quoad agnitionem et inde confessionem est in mundo, talis manet post mortem. Credunt quidam quod qui fidem non habuerunt in mundo, usque fidem recepturi sint in altera vita, quando ab aliis audiunt, ac ipsi vident quod ita sit; ut quod Deus sit, quod Dominus sit Salvator mundi, quod Verbum sanctum sit, et similia; sed testari possum quod qui fidem non habuerunt in mundo, non fidem habere possint post mortem, tametsi et audiunt ab angelis, ac vident suis oculis, quod ita sit; tentatum est cum multis qui non crediderunt, ut adducerentur ad fidem, sed incassum: inde patuit, quod qualis homo est cum moritur, talis maneat in aeternum. Hoc etiam intelligitur per "quinque virgines stultas," quae non habuerunt oleum in lampadibus, sed sibi illud comparare voluerunt; et postquam illud emerunt, et venerunt ad domum nuptiarum, usque non admissae sunt: per "emere oleum" significatur comparare sibi bonum amoris post mortem. Sunt illis similes plures qui sibi comparant aliquid post mortem, cum facti sunt spiritus; sed non manet, quia non irradicatum est intus, sicut fit apud illos qui comparant sibi illa in mundo. Quod per "emptos e terra" significentur qui instructi receperunt agnitionem

Domini in mundo, est quia per "emere" significatur comparare sibi cognitiones veri et boni, quod fit per instructionem; ita per "emptos" hic significantur qui instructi recipiunt. Quod per "emere" et "vendere" significetur comparare sibi cognitiones veri et boni, et communicare illas aliis, videatur supra (n. 840). Quod dicantur a Domino "empti," qui instructi receperunt fidem Dei, est quia illi qui abalienati sunt per falsa, dicuntur "venditi;" inde est quod illi qui a falsis reducti sunt ad vera, ita qui ab inferno exempti a Domino sunt, et perducti ad caelum, dicantur "redempti," ac Dominus dicatur "Redemptor." Quod "redimere," ubi de Domino, significet vindicare a malis, et liberare a falsis, ita ab inferno, et sic quod significet reformare et regenerare, videatur supra (n. 328): quod "redimere sanguine suo" significet conjunctionem cum Divino per agnitionem Domini, ac per receptionem Divini Veri ab Ipso (n. 328, 329): quod Dominus quoad Divinum Humanum dicatur "Redemptor" (n. 328[*f*]).

VERSUS 4, 5.

861. *"Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati, virgines enim sunt; hi sunt qui sequentes Agnum, quocunque vadit; hi empti sunt de hominibus, primitiae Deo et Agno. Et in ore illorum non est inventus dolus, immaculati enim sunt coram throno Dei."*

4. *"Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati,"* significat *qui non falsificaverunt vera Verbi* [n. 862]; *"virgines enim sunt,"* significat *ex eo quod in affectione veri propter verum sint* [n. 863]: *"hi sunt qui sequentes Agnum quocunque vadit,"* significat *qui conjuncti Domino per agnitionem Divini Humani Ipsius, et per vitam secundum praecepta Ipsius* [n. 864]; *"hi empti sunt de hominibus, primitiae Deo et Agno,"* significat *illos in Nova Ecclesia receptos a Domino* [n. 865].

5. *"Et in ore illorum non inventus est dolus,"* significat *quod aversentur cogitare et persuadere falsa* [n. 866]; *"immaculati enim sunt coram throno Dei,"* significat *quod absque falsis ex malo sint in conspectu angelorum* [n. 867].

862. [*Vers.* 4.] *"Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati."*—Quod significet *qui non falsificaverunt vera Verbi*, constat ex significatione "inquinari" et "contaminari cum mulieribus," quod sit falsificare vera Verbi; simile enim per illud significatur, quod per "scortari" et "meretricari." Quod per "scortationes," "meretricatus" et "adulteria," quae toties in propheticis Verbi nominantur, significentur falsificationes et adulterationes veri ac boni doctrinae ecclesiae, ita Verbi, videatur supra (n. 141, 161, 511, 695[*d*], 803[*a*]):

inde est quod sequatur, "virgines enim sunt," per quod significatur quod in affectione seu amore veri propter verum sint. Causa quod de illis centum quadraginta quatuor millibus dicatur quod "cum mulieribus non inquinati essent, quia virgines sunt," est quia per illos "centum quadraginta quatuor millia" intelliguntur omnes qui in veris ex bono sunt; et illi qui in veris ex bono sunt, non possunt falsificare vera; bonum enim aperit spiritualem mentem, quae recipit lucem e caelo, ac illustrat mentem naturalem; inde vera, quando apparent, agnoscuntur et recipiuntur, ac falsa rejiciuntur: aliter prorsus apud illos qui in veris absque bono sunt; hi tametsi credunt se in veris esse, usque sunt in falsis: vera enim absque bono non aliquam lucem nec vitam habent; quare sunt intus sicut nigra et sunt mortua; ideo cum interius ab illis spectantur, tunc vel falsificantur vel sicut nulla forent disparantur. Talia sunt vera Verbi apud illos qui in fide separata a charitate sunt; hi dum ex Verbi sensu litterae loquuntur, non possunt aliter quam vera loqui, quia omnia Verbi vera sunt; sed quae in sensu litterae exstant sunt apparentiae veri, quia pro simplicibus et infantibus, et inde ad illorum captum; at dum aliquis ex illis qui in fide separata a charitate sunt, interius lustrat illa, ac satagit illorum genuinum sensum seu genuinum verum educere, labitur in falsa, per quae ipsa vera caeli destruit, et inde sibi caelum claudit: aliter illi qui in veris ex bono sunt, hi enim a Domino continue illustrantur; nam Dominus influit in bonum, et per bonum in vera apud hominem, non autem in vera absque bono, ita nec in fidem absque charitate.

863[*a*]. *"Virgines enim sunt."*—Quod significet *ex eo quod in affectione veri propter verum sint*, constat ex significatione "virginum," quod sint affectiones veri, quae affectiones veri spirituales vocantur: dantur enim affectiones veri naturales, et paene apud omnes, imprimis dum pueri et adolescentes sunt; sed affectiones veri naturales pro fine habent remunerationem, primum famam, postea honores et lucra: at hae affectiones hic non intelliguntur per "virgines," sed affectiones veri spirituales, quae sunt quae pro fine habent vitam aeternam, ac usus illius vitae. Illi qui in iis affectionibus sunt, amant vera quia vera sunt, ita abstracte a gloria mundi, honoribus et lucris; et qui vera

abstracte a talibus amant, illi amant Dominum; nam Dominus apud hominem est in veris quae ex bono sunt; id enim quod procedit a Domino ut Sole, est Divinum Verum, ac Dominus est id quod procedit ab Ipso; quare qui recipit verum quia est verum ex amore spirituali, is recipit Dominum: inde est quod de illis dicatur, "Hi sunt qui sequuntur Agnum quocunque vadit." Illi etiam intelliguntur a Domino per haec apud *Matthaeum*,

"Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem repertum homo abscondit, et prae gaudio suo abit, et omnia quaecunque habet, vendit, et emit agrum. Rursus simile est regnum caelorum homini negotiatori quaerenti pulchras margaritas, qui cum invenisset unam pretiosam margaritam, abiit, vendidit omnia quae habuit, et emit eam" (xiii. 44–46):

per "thesaurum absconditum in agro," et per "margaritas," significantur vera caeli et ecclesiae; et per "unam margaritam pretiosam" significatur agnitio Domini: affectio veritatum propterea quod veritates sint, intelligitur per quod "homo prae gaudio abiverit, ac omnia quae habuit vendiderit, et emerit agrum" in quo reconditus fuit thesaurus, et per quod "negotiator similiter abiens vendiderit omnia, et pretiosam margaritam emerit." Quod illi qui in affectione veri spirituali sunt dicantur "virgines," est ex conjugio boni et veri, ex quo est amor conjugialis; "uxor" enim est affectio boni, ac "maritus" est intellectus veri; femellae et mares etiam nascuntur tales: nunc quia virgines amant conjungi viris, apud quos est intellectus veri, ideo significant affectiones veri. (Sed de hac re videantur plura in opere *De Caelo et Inferno*, n. 366–386, ubi De Conjugiis in Mundo Spirituali agitur.) Ex his nunc constare potest quid per "virgines" in Verbo in sequentibus locis significatur:—In *Threnis*,

"Viae Zionis lugentes, propterea quod non veniant ad festum, omnes portae ejus devastatae, sacerdotes ejus gemunt, virgines ejus tristes, et illi amaritudo est:....prostravit omnes robustos..Dominus in medio mei: proclamavit contra me constitutum tempus, ad frangendum juvenes meos: torcular calcavit Dominus virgini filiae [1]Zionis. ....Audite, quaeso, omnes populi, et videte dolorem meum: virgines meae et juvenes mei iverunt in captivitatem" (i. 4, 15, 18):

devastatio Divini Veri in ecclesia per haec describitur; "Zion," de qua haec dicuntur, significat ecclesiam ubi Dominus per Divinum Verum regnat; "viae Zionis lugentes,"

significant quod Divina vera non amplius quaerantur; quod "nemo veniat ad festum" significat non cultum tunc; "omnes portae ejus devastatae," significat quod non aditus ad vera; "sacerdotes ejus gemunt, virgines ejus tristes," significat quod affectiones boni et affectiones veri deperditae sint; "prostravit omnes robustos meos in medio mei," significat quod omnis potentia veri contra falsa perierit; "proclamavit contra me constitutum tempus," significat statum ultimum ejus, dum venturus Dominus; "ad frangendum juvenes," significat quando non amplius aliquis intellectus veri; "torcular calcavit Dominus virgini filiae [1]Zionis," significat cum omnia vera Verbi falsificata sunt; "virgines meae et juvenes mei iverunt in captivitatem," significat cum omnis affectio veri ac intellectus veri per falsa perierit. Apud eundem,

> "Sedent in terra, conticescunt seniores filiae Zionis, ascendere fecerunt pulverem super caput suum, cinxerunt se saccis, descendere fecerunt in terram caput suum virgines Hierosolymae. ....Quid testificabor tibi? cui assimilabo te,....virgo filia Zionis? Jacuerunt...in plateis puer et senex, virgines meae et juvenes mei ceciderunt gladio" (*Thren.* ii. 10, 13, 21):

similiter per haec describitur devastatio Divini Veri in ecclesia; "filia Zionis" est ecclesia, in qua Dominus per Divinum Verum regnat; dolor propter devastationem ejus describitur per "sedere in terra," "conticescere seniores," "ascendere facere pulverem super caput," "cingere se saccis," "descendere facere in terram caput;" per "seniores filiae Zionis" significantur illi qui in Divinis veris fuerunt; per "virgines Hierosolymae" significantur illi qui ex affectione veri docuerunt vera; "jacuerunt in plateis puer et senex," significat quod cum Divinis veris deperdita sit innocentia et sapientia; "virgines meae et juvenes mei ceciderunt gladio," significat quod omnis affectio veri et intellectus veri per falsa perierit; "virgo" est affectio veri, "juvenis" est intellectus veri, "cadere gladio" est perire per falsa. Apud eundem,

> "Cutes nostrae sicut clibanus denigratae sunt, propter procellas famis; mulieres in Zione compressae sunt, virgines in urbibus Jehudae; principes manu eorum suspensi sunt, facies senum non honoratae sunt" (*Thren.* v. 10–12):

haec similia involvunt; quid per "mulieres in Zione," "virgines in urbibus Jehudae," et per "principes" et "senes"

significatur, supra (n. 540, 555, 655) explicatum est. Apud *Amos*,

"Ecce dies venturi,....quibus immittam famem in terra; non famem ad panem, neque sitim ad aquas, sed ad audiendum verba Jehovae: ....in die illo deficient virgines pulchrae et juvenes siti" (viii. 11, 13):

haec de defectu Divini Veri; defectus ille intelligitur per "famem" et per "sitim;" quare dicitur, "non fames ad panem, neque sitis ad aquas, sed ad audiendum verba Jehovae:" quod affectio veri ac intellectus veri ex defectu cessaturi sint, significatur per "In die illo deficient virgines pulchrae et juvenes siti." Apud *Esaiam*,

"Erubesce Zidon; dixit..mare, munimentum maris, dicendo, Non parturivi, nec peperi, et non educavi juvenes, adolescere feci virgines" (xxiii. 4):

per "Zidonem" et "Tyrum" intelligitur ecclesia quoad cognitiones boni et veri; et per "mare" et per "munimentum maris" intelligitur naturale, ubi illae cognitiones; quod non aliqui per cognitiones illas reformati sint, significatur per "Non parturivi, et non peperi;" et quod inde non intellectus veri, nec affectio veri, significatur per "Non educavi juvenes, adolescere feci virgines." Apud *Davidem*,

Deus "conclusit gladio populum suum, et in hereditatem suam exarsit; juvenes ejus comedit ignis, et virgines ejus non nuptae sunt; sacerdotes ejus gladio ceciderunt" (Ps. lxxviii. 62–64):

haec quoque de ecclesiae devastatione per falsa et mala; "Deus conclusit gladio populum suum, et in hereditatem suam exarsit," significat quod ecclesia perierit per falsa et mala; "gladius" significat destructionem veri per falsa, "exardere" destructionem per mala, "populus" sunt qui ab ecclesia in veris sunt, et "hereditas" qui in bonis, nunc in falsis et malis; "juvenes ejus comedit ignis," significat quod amor sui et inde fastus propriae intelligentiae perdiderit intellectum veri; "virgines ejus non nuptae sunt," significat quod affectiones veri perierint per non intellectum veri; "sacerdotes ejus gladio ceciderunt," significat quod bona ecclesiae, quae sunt bona operum, charitatis et vitae, per falsa destructa sint. Apud *Mosen*,

"Foris orbabit gladius, et ex conclavibus terror, tam juvenem quam virginem, lactantem cum viro sene" (*Deutr.* xxxii. 25):

"Foris orbabit gladius, et ex conclavibus terror," significat quod falsum et malum, quae ab interno, devastabunt et naturalem et rationalem hominem; "juvenem et virginem," significat intellectum veri et affectionem ejus; "lactantem cum viro sene," significat innocentiam et sapientiam. Apud *Jeremiam*,

> "Dispergam per te gentes, et perdam per te regna, dispergam per te equum et equitem.., dispergam per te currum et vectum in illo,....dispergam per te senem et puerum, dispergam per te juvenem et virginem, dispergam per te pastorem et gregem ejus, dispergam per te agricolam et jugales ejus, dispergam per te praefectos et antistites" (li. 20–23):

haec de Jacobo et Israele, per quos in supremo sensu intelligitur Dominus, qui mala et falsa circa tempus adventus Ipsius in ecclesia dominantia destructurus est; per "gentes" et "regna" quae disperget, significantur mala et falsa in genere; per "equum et equitem" significantur ratiocinationes ex falsis contra vera; per "currum et vectum in illo" significantur doctrinae falsa; per "senem et puerum" significantur falsa confirmata et non confirmata; per "juvenem et virginem" significantur intellectus et affectio falsi; per "pastorem et gregem ejus" significantur docentes et discentes; per "agricolam et jugales ejus" significantur similia; per "praefectos et antistites" significantur principia falsi et mali. Apud *Ezechielem*,

> "Dixit Jehovah.., Transi per medium urbis, et per medium Hierosolymae,....senem, juvenem et virginem, et infantem, et mulieres occidite ad perditionem; sed contra ullum virum super quo signum, ne appropinquate" (ix. 4, 6):

per haec describitur devastatio omnium quae ecclesiae sunt; per "Hierosolymam" significatur illa ecclesia: per "senem, juvenem, virginem, infantem et mulieres," significantur omnia ecclesiae; per "senem" sapientia, per "juvenem" intelligentia, per "virginem" affectio veri, per "infantem" innocentia, per "mulieres" bona conjuncta veris; "occidere ad perditionem," significat prorsus destruere: quod haec non facta sint, sed modo visa prophetae dum in spiritu erat, patet a praecedentibus ibi, ubi abominationes domus Israelis et Jehudae sub variis speciebus et objectis ostensae memorantur; et quia non facta sunt sed solum visa, manifeste constat quod per "senem, juvenem, virginem, infantem et mulieres," talia quae dicta sunt, significata

sint: quid significatur per "non appropinquare ad ullum virum super quo signum," videatur supra (n. 427[a]). Apud *Joelem*,

"Super populum meum jecerunt sortem, et dederunt puerum pro scorto, et puellam vendiderunt vino, quod biberunt" (iv. [*B. A.* iii.] 3);

"jacere sortem super populum" significat dispergere ecclesiae vera per falsa; "puerum dare pro [1]scorto" significat falsificare vera Verbi; "puellam vendere vino" significat falsificare bona Verbi; "quod biberunt" significat imbuitionem falsi. Apud *Sachariam*,

"[2]Implebantur plateae urbis pueris et puellis ludentibus in plateis [3]meis" (viii. 5):

per "pueros et puellas" significantur vera et bona innocentiae, qualia sunt vera et bona Verbi, quae essentialiter faciunt ecclesiam; per "plateas urbis" significantur doctrinalia, quae causa fuit quod antiqui docuerint in plateis; et "ludere in plateis" significat laetari et gaudere ex illis. Apud *Jeremiam*,

"Denuo aedificabo te,...virgo Israel;....tunc laetabitur virgo in chorea sua, ac adolescentes et senes simul" (xxxi. 4, 13):

per "virginem Israelem" significatur ecclesia ex affectione veri; tunc laetabitur virgo in chorea," significat laetitiam cordis illorum qui in affectione veri spirituali sunt, omnis enim laetitia spiritualis est ex affectione veri; quare "ludere," "saltare" et "canere," et similia, in Verbo dicuntur de virginibus et puellis.

[*b.*] Quoniam ecclesia est ecclesia ex affectione veri spirituali, quae est amor veri propter verum, ideo passim in Verbo dicitur

"Virgo Israel" (ut *Jerem.* xviii. 13; cap. xxxi. 4, 21: *Amos* v. 2):
"Virgo filia Zion" (2 *Reg.* xix. 21; *Esai.* xxxvii. 22: *Thren.* i. 4; cap. ii. 13):
"Virgo filia populi mei" (*Jerem.* xiv. 17):
"Virgo filia Zidonis" (*Esai.* xxiii. 12):
"Virgo filia Aegypti" (*Jerem.* xlvi. 11):
Tum "Virgo filia Babelis" (*Esai.* xlvii. 1).

Apud *Davidem*,

"Viderunt gressus tuos, Deus, gressus Dei mei, Regis mei in sanctuario; praecesserunt cantantes post pulsantes in medio virginum tympanizantium" (Ps. lxviii. 25, 26 [*B. A.* 24, 25]):

haec de Domino, qui ibi "est Deus meus," et "Rex meus;"

et adventus Ipsius intelligitur per "gressus Ipsius in sanctuario:" per "cantantes post pulsantes et tympanizantes" significantur omnes qui e spirituali et e caelesti regno Ipsius sunt; per "virgines cantantes" qui e spirituali regno Domini sunt, per "pulsantes et tympanizantes" qui e regno caelesti Ipsius; qui "virgines" dicuntur ex affectione veri et boni, ac "cantare," "pulsare" et "tympanizare" dicuntur ex laetitia et gaudio cordis illorum; per instrumenta enim pulsatoria et inflatoria describitur gaudium illorum qui e caelesti regno sunt, per instrumenta autem chordacea et per cantus, describitur laetitia illorum qui e regno spirituali sunt. Apud eundem,

> "Filiae regum inter pretiosas tuas; consistit Regina ad dextram tuam in auro optimo Ophiris: audi, filia, et vide,..inclina aurem tuam;.... tunc delectabitur Rex pulchritudine tua, [1]Ipse namque Dominus tuus, ideo incurva te Ipsi. Etiam filia Tyri munus, facies tuas deprecabuntur divites populi;....tota pretiosa filia Regis intus, de implexis auri vestis ejus, in acupictis adducetur Regi, virgines post illam, amicae ejus, quae adducentur [2]Ipsi, adducentur cum gaudiis et exultatione, venient in palatium Regis" (Ps. xlv. 10–16 [*B.A.* 9–15]):

quod haec de Domino dicta sint, patet a versibus (3–9 [*B.A.* 2–8]) ibi qui praecedunt, et a versibus (17 et 18 [*B.A.* 16 et 17]) qui sequuntur; et per "filias regum" significantur affectiones Divini Veri; per "Reginam" quae ad dextram Ipsius in auro optimo Ophiris, significatur caelum et ecclesia, quae in Divinis veris ex Divino Bono sunt; "audire," "videre" et "inclinare aurem," quod dicitur de filia Regis, significat auscultare, percipere et obedire, ita intelligere, facere et sapere a Domino: quod tunc accepta erit Domino, significatur per "Tunc delectabitur Rex pulchritudine tua;" "pulchritudo" praedicatur de affectione veri, haec enim facit pulchritudinem angelorum: "ideo incurva te Ipsi" significat cultum ex humili corde; "et filia Tyri munus mittet" significat cultum ab illis qui in cognitionibus veri sunt; "facies tuas deprecabuntur divites populi" significat adorationem ab illis qui in intelligentia ex cognitionibus illis sunt; "tota gloriosa filia Regis intus" significat affectionem veri spiritualem, quae "gloriosa" dicitur ex abundantia veri, ac "intus" significat spirituale; "de implexis auri vestis ejus" significat vera induentia formata ex bono amoris; "in acupictis adducetur Regi" significat apparen-

tias veri, quales sunt in sensu litterae Verbi; "virgines post illam, amicae ejus," significat affectiones veri spirituales naturales, inservientes; "adducentur cum gaudio et exultatione, venient in palatium Regis," significat cum gaudio caelesti in caelum ubi Dominus. Quoniam "filiae regis" significabant affectiones veri spirituales, et "vestes" illarum significabant vera in ultimo ordinis, qualia sunt vera Verbi in sensu litterae ejus, ideo

Filiae Regis virgines olim vestiebantur togis frustatim variegatis, ut legitur de Thamare filia Davidis (2 *Sam.* xiii. 18).

Apud *Sachariam*,

"Quantum..bonum Ipsius, et quanta pulchritudo Ipsius; frumentum juvenes, et mustum adolescere facit virgines" (ix. 17):

haec etiam de Domino; et per "bonum" et per "pulchritudinem Ipsius" intelligitur Divinum Bonum ac Divinum Verum; "frumentum juvenes, et mustum adolescere facit virgines," significat quod intellectus veri ac affectio veri formetur per bonum ac per verum ab Ipso. Ex his locis patet quod per "virgines" in Verbo significentur affectiones veri: similiter alibi

(Ut *Esai.* lxii. 5; *Jerem.* ii. 32; *Joel* i. 7, 8; *Psalm.* cxlviii. 12; *Jud.* v. 30).

Quoniam per "virginem" significabatur affectio genuini veri ecclesiae, quae cum bono amoris prorsus concordat, ideo statutum fuit

Quod sacerdos magnus non viduam aut repudiatam, aut corruptam meretricem, sed virginem e populis suis acciperet uxorem, ne profanaret semen suum (*Levit.* xxi. 13–15; tum *Ezech.* xliv. 22;)

(quae singillatim explicata supra, n. 768[*d*], videantur). Quia per "virginem" significatur affectio genuini Veri, et per "stuprationem" illius significatur falsificatio Divini Veri, ideo tam severe prohibitum fuit scortari; ut

"Si quis persuaserit virgini,...et cubuerit cum illa, dote dotaret illam sibi in uxorem..at si..renueret pater..dare illam.., argentum penderet quantum dos virginum est" (*Exod.* xxii. 15, 16 [*B. A.* 16, 17]; *Deutr.* xxii. 28, 29;)

(quae explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 9181–9186). Quoniam affectio veri et intellectus veri faciunt conjugium, sicut virgo desponsata et maritata viro, ac postea unum faciunt sicut voluntas et intellectus, aut sicut affectio et cogitatio

aut sicut bonum et verum apud unumquemvis hominem, nec conjungi possunt diversae affectiones uni eidemque cogitationi, seu diversae voluntates uni eidemque intellectui, seu diversa vera ecclesiae uni eidemque bono amoris, nisi falsificationes et inde dissipationes veri existerent, inde erat quod concubitus cum virgine desponsata crimen mortis esset: secundum haec apud *Mosen*,

> Si vir cum puella virgine desponsata viro in urbe cubuerit, ambo lapidabuntur; si vero in agro, morietur vir solus, non puellae crimen mortis (*Deutr.* xxii. 23-27):

per "concubitum in urbe" significatur adulteratio boni et veri doctrinae ex Verbo, "urbs" enim est doctrina, et lapidatio erat poena laesi veri doctrinae: per "concubitum" autem "in agro," significatur falsificatio veri ecclesiae antequam id ut doctrinale receptum est, ita non adulteratio boni ejus; "ager" enim est ecclesia ubi verum primum inplantatur, dein crescit, et demum fit doctrinae; quare vir solus moriretur. Ex his quoque constare potest quod per "virginitatem" significetur affectio veri illibata

(Ut *Levit.* xxi. 13; *Deutr.* xxii. 13-21; *Ezech.* xxiii. 3, 8).

864. *"Hi sunt qui sequentes Agnum quocunque vadit."*— Quod significet *qui adjuncti Domino per agnitionem Divini Humani Ipsius, et per vitam secundum praecepta Ipsius*, constat ex significatione "Agni," quod sit Dominus quoad Divinum Humanum (de qua supra, n. 314); ex significatione "sequi Ipsum quocunque vadit," quod sit agnoscere Divinum Ipsius, et facere praecepta Ipsius. Per "sequi Dominum" simile significatur quod per "ire" et "ambulare post Ipsum;" quod "ire," et "ambulare" post Dominum significet agnoscere, obedire, facere et vivere ab Ipso et cum Ipso, videatur supra (n. 787). Causa quod illa per "sequi Dominum" significentur, est quia nemo potest sequi Dominum a se, sed ab Ipso Domino; Dominus enim trahit hominem post Se, qui ex libero vult sequi; at non potest trahere aliquem qui non vult sequi Ipsum; Dominus enim operatur hoc apud illum, sicut homo sequeretur Ipsum a semet, ita in ejus liberum influit, et hoc facit propter receptionem ac implantationem veri et boni apud illum, et inde reformationem et regenerationem; nam nisi appareret homini sequi Dominum sicut a se, hoc est, agnoscere Divinum Ipsius

et facere praecepta Ipsius sicut a se, nulla foret appropriatio et conjunctio, et inde nulla reformatio et regeneratio; omne enim intrat hominem, et fit sicut ejus, quod ex libero, hoc est, sicut ex se, recipit, sive cogitet et loquatur, [sive] sicut ex se velit et faciat: sed usque tamen homo credere debet, sicut res in se est, quod non id ex se faciat, sed ex Domino; quare non dicitur quod facturus sit a se, sed sicut a se. Causa quod ita sit, est quoque quia homo non percipit operationem Domini in ejus voluntatem et inde cogitationem; homo enim non scit aliquid de sua conjunctione cum angelis; quare putat quod quicquid vult et cogitat, a se velit et cogitet; quare non potest aliter scire quam sicut id fiat a se; cum tamen omne bonum influit, tam quod cogitat, quam quod vult et inde facit; et quia hoc novit ex doctrina ecclesiae, nempe quod omne bonum sit a Deo, ideo credere debet quod non faciat bonum a se, tametsi id facit sicut a se. Ita intelligitur quod Dominus docuit apud *Marcum*,

> "Ita se habet regnum Dei, quemadmodum si homo projicit semen super terram, dormiat dein, et surgat noctu et die; semen vero germinet et crescat, dum nescit ipse" (iv. 26, 27);

et apud *Johannem*,

> "Non potest homo sumere quicquam, nisi sit datum illi e caelo" (iii. 27);

et apud eundem,

> "Qui manet in Me, et Ego in illo, hic fert fructum multum, quia sine Me non potestis facere quicquam" (xv. 5).

Quod agnoscere Divinum Humanum Domini, et facere praecepta Ipsius, sit sequi Ipsum, est quia non alii possunt conjuncti esse Domino; quod quisque conjungatur Domino secundum agnitionem et confessionem Ipsius ex corde, et secundum vitam, constare potest ex eo, quod omnes angeli caeli non aliud Divinum agnoscant quam Divinum Domini, et quod omnes angeli caelorum vivant secundum leges ordinis, quae sunt praecepta Ipsius, hoc est, vivant in Divino quod procedit a Domino, quod vocatur Divinum Verum: quia ita vivunt, in caelesti aura seu in caelesti aethere vivunt, in quem nemo potest admitti nisi qui in vita a Domino est; si alius intraret in illum aetherem, foret sicut mures immissi in siphonem e quo exantlatus est aer. Ex his constare potest quid per "sequi Dominum

quocunque vadit" in sensu spirituali significatur. Simile significatur per "sequi Ipsum" in sequentibus locis:—Ut apud *Johannem*,

Jesus dixit, "Ego sum lux mundi; qui Me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lucem vitae" (viii. 12):

"Ego sum lux mundi," significat quod sit Ipsum Divinum Verum; "qui Me sequitur," significat qui Divinum Ipsius agnoscit, et facit praecepta Ipsius; "non ambulabit in tenebris," significat quod non in falsis erit; "sed habebit lucem vitae," significat quod in Divinis veris, quae hominem vitam aeternam docent, et ad caelum ducunt: quod ibi [per] "sequi Dominum" non intelligatur sequi Ipsum, sed agnoscere Divinum Ipsius, et obedire Ipsi, patet. Apud eundem,

Pastor ovium "quando proprias oves eduxerit, coram illis incedit, et oves Ipsum sequuntur, quia sciunt vocem Ipsius; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non sciunt alienorum vocem: oves meae vocem meam audiunt, et Ego cognosco eas, et sequuntur Me" (x. 4, 5, 27):

etiam hic per "sequi Dominum" intelligitur agnoscere Divinum Ipsius et obedire Ipsi, nam dicitur quod "incedat coram propriis ovibus, et oves Ipsum sequuntur, et sciunt et audiunt vocem Ipsius;" "scire et audire vocem Domini" significat facere praecepta Ipsius. Apud *Evangelistas*,

"Quicunque voluerit post Me venire, abnegato se ipsum,...et sequitor Me" (*Matth.* xvi. 24; *Marc.* viii. 34; *Luc.* ix. 23):

quod "ire post Dominum," et "sequi Ipsum," sit abnegare se, patet; et abnegare se est non duci a semet sed a Domino; ac abnegat se qui fugit et aversatur mala quia peccata sunt; quae cum homo aversatur, ducitur a Domino, nam is facit praecepta Ipsius non a se sed a Domino. Similia significantur per "sequi Dominum" etiam alibi

(Ut *Matth.* xix. 21, 28: *Marc.* ii. 14, 15; cap. iii. 7, 8; cap. x. 21, 28, 29: *Luc.* xviii. 22, 28: *Joh.* xii. 26; cap. xiii. 36, 37; cap. xxi. 19-22).

Ex his constare potest quod "sequi Dominum" sit duci ab Ipso, et non a semet; et nemo alius potest duci a Domino quam qui non ducitur a semet, et quisque ducitur a semet qui non fugit mala quia contra Verbum ac ita contra Deum sunt, proinde quia peccata sunt, et ex inferno. [1]Omnis qui mala non ita fugit et aversatur, is ducitur a semet; causa

est, quia malum, quod homini ex hereditario inest, facit vitam ejus, quia id est ejus proprium; et homo antequam illa remota sunt, ex illis omnia facit, ita ex se. Aliter vero, quando mala remota sunt, quod fit dum fugit illa quia infernalia sunt; tunc intrat Dominus cum veris et bonis e caelo, ac ducit illum. Primaria causa est, quia unusquisque homo est suus amor; et homo quoad spiritum suum, qui vivit post mortem, non est nisi quam affectio quae est amoris ejus, et omne malum est ex amore ejus, ita est amoris ejus; inde sequitur quod amor seu affectio hominis non aliter reformari possit, quam per fugam et aversationem spiritualem malorum, quae est fuga et aversatio illorum quia sunt infernalia. Ex his nunc constare potest quid sit "sequi Dominum quocunque vadit."

865. ***"Hi empti sunt de hominibus, primitiae Deo et Agno."***— Quod significet *illos in Nova Ecclesia receptos a Domino*, constat a significatione "emptorum a Domino," quod sint qui instructionem e Verbo recipiunt, imprimis de Domino, ac vivunt secundum illam (de qua supra, n. 860); iidem sunt qui etiam dicuntur "redempti" a Domino, ac redempti sunt qui a Domino regenerati, et hi sunt qui sequuntur Dominum, hoc est, ducuntur ab Ipso (de quibus mox supra): ex significatione "primitiarum Dei et Agni," quod sint qui se dederunt Domino, et adoptati ab Ipso; quod sint qui a Nova Ecclesia, constare potest ex eo, quod dicantur "primitiae Deo et Agno;" nam qui ibi recipiuntur, illi agnoscunt Divinum Humanum Domini, ac vivunt secundum praecepta Ipsius; alii non recipiuntur in Nova Ecclesia, quae Nova Hierosolyma vocatur, ex causa quia illi qui non id credunt, ac ita vivunt, non cum vita caeli concordant, nec cum luce ibi, nec cum calore ibi; lux enim ibi est Divinum Verum, ex quo omnis intelligentia et sapientia, et calor ibi est Divinum Bonum, ex quo omnis amor et charitas. Omnis affectio et inde cogitatio hominis non modo est intra illum, et facit vitam ejus, sed etiam est extra illum, et facit sphaeram vitae ejus. Inde est quod caelum sit distinctum in societates secundum varietates affectionum et inde cogitationum; quare nisi affectiones et inde cogitationes spirituales sunt, quae unice formantur ex agnitione Domini, et ex vita secundum praecepta Ipsius, non possunt admitti in aliquam societatem caeli; repugnant enim; inde

est quod qui non agnoscunt Divinum Humanum Domini, et non vivunt secundum praecepta Ipsius in Verbo, non consociari possint angelis caeli. Quod ita sit, constiterat mihi ex multa experientia: fuerunt qui de Domino non aliter quam sicut de alio homine cogitaverunt, et qui fidem hodiernam, quae est fides cogitativa, absque aliquo bono vitae vixerunt; hi quia crediderunt quod vita aeterna esset modo intromitti in caelum, ideo etiam ex optato in aliquam societatem admissi sunt; sed ut primum lux caeli oculos illorum strinxit, coeperunt quoad visum et simul quoad intellectum prorsus obscurari, ac in stuporem ac in fatuitatem cadere; et cum calor caeli illos afflabat, coeperunt diro modo cruciari, et quoad caput et quoad membra sicut serpentes contorqueri; quare se deorsum conjecerunt, pejerantes quod intrare caelum, nisi in luce et calore caeli sint, esset illis infernum; et quod nesciverint quod caelum cuivis sit ex amore et inde fide, seu ex vita secundum praecepta Domini in Verbo, et ex fide in Dominum, et prorsus non ex fide absque vita fidei, quae est charitas. Paucis dicetur quid "primitiae" in Verbo significant: "primitiae" significant similia quae "primogenita;" sed "primogenita" dicuntur de animalibus, sed "primitiae" de vegetabilibus; ita "primogenita" sunt quae primum nascuntur, et "primitiae" quae sunt ex primis quae producuntur; ac utraque significant bonum spirituale primum formatum, quod in se est verum ex bono quod a Domino. Hoc trahit originem ex eo, quod binae mentes apud hominem sint; mens naturalis et mens spiritualis: ex sola mente naturali non producitur nisi malum et inde falsum; sed ut primum mens spiritualis aperta est, tunc producitur bonum et inde verum; hoc quod primum producitur intelligitur per "primogenitum" et per "primitias." Et quia omnia quae e mente spirituali nascuntur et producuntur, non sunt ab homine sed a Domino, ideo illa sanctificabantur Jehovae, hoc est, Domino, ex causa quia Ipsius erant, et inde sancta: et quia primo natum aut productum significat omnia in serie sequentia, sicut dux populum, et pastor gregem, ideo per id quod "primogenita ac primitiae data fuerint Domino" significabatur quod omnia reliqua etiam Ipsius essent. Sed ut hoc adhuc clarius in intellectum veniat, sciendum est quod mens mere naturalis sit ad ideam seu imaginem

mundi formata, at mens spiritualis ad ideam seu imaginem caeli; et quod mens spiritualis non aperiatur ulli homini, nisi quam per agnitionem Divini Domini, et per vitam secundum praecepta Ipsius; et antequam haec mens aperta est, non producitur aliquod bonum et inde verum; sed ut primum aperta est, tunc producitur, et quod producitur est a Domino: primum itaque quod producitur, dicitur sanctum, ac significat quod omnia quae postea producuntur sancta sint. Ex his patet quod apertura uteri seu matricis significet aperturam mentis spiritualis; quod apertura uteri seu matricis id significet, est quoque ex correspondentia, uterus enim correspondet bono amoris caelestis (de qua correspondentia videatur supra, n. 710[*d*], et in *Arcanis Caelestibus*, n. 4918, 5050–5062). Quoniam illa, quae nunc dicta sunt, per "primitias" significabantur, et quia per illa quae messis sunt, ut per "triticum," "hordeum" et reliqua, significabantur bona ac vera caeli et ecclesiae, et quoque per "lanam," similiter per "bestias" utiles et mundas, inde ex his dabantur primogenita Domino, et ex illis primitiae; et quia sacerdos maximus repraesentabat Dominum quoad Ipsius sacerdotium, quod est bonum amoris, ideo illa dabantur sacerdoti illi; et inde sanctificabantur omnia quae ex frumento, vino et oleo producta erant. Sed de primitiis illis videantur statuta pro filiis Israelis in Lege Mosis, ut de primitiis frugum, omnis frumenti, olei, musti, fructum arboris, tum velleris, praeter ex primogenitis armenti et gregis, et quod data sint ut sancta Jehovae, et a Jehovah Aharoni, et post eum sacerdoti magno

(*Exod.* xxii. [1]28 [*B. A.* 29]: *Num.* xiii. 20; cap. xv. 17–22; cap. xviii. 8–20: *Deutr.* xviii. 4; cap. xxvi. 1 ad fin.);

et de festo primitiarum messis, et primitiarum panis

(*Exod.* xxiii. 14–16, 19, 26; *Levit.* xxiii. 9–15, 20–25; *Num.* xxviii. 26 ad fin.; et alibi).

Ex his nunc constare potest quod per "primitias Deo et Agno" intelligantur illi qui e Nova Ecclesia, quae Nova Hierosolyma vocatur, erunt, qui agnoscunt Divinum Humanum Domini, ac vivunt vitam amoris; hoc est, vitam secundum praecepta Domini in Verbo: apud hos et non apud alios aperta est mens spiritualis; quare non alii ducuntur a Domino, seu "sequuntur Ipsum quo vadit." Quod

per "Deum et Agnum" in *Apocalypsi* intelligatur Dominus quoad Ipsum Divinum et simul quoad Divinum Humanum, videatur supra (n. 297, 314, 343, 460, 482).

866. [*Vers.* 5.] ***"Et in ore illorum non est inventus dolus."***—Quod significet *quod aversentur cogitare et persuadere falsa*, constat ex significatione "oris," quod sit cogitatio et inde loquela, proinde etiam persuasio (de qua supra, n. 580, 782, 794); et ex significatione "doli," quod sit ex proposito, ita ex intentione quae voluntatis fallere et seducere, ita ex animo cogitare et persuadere falsa, quae hominem in aeternum perdunt: quod talia apud illos qui a Domino ducuntur, seu Ipsum sequuntur, non sint, significatur per quod "in ore illorum non inveniatur dolus;" nam Dominus est Divinum Verum unitum Divino Bono; in hoc et in illo sunt omnes qui in Domino sunt, qui sunt qui agnoscunt Divinum Humanum Ipsius, et faciunt praecepta Ipsius; et quia cogitare falsa est contra Divinum Verum, ac velle persuadere illa est contra Divinum Bonum, ideo aversantur illa. Quid praeterea "dolus" in Verbo significat, constare potest a locis ibi, ubi dicitur; ut in sequentibus:—Apud *Johannem*,

> Jesus dixit de Nathanaele veniente ad Se, "Ecce vere Israelita, in quo dolus non est" (i. 48 [*B. A.* 47]):

per "Israelitam" significatur qui in bono charitatis est, et ex illo in veris, ita qui in veris ex bono; hi quoque sunt qui intelliguntur per "centum et quadraginta quatuor millia" qui sequuntur Dominum, "in quorum ore non invenitur dolus;" quare ibi per "dolum" similia significantur. Apud *Zephaniam*,

> "Reliquiae Israelis non facient perversitatem, neque loquentur mendacium, neque invenietur in ore illorum lingua doli" (iii. 13):

per "reliquias Israelis" intelliguntur qui in fide spirituali sunt, quia in bono charitatis, similiter ac supra per "verum Israelitam:" per "loqui mendacium" significatur docere falsum ex ignorantia veri; at per "dolum" significatur falsum, [2]non ex ignorantia veri, sed ex consulto, ita ex proposito fallendi, sicut est apud impios. Similiter in sequentibus locis:

> "Non violentiam fecit, nec dolus in ore Ipsius" (*Esai.* liii. 9);

ibi de Domino.

"A dolo et violentia [1]redimet animam [2]eorum" (*Psalm*. lxxii. 14);
"Divites..impleti sunt violentia, et habitatores ejus loquuntur mendacium, et quoad linguam eorum dolus in ore illorum" (*Mich*. vi. 12);
"Implent domum dominorum..violentia et dolo" (*Zeph*. i. 9);
"Viri sanguinum et doli non dimidiabunt dies suos" (*Psalm*. lv. 24 [*B. A*. 23]);
"Perdes loquentes medacium, virum sanguinum et doli abominabitur Jehovah" (*Psalm*. v. 7 [*B. A*. 6]);

per "violentiam" et per "sanguinem" significatur perversio veri et falsificatio Verbi, et per "dolum" significatur id ex proposito.

"Jehovah....adverte aurem ad preces meas, quae sine labiis doli" (*Psalm*. xvii. 1);
"Custodi linguam tuam a malo, et labia tua a loquendo dolum" (*Psalm*. xxxiv. 14 [*B. A*. 13]);
"Si loquerentur labia mea iniquitatem, et lingua mea loqueretur dolum" (*Hiob*. xxvii. 4);
"Jehovah, libera animam meam a labio mendacii, a lingua doli; quid dabit tibi,..quid addet tibi lingua doli?" (*Psalm*. cxx. 2, 3;)
"Os tuum aperis ad malum, et lingua tua nectis dolum" (*Psalm*. l. 19);
"Os impii [et] os doli contra Me aperuerunt, locuti sunt mecum lingua mendacii" (*Psalm*. cix. 2);
"Perditiones cogitat lingua tua, sicut novacula acuta [faciens] dolum" (*Psalm*. lii. 4, 6 [*B. A*. 2, 4]);
"Vir..cum socio illudunt, et veritatem non loquuntur, docuerunt linguam suam loqui mendacium,....habitare tuum in medio doli, ob dolum renuerunt cognoscere Me" (*Jerem*. ix. 4, 5 [*B. A*. 5, 6]):

per "labia et linguam," quibus loquuntur mendacium et dolum, significatur cogitatio cum intentione persuadendi falsa contra vera, ac seducendi, "labia" enim et "lingua" similia significant quae "os."

"Beatus homo cui non imputat Jehovah iniquitatem, modo non in spiritu ejus dolus" (*Psalm*. xxxii. 2);
"Verba oris ejus iniquitas et dolus, cessat ab intelligendo, faciendo bonum" (*Psalm*. xxxvi. 4 [*B. A*. 3]);
Loqui iniquitatem, et loqui dolum (*Hiob*. xiii. 7):

"iniquitas" spectat malum, et "dolus" inde falsum.

"A viro doli et perversitatis," Jehovah, "libera me" (*Psalm*. xliii. 1);
"Mundus manibus et purus corde, qui non effert ad vanitatem animam suam, et non jurat cum dolo" (*Psalm*. xxiv. 4);
"Contra tranquillos terrae verba dolorum cogitant, [3]valde dilatarunt os suum contra me" (*Psalm*. xxxv. 20, 21);
"Perditiones in medio ejus,..non recedet a platea ejus fraus et dolus" (*Psalm*. lv. 12 [*B. A*. 11]);
"Conculcasti omnes aberrantes a statutis tuis, quia mendacium dolus eorum" (*Psalm*. cxix. 118);
"Avertit se populus hic, Hierosolyma aversa perpetuat, retinent dolum, renuunt reverti; attendi et audivi, non rectum loquuntur" (*Jerem*. viii. 5[, 6]):

in his locis per "dolum" non intelligitur dolus in naturali sensu, in quo est machinatio fraudulenta, ac mendacium ex malitia contra alium; sed dolus in spirituali sensu, in quo dolus est cogitatio ex intentione voluntatis, seu ex proposito aut consulto loquendi et persuadendi falsa, et sic animam perdendi. Similiter de prophetis, apud *Jeremiam*,

> **"Numne est in corde prophetarum prophetantium mendacium, et prophetarum doli cordis sui?" (xxiii. 26;)**

apud eundem,

> **Prophetae "visionem mendacii, et praestigias, et nihilum, et dolum cordis sui illi prophetant vobis" (xiv. 14):**

per "prophetas" in spirituali sensu significantur docentes vera ex Verbo et doctrinam, et inde in sensu abstracto per illos significatur Verbum quoad doctrinam; quare per illos in opposito sensu, ut in illis locis, significantur docentes falsa, ita falsificantes vera Verbi; hoc ex proposito intelligitur per "dolum cordis" illorum. Quod per "dolum" intelligatur falsificatio veritatum Verbi ex proposito, tum ex cupiditate seducendi, patet apud *Hoscheam*,

> **"Circumdederunt Me mendacio Ephraim, et dolo domus Israelis" (xii. 1 [*B. A.* xi. 12]):**

per "Ephraimum" significatur intellectus veritatum ecclesiae, et per "domum Israelis" ipsa ecclesia; inde per "dolum" et "mendacium" significatur falsa persuadere ex proposito et cupiditate. Apud eundem,

> **"Facti sunt sicut arcus dolosus, cadent gladio principes illorum, ex indignatione linguae illorum" (vii. 16);**

et apud *Davidem*,

> **"Aversi sunt sicut arcus dolosi" (Ps. lxxviii. 57):**

comparantur "arcui doloso," quia per "arcum" significatur doctrina pugnans in utroque sensu, nempe doctrina falsi pugnantis contra verum, ac veri contra falsum; "jacula" enim et "tela" significant falsa aut vera, per quae pugnatur; (quod illa per "arcum" et per "tela" significentur, videatur supra, n. 357): ex quibus iterum patet quod per "dolum" intelligatur dolus in spirituali sensu, quae est contra vera et bona Verbi et ecclesiae, ita animus et cupiditas destruendi illa. Quod animus et cupiditas destruendi vera et bona Verbi, doctrinae et ecclesiae, ita ex consulto et ex proposito, per

"dolum" significetur, constat apud *Jeremiam*,

> "Spectantur sicut tendunt aucupes, constituunt perdentem, ut homines capiant; sicut cavea plena avibus, ita domus eorum plenae dolo" (v. 26, 27);

apud *Mosen*,

> "Si propositum habuerit quis adversus socium suum occidendi illum dolo, a cum altari meo abstrahes eum" (*Exod.* xxi. 14):

et quia id tam grave peccatum fuit, ideo dicitur apud *Jeremiam*,

> "Maledictus faciens opus Jehovae dolo" (xlviii. 10).

Quod dolus tam grave crimen fuerit, est quia consultum et propositum est voluntatis; et quicquid est voluntatis est ipsius hominis, et vocatur malum cordis ejus; voluntas enim est ipse homo, at vero cogitatio ante consensum, qui est voluntatis, non in homine est, sed extra illum; quoniam illa quae in cogitationem influunt, sunt sicut objecta quae in visum influunt e mundo, quorum quaedam placent, et quaedam non placent; et quae placent intrant jucundum vitae ejus, at quae non placent rejiciuntur; ita est cum omni quod influit in visum internum hominis, qui est ejus intellectus et inde cogitationis; si placet, intrat voluntatem ejus, et addit se vitae ejus; si vero non placet, rejicitur. Sciendum est quod omnes mali animum et cupiditatem, consequenter voluntatem, destruendi vera caeli et ecclesiae per falsa, habeant; causa est, quia conjuncti sunt inferno, ac infernales flagrant cupidine ex jucundo amoris illorum destruendi omnia caeli et ecclesiae, et hoc per astutos dolos, quos artificiose nectunt, et mirabiliter expediunt; quos si ab experientia describerem, membranas implerem: inde patuit quod per "dolum" in genere significetur omne malum intentionis destruendi vera per falsa. (Praeterea videantur quae in *Arcanis Caelestibus* de dolo scripta sunt: nempe, Quod dolus destruat omne vitae spiritualis ac interioris apud hominem, n. 9013: quod dolus, fraus, simulatio fuerit antiquis enorme facinus, n. 3573: quod dolosi inspecti ab angelis appareant ut serpentes et viperae, n. [1]4532: quod etiam intelligantur per "serpentes" et "viperas" in Verbo, n. 9013: quod "venenum" in Verbo significet dolum, n. 9013: de poenis illorum qui alios insidiati sunt et fefellerunt per dolos, n. 831, 957, 958, 959, 960, 1273: de infernis illorum, n. 830, 831, 947, 4951.)

867. *"Immaculati enim sunt coram throno Dei."*—Quod significet *quod absque falsis ex malo sint in conspectu angelorum*, constat ex significatione "immaculatus esse," quod sit esse absque falsis ex malo (de qua sequitur); et ex signifi-

catione "coram throno Dei," quod sit in conspectu angelorum; quod per "thronum Dei" intelligatur caelum ubi angeli, videatur supra (n. 253[a]). Quod immaculati appareant in conspectu angelorum caeli, est quia a Domino ducuntur, et Dominus jugiter providet ne aliquod falsum intret voluntatem eorum; admittitur quidem in cogitationem, sed non ultra, ac inde ejicitur; et quod e cogitatione ejicitur, hoc non inquinat hominem; sed quod excipitur inde a voluntate ejus, hoc inquinat, nam hoc est et fit amoris ejus, ita vitae ejus, et quoque factis ejus inhaeret; et hoc removeri non potest nisi quam per seriam et actualem vitae paenitentiam; nam voluntas cum amore et cum vita, tum cum factis, unum agunt, ac intelliguntur in Verbo per "cor;" inde nunc est, quod illi qui a Domino ducuntur, seu Ipsum sequuntur, "immaculati" sint. Non evitari potest quin homo cogitet falsum et quoque malum, tam quia natus est in omnis generis mala, quam quia doctrinae ecclesiae hodie non sunt doctrinae vitae, sed modo doctrinae fidei; et doctrina fidei separatae a vita non docet vera, per quae homo quoad vitam reformari potest: at qui in Domino sunt, illi in affectione veri spirituali tenentur; et qui in illa affectione sunt, quidem recipere possunt falsa, sed usque non pleno consensu, modo tali ac tantum qualiter et quantum concordant cum bono et inde veris; quare cum illi qui in affectione veri spirituali sunt, hauriunt aliqua falsa, usque faciles sunt ad rejiciendum illa, quando audiunt vera, tam in hoc mundo quam in altero; talis est affectio veri spiritualis; idcirco illi qui in ea affectione sunt, perficiuntur intelligentia et sapientia in aeternum; est quoque illis facultas intelligendi vera: at illi qui non in ea affectione sunt, renuunt vera et intelligere et audire; quare nec in aliqua facultate intelligendi illa sunt; quod ita sit, ex communi experientia in mundo spirituali mihi patuit. Nunc quia angeli caeli non aliud percipiunt apud hominem quam ejus amorem, et inde ejus affectiones, desideria ac jucunda, proinde ejus fines, propter quos ita et non aliter cogitat, quando itaque apud illum percipiunt amorem veri propter usus vitae, qui sunt fines, tunc non vident aliqua falsa ex malo; et si forte vident falsa ex non malo, usque sciunt quod haec falsa non noceant, quia illis non inest malum: falsa ex malo sunt ipsa falsa quae ex inferno sunt; causa

est, quia falsa illa sunt mali formae, ita in se quoque mala. Quod "immaculatum" attinet; hoc significat integrum et absque naevis, sed in sensu spirituali absque falsis ex malo: propterea inter prohibita fuit, ne aliquis ex semine Aharonis, cui esset macula, accederet ad altare, ac intraret intra velum (*Levit.* xxi. 17–23); et ne aliquod sacrificium, sicut ex bobus, vitulis, capris seu agnis, in quibus esset macula, fieret (*Levit.* xxii. 19–25): utrobivis etiam maculae recensentur, per quas omnes varii generis falsa et mala significantur.

VERSUS 6, 7.

868. *"Et vidi alium angelum volantem in medio caeli, habentem Evangelium aeternum, evangelizare habitantibus super terra, et omni genti et tribui et linguae et populo. Dicentem voce magna, Timete Deum, et date Ipsi gloriam, quia venit hora judicii Ipsius, et adorate Ipsum qui fecit caelum et terram, et mare et fontes aquarum."*

6. ***"Et vidi alium angelum volantem in medio caeli,"*** significat *manifestationem ubivis a Domino* [n. 869]; ***"habentem Evangelium aeternum,"*** significat *de adventu Ipsius et de salvatione credentium in Ipsum* [n. 870]; ***"evangelizare habitantibus super terra,"*** significat *annuntiationem de eo omnibus qui ab ecclesia* [n. 871]; ***"et omni genti et tribui et linguae et populo,"*** significat *omnibus qui in vitae et doctrinae bonis et inde veris sunt* [n. 872].

7. ***"Dicentem voce magna,"*** significat *exhortationem* [n. 873]; ***"Timete Deum, et date Ipsi gloriam,"*** significat *ut colant Dominum ex Divino Ipsius Vero per vitam secundum id* [n. 874]: ***"quia venit hora judicii Ipsius,"*** significat *separationem viventium secundum Divina vera a non viventibus secundum illa* [n. 875]; ***"et adorate Ipsum qui fecit caelum et terram, et mare et fontes aquarum,"*** significat *agnitionem et confessionem Ipsius, a quo omne caeli et ecclesiae, et a quo Divinum Verum seu Verbum* [n. 876].

869. [*Vers.* 6.] ***"Et vidi alium angelum volantem in medio caeli."***—Quod significet *manifestationem ubivis a Domino*, constat ex significatione "angeli volantis in medio caeli," quod sit a Domino manifestatio ubivis; per "angelum" enim significatur aliquid a Domino; quia angeli non sunt angeli a se, sed a Domino, sunt enim recipientes Divini Veri quod procedit a Domino; quare etiam "angeli" in Verbo significant Divina vera; ipsum caelum nec est caelum ab angelorum proprio, sed ex Divino quod est apud illos (de qua re videatur supra, n. 130[*a*], 200, 302): per "volare" significatur circumspectio et praesentia (de quo etiam supra, n. 282); hic vero manifestatio, quia manifestavit adventum Domini, quod intelligitur per quod "haberet Evangelium aeternum," et

quoque adventum ultimi judicii; et per "in medio" significatur ubivis (de quo etiam supra, n. [1]313): inde patet quod per "angelum volantem in medio caeli," significetur manifestatio ubivis a Domino.

870. ***"Habentem Evangelium aeternum."***—Quod significet *de adventu Ipsius, et de salvatione credentium in Ipsum*, constat ex significatione "Evangelii," quod sit adventus Domini, et tunc salvatio credentium in Ipsum; (quod adventus Domini fuerit, et quoque futurus, quando consummatio saeculi, hoc est, quando finis ecclesiae veteris ac principium novae, et quod tunc etiam ultimum judicium, videatur supra, n. 612;) et ex significatione "aeterni," quod sit Divinum quoad Existere. Bina sunt universalia per quae exprimitur Divinum, nempe infinitum ac aeternum: infinitum est Divinum quoad Esse, ac aeternum est Divinum quoad Existere, ac utrumque supereminenter intelligendum est, nempe absque spatio et absque tempore; qui ex spatio et ex tempore cogitat de infinito ac aeterno, is in errores labitur; spatium enim et tempus sunt propria Naturae, in quibus est homo quoad ideas suas quando in naturali mundo vivit, at non in illis est quando relinquit mundum ac venit in caelum; apparent quidem spatia et tempora in caelo plane similiter ut in mundo, sed sunt modo apparentiae statuum apud angelos; status enim affectionis et inde cogitationis illorum sistuntur apparenter coram sensibus illorum externis sicut spatia et sicut tempora, at usque non sunt spatia et tempora sicut in mundo naturali. (Qualia itaque sunt, constare potest ex binis articulis in opere *De Caelo et Inferno*, in quibus De Spatio et Tempore in Caelo actum est.) Quia Divinum est infinitum et aeternum, ideo in omnibus et singulis quae a Divino fiunt, est infinitum et aeternum; inde nunc est quod Evangelium, per quod significatur adventus Domini et salvatio fidelium, dicatur "aeternum:" quod infinitum ac aeternum dicatur de solo Domino, videatur supra (n. 23, 286). Quod "Evangelium" significet adventum Domini, et salvationem fidelium tunc, constat ex locis in utroque Testamento, ubi Evangelium dicitur, quae supra (n. 612) allata sunt. Quod autem adventum Domini attinet; creditur a quibusdam quod Dominus in persona rursus venturus sit, et quidem ad ultimum judicium faciendum, et hoc quia dicitur apud *Matthaeum*,

Accesserunt discipuli, dicentes ad Jesum, "Dic nobis....quodnam signum tui adventus, et consummationis saeculi" (xxiv. 3):

et postquam Dominus praedixit illis status ecclesiae successive decrescentis usque ad devastationem et consummationem ejus, dixit,

> "Tunc apparebit signum Filii hominis,....et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute et gloria.. : vigilate ergo, quia non scitis qua hora Dominus vester venturus est" (vers. 30, 39, 42; tum etiam apud *Johannem*, cap. xxi. 22):

sed per "adventum" Ipsius ibi non intelligitur adventus Ipsius in persona, sed quod tunc revelaturus sit Se in Verbo, quod Ipse sit Jehovah, Dominus caeli et terrae, et quod adoraturi sint Ipsum solum omnes qui in Nova Ipsius Ecclesia, quae per Novam Hierosolymam intelligitur, erunt; ob quem finem etiam nunc aperuit sensum internum seu spiritualem Verbi, in quo sensu ubivis agitur de Domino: hoc quoque est, quod intelligitur per

> Adventum Ipsius in nubibus caeli cum gloria (*Matth.* xxiv. 30; cap. xxvi. [1]64: *Marc.* xiii. 26; cap. xiv. 62: *Luc.* xxi. 27).

Quod "nubes caeli" significent Verbum in littera, et "gloria" sensum spiritualem ejus, videatur supra (n. 36, 594). Quoniam Ipse est Verbum, ut vocatur apud *Johannem* (cap. i. 1, 2, 14), ideo revelatio Ipsius in Verbo est adventus Ipsius.

871. *"Evangelizare habitantibus super terra."*—Quod significet *annuntiationem de eo omnibus qui ab ecclesia*, constat ex significatione "evangelizare," quod sit annuntiare adventum Domini (de qua mox supra, n. 870); et ex significatione "habitantium super terra," quod sint qui ab ecclesia, et in specie boni ibi. (Quod "terra" sit ecclesia, videatur supra, n. 29, 304, 413[*b*], 417[*a*], 697, 741[*b–d*], 742, 752; et quod "habitare" dicatur de bonis, n. 479, 662.)

872. *"Et omni genti et tribui et linguae et populo."*—Quod significet *omnibus qui in vitae et doctrinae bonis et inde veris sunt*, constat ex significatione "gentis," quod sint qui in bono vitae, quia in bono amoris (de qua supra, n. 175, 331, 625); ex significatione "tribus," quod sint qui in veris ex bono sunt (de qua supra, n. 39, 430, 431); ex significatione "linguae," quod sit confessio ex bono cordis, ita in doctrinae bono (de qua supra, n. 455, 625; et ex significatione "populi," quod sint qui in doctrinae veris (de qua etiam supra, n. 175, 331, 625); ex quibus patet quod per "omnem gentem et tribum et linguam et populum," significentur omnes

qui in vitae et doctrinae bonis et inde veris sunt, ita tam simplices quam docti, ubicunque sint, sive intra ecclesiam sive extra illam. Secundum sensum litterae, per "omnem gentem, tribum, linguam et populum" intelliguntur omnes ex quacunque religione sunt; sed in sensu spirituali intelliguntur omnes qui bene vivunt, et bene intelligunt.

873. [*Vers.* 7.] ***"Dicentem voce magna."***—Quod significet *exhortationem*, constat ex significatione "vocis magnae," quod sit exhortatio, quia involvit sequentia, ubi dicitur quod "timerent Deum, et darent Ipsi gloriam: "vox" in Verbo saepius dicitur, tum "vox magna;" et cum a Domino, aut ab angelis Ipsius, in genere significat Divinum Verum, et omne quod procedit a Domino, proinde etiam mandatum et praeceptum, ita quoque exhortationem, et plura (de quibus videatur supra, n. 261, 302, 424, 668, 682); nam vox ab angelis non est vox ab illis, sed per illos a Domino.

874. ***"Timete Deum, et date Ipsi gloriam."***—Quod significet *ut colant Dominum ex Divino Ipsius Vero per vitam secundum illud*, constat ex significatione "timere Deum," quod sit revereri et colere Dominum (de qua supra, n. 696); et ex significatione "dare Ipsi gloriam," quod sit vivere secundum Divinum Verum, hoc est, secundum praecepta Ipsius in Verbo; per "gloriam," ubi de Domino, significatur Divinum Verum procedens ab Ipso, ita Verbum quale est in caelo, nam id est lux angelis, per quam Dominus manifestat suam gloriam; dat enim per illam lucem intelligentiam et sapientiam, et quoque sistit coram oculis illorum magnifica, quae ex pretiosissimis fulgent; hoc in sensu proximo significatur per "gloriam Domini;" at quia omnia illa a Domino dantur secundum receptionem Divini Veri procedentis ab Ipso, magnifica illa, quae sicut ex auro et lapidibus pretiosis in mirificis formis fulgent, apparent illis prorsus secundum sapientiam apud illos, sunt enim correspondentiae: sed quia illis sapientia est secundum receptionem Divini Veri non modo doctrina sed etiam vita, ideo per "dare Ipsi gloriam" significatur vivere secundum Divinum Verum. Creditur in mundo quod sapientia sit, proinde caelum, illis qui sciunt Divina Vera, et qui ex scientia loquuntur illa, tametsi non viverent secundum illa; sed contestari possum quod illis nulla sapientia sit; in sapientia quidem apparent esse quando loquuntur, sed ut primum

in spiritu suo, aut secum cogitant, tunc prorsus non sapiunt, immo quandoque delirant sicut fatui, cogitando contra Divina vera quae locuti sunt; aliter vero illi qui vivunt secundum Divina vera; illi cogitant sapienter secum, et quoque loquuntur sapienter cum aliis. Hoc mihi ex mille experientiae exemplis in mundo spirituali datum est scire, nam ibi manifestantur talia quae in mundo naturali hominibus prorsus ignota fuerunt. Audivi plures ibi loqui tam sapienter ut crederem quod ex interioris caeli angelis essent, sed usque facti sunt diaboli, quia talibus impleverunt memoriam suam ex amore gloriae, sed usque non vixerunt secundum illa; quare ut primum ad se et suae vitae amorem redierunt, locuti sunt contra illa, et insaniverunt sicut prorsus nihil tale scivissent. Inde mihi patuit quod paene cuivis sit facultas intelligendi, ob causam ut possint reformari; sed qui non vivit vitam veri, non vult reformari; et qui non vult reformari, is successive rejicit a se omnia quae intelligentiae et sapientiae illius fuerunt, et vivit suum amorem, qui est contra illa, et accedit tandem ad illos qui in inferno sunt, et in simili amore cum illis. Ex his constare potest quod "dare Deo gloriam" significet vivere secundum Divinum Verum; quod etiam Dominus his verbis docuit apud *Johannem*,

> "In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum multum feratis, et reddamini discipuli mei:....manete in dilectione mea: si mandata mea servaveritis, manebitis in dilectione mea:....vos amici mei estis, si feceritis quaecunque Ego mando vobis" (xv. 8, [9,] 10, 14):

inde patet quod "glorificare Deum," seu "dare Deo gloriam," sit "fructum ferre." Praeterea videantur quae de gloria prius dicta sunt, ut quod "gloria" significet Divinum Verum procedens a Domino, ac receptionem ejus ab angelis et ab hominibus (n. [1]33, 288, 345): et quod "gloria Domini" sit illustrare homines et angelos, ac beare illos sapientia et felicitate, quod fit unice per receptionem Divini Veri doctrina et simul vita.

875. ***"Quia venit hora judicii Ipsius."***—Quod significet *separationem viventium secundum Divina vera a non viventibus secundum illa*, constat ex significatione "horae," quod sit status, hic status ultimus ecclesiae (de qua sequitur); et ex significatione "judicii," quod sit separatio bonorum a malis, ita viventium secundum Divina vera Domini a non viventi-

bus secundum illa, hi enim sunt mali, illi autem boni; quod separatio illorum significetur per "ultimum judicium," constare potest ex illis quae in opusculo *De Ultimo Judicio* dicta sunt: quod sit separatio viventium secundum Divina vera a non viventibus secundum illa, constare potest a locis in Verbo ubi de ultimo judicio agitur; ut a capite [1]xxv. apud *Matthaeum*, ubi describitur separatio ovium ab hircis, quod "oves" sint qui bona fecerunt, et "hirci" qui non bona; tum a locis in Verbo ubi dicitur quod "quisque judicabitur secundum opera," hoc est, secundum vitam ejus,

(Ut *Matth.* xvi. 27: *Joh.* v. 29: *Apoc.* xiv. 13; cap. [2]xx. 12, 13; cap. xxii. 12, et alibi;)

videatur supra (n. 785). Quod dicatur "hora judicii," est quia "hora" significat non modo tempus, sed etiam statum; (sicut "dies," "septimana," "mensis," "annus," et in genere "tempus," videatur supra, n. 571, 610, [3]664, 673, 747, 761; ac de significatione "horae" in specie, n. 194, 488, 673); quod toties in Verbo dicatur "hora" et "dies," est propter sensum spiritualem in singulis Verbi; nam dum homo cogitat horam et diem, et inde tempus, angeli, qui in spirituali sensu Verbi sunt, cogitant statum; causa est quia angeli non aliquam ideam temporis habent, quoniam non illis sunt dies, septimanae, menses et anni, quales in mundo, sed sunt illis mutationes status, ex quibus mensurant successiva (de qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 162–169, ubi De Tempore in Caelo actum est).

876. ***"Et adorate Ipsum qui fecit caelum et terram, et mare et fontes aquarum."***—Quod significet *agnitionem et confessionem Ipsius, a quo omne caeli et ecclesiae, et a quo Divinum Verum seu Verbum*, constat ex significatione "adorare," quod sit agnoscere corde, ita confiteri et colere (de qua supra, n. 790[a], 805[a], 821[a]); ex significatione "caeli et terrae," quod sit ecclesiae internum et externum (de qua etiam supra, n. 304[a,b,e,f], 752); (quod sint caelum et ecclesia quae significantur, est quia internum ecclesiae apud hominem est caelum, est enim illud in conjunctione cum angelis, adeo ut cum illis unum faciat; nam, ut supra dictum est, internum hominis est ad ideam et imaginem caeli formatum, externum autem ad ideam et imaginem mundi: ecclesia vero apud hominem, dum vivit in mundo, est in ejus naturali, quod est externum ejus; at tunc est ecclesia apud hominem in ejus naturali seu externo, dum internum apertum est;

nam non datur ecclesia apud aliquem nisi illi caelum sit intra, unde a Domino sit illustratio et influxus in naturale seu externum quod infra est:) et ex significatione "maris," quod sit Divinum Verum in ultimis, ita Verbum in littera, hoc enim est Divinum Verum in ultimis; quod "mare" id significet, est quia in ultimis caeli apparent sicut maria; est enim Divinum Verum procedens a Domino quod format caelos, et omnia in illis; superiores caeli apparent sicut forent in atmosphaera aetherea, inferiores sicut in atmosphaera aerea, ac infimi sicut in atmosphaera aquea; haec atmosphaera apparet coram oculis e longinquo stantium sicut mare, non autem illis qui ibi habitant: illi qui ibi habitant in ultimis Divini Veri sunt, quod Divinum Verum est quale Verbum in sensu litterae; inde est quod hoc per "mare" significetur (sed de his videantur plura supra, n. 275, 342, 511, 600[a]). Quod "mare" hic significet Verbum in littera, est quia dicitur "mare et fontes aquarum," ac "fontes aquarum" significant Divinum Verum interius, quale est Verbum in sensu spirituali; quod "fons aquarum" id significet, constare potest a locis e Verbo, et ab explicatione illorum, supra (n. 483); quod "fontes aquarum" hic significent Divina vera quae ex Verbo sunt, constare potest ex eo, quod per "caelum et terram" significetur internum et externum ecclesiae, ac utrumque per Divinum Verum seu Verbum, ut dicitur apud *Johannem* (cap. i. 1, 2, 14), formatum est; internum ecclesiae per Divinum Verum spirituale, et externum per Divinum Verum naturale; ideo inter facta a Domino etiam "fontes aquarum" hic recensentur. Ex his et multis aliis constare potest quomodo ideae spirituales, quae sunt angelorum, ab ideis naturalibus quae sunt hominum, differunt; angeli, quibus ideae spirituales sunt, per "adorare Ipsum qui fecit caelum, terram, mare et fontes aquarum," non aliud intelligunt quam agnitionem et confessionem Domini, a quo omne caeli et ecclesiae, et a quo Divinum Verum seu Verbum in sensu naturali et spirituali; causa quod angeli ita illa verba intelligant, est quia caeli, in quibus sunt, qui ad visum apparent prorsus similes nostris terris, sed plenis paradisis, floretis, viretis, non permanentes sunt, sicut terrae nostrae telluris, sed momento existunt prorsus secundum Divini Veri receptionem ab angelis; quare etiam facies omnium

ibi mutantur, sicut mutatur status receptionis, et inde intelligentiae et sapientiae illorum, ita secundum status ecclesiae apud illos; adeo ut sicut est illis ecclesia, ita quoque correspondenter existunt omnia coram visu illorum; quapropter dum "caeli et terra" nominantur, non aliam ideam possunt habere quam ideam ecclesiae, quia inde illis omnia: at vero homines, dum nominatur "caelum et terra," non possunt spiritualem illam ideam habere, quia ignorant illa; sed habent naturalem, quae est secundum visum illorum; vident enim caelum et terram quae permanent, nec secundum receptionem Divini Veri et inde ecclesiae, ut in caelis angelicis, mutantur; quare per "caelum" non aliud intelligunt quam caelum aspectabile, et per "terram" non aliud quam terram ab hominibus habitatam. Status caeli et terrae secundum statum ecclesiae repraesentabatur apud filios Israelis per quod facies terrae Canaanis, ubi habitabant, mutarentur secundum status ecclesiae apud illos; verum modo quoad proventus, nempe messis, olei, vitis, fructuum, et quoad pluvias; sed hoc factum est quia omnia apud illos repraesentativa caelestium fuerunt: inde est, quod toties in Verbo dicatur quod "terra dabit proventus suos," si custodirent statuta et facerent illa; aliter vero hodie, quando a Domino aperta sunt interiora ecclesiae, et externa, quae erant representativa interiorum, cessaverunt. Ex his quoque patet quae differentia est inter ideas angelorum et ideas hominum de novo caelo et de nova terra; angeli enim ex suis ideis percipiunt interitum caelorum et terrarum in mundo spirituali, homines autem interitum caelorum et terrarum in mundo naturali; etiam secundum praedictiones perierunt caeli et terrae in mundo spirituali super quibus fuerunt illi qui in externis vitam moralem vixerunt, et non ex internis simul spiritualem; sed de his videantur plura in opusculo *De Ultimo Judicio*.

VERSUS 8.

877. ***"Et alius angelus secutus est, dicens, Cecidit, cecidit Babylon, urbs illa magna, quia ex vino irae scortationis suae potavit omnes gentes."***

8. ***"Et alius angelus secutus est,"*** significat *manifestationem a Domino* [n. 878]; ***"dicens, Cecidit, cecidit, Babylon,"*** significat *damnationem et destructionem illorum qui Divinam Domini potestatem in se transtulerunt* [n. 879]; ***"urbs illa magna,"*** significat *devastationem et destruc-*

tionem quoad omnia doctrinae apud illos [n. 880]; ***"quia ex vino irae scortationis suae potavit omnes gentes,"*** significat *adulterationem omnium boni caeli et ecclesiae per dira falsa mali* [n. 881].

878. [*Vers.* 8.] ***"Et alius angelus secutus est."***—Quod significet *manifestationem a Domino*, constare potest ex illis quae supra de "angelo volante in medio caeli" dicta sunt; ubi etiam per "angelum" significatur manifestatio a Domino. Quod alius angelus nunc visus sit, est quia per priorem manifestatio facta est de adventu Domini, ac de separatione bonorum a malis, et per hunc manifestatio facta est de instante ultimo judicio.

879. ***"Dicens, Cecidit, cecidit Babylon."***—Quod significet *damnationem et destructionem illorum qui Divinam Domini potestatem in se transtulerunt*, constat ex significatione "Cecidit, cecidit," quod sit quod damnati et prorsus destructi sint; et ex significatione "Babylonis," quod sint qui Divinam Domini potestatem in se transtulerunt. Dicitur, "Cecidit, cecidit," quia de Babylone ut urbe; sed cum per "Babylonem" intelliguntur illi qui Divinam Domini potestatem in se transtulerunt, et per "urbem magnam" omnia doctrinae illorum, tunc per "cadere" significatur destrui; sic vertitur "cadere" in *destrui*, secundum praedicationem subjecti. Quid "Babylon" in genere et in specie significat, infra (ad cap. xvii. et xviii.), ubi de Babylone et ejus destructione agitur, dicetur. Agitur in hoc versu de Babylone, et in quatuor sequentibus de bestia draconis, ac postea ad finem hujus capitis de devastatione ecclesiae in genere: causa quod de Babylone et de draconis bestia agatur, est quia in sequentibus de devastatione ecclesiae primum in genere, et postea in specie agitur, et demum de ultimo judicio. Sed de devastatione ecclesiae haec praemittenda sunt:—Omnis ecclesia in principio suo est in amore faciendi bona, et in amore sciendi vera; at temporis tractu devastatur illa quoad bona et quoad vera, usque adeo ut amplius non sit aliquod bonum nec aliquod verum in ecclesia. Devastatur primum per amorem imperandi per sancta, et successive super animas hominum, et tandem super caelum, et super Ipsum Dominum; hoc in *Apocalypsi* describitur per "Babylonem," et per "meretricem sedentem super bestia coccinea": secundo devastatur per fidem separatam a charitate, ita a bonis vitae, et tan-

dem per solam fidem, in qua nihil veri est; hoc in *Apocalypsi* describitur per "draconem" et per "binas ejus bestias." Illa duo sunt in quae primitiva ecclesiae, quae, ut dictum est, fuerunt amor faciendi bona et amor sciendi vera, desinunt; in quae cum desierunt, ecclesia devastata est: amor faciendi bona mutatur successive in amorem faciendi mala, quae vocant bona; et amor sciendi vera, in amorem sciendi falsa, quae vocant vera. Apud illos qui per "Babylonem" describuntur, omne bonum ecclesiae adulteratur, et inde quoque omne verum ejus, nam unum sequitur alterum; apud illos autem qui per "draconem" describuntur, falsificatur omne verum ecclesiae, et inde quoque omne bonum ejus, unum enim sequitur alterum: hoc fit apud Reformatos, qui solam fidem pro essentiali ecclesiae acceptarunt; illud apud Pontificios, qui dominium super sancta caeli essentiale ecclesiae fecerunt. Sed quomodo sola fides devastavit ecclesiam, supra ostensum est, ubi de "dracone" et de "binis ejus bestiis" actum est; at quomodo dominium super sancta caeli ecclesiam devastavit, infra, ad caput xvii. et xviii. dicetur. Ex his nunc constare potest, unde est quod in hoc versu dicatur de "Babylone," in quatuor sequentibus de "bestia draconis," et inde ad finem hujus capitis de devastatione ecclesiae in genere, ac postea (cap. xv. et xvi.) de devastatione ecclesiae in specie.

880. ***"Urbs illa magna."***—Quod significet *devastationem et destructionem quoad omnia doctrinae apud illos*, constat ex significatione "cadere," cum de urbe, quod sit devastari et destrui (ut mox supra, n. 879); et ex significatione "urbis," quod sit doctrina cum omnibus ejus (de qua supra, n. 223): dicitur "urbs magna," quia significatur doctrina plena malis et inde falsis, nam "magnum" praedicatur de bono, et in opposito sensu de malo (videatur n. 336[a], 337). Quod "Ceciderit Babylon, urbs illa magna," significat quod apud illos, qui per "Babylonem" intelliguntur, devastata sint omnia bona et vera, tum quod illi tempore ultimi judicii prorsus destruendi sint; quod etiam destructi sint, et quod urbs illorum magna, quae ad meridiem et quae ad septentrionem sitae sunt, prorsus eversae fuerint, et illi qui ibi, in inferna conjecti, constat ex illis quae in opusculo *De Ultimo Judicio*, et ibi de Babylonia, memorata sunt:

inde constat, quod per "Cecidit, Cecidit Babylon urbs illa magna," intelligantur duo, nempe devastatio ecclesiae illorum quoad omnia bona et vera in mundo, tum etiam interitus illorum tempore ultimi judicii. Creditur quod per destructionem Babyloniae intelligatur destructio illius religionis in mundo; at non intelligitur destructio ejus in mundo, sed intelligitur devastatio ejus ibi quoad omnia bona et vera caeli et ecclesiae, ita destructio illorum qui Divinam potestatem Domini in se transtulerunt, et illam ex amore sui exercuerunt quoad animas, proinde quoad vitam aeternam; nam religio illa usque permansura est apud illos qui in eo amore perstant, et ex illo agunt: et quia illa destructio intelligitur, quae est devastatio ecclesiae, ideo etiam intelligitur destructio illorum post vitam in mundo in particulari et in communi; in particulari damnatio omnium ex illis qui tales ex illa religione fuerunt, et in communi destructio omnium qui tales fuerunt, per ultimum judicium.

881. ***"Quia ex vino irae scortationis suae potavit omnes gentes."***—Quod significat *adulterationem omnium boni caeli et ecclesiae per dira falsa mali*, constat ex significatione "vini," quod sit verum ex bono, et in opposito sensu falsum ex malo (de qua supra, n. 376); ex significatione "irae," quod sit malum in omni complexu, et inde odium contra bonum et verum, ac cupiditas destruendi illa (de qua etiam supra, n. 693, 754); ex significatione "scortationis," quod sit falsificatio veri (de qua etiam supra, n. 141, 161); et ex significatione "potare omnes gentes," quod sit adulterare bona, "potare" enim significat imbuere, et "gentes" significant illos qui in bono amoris et vitae sunt, et abstracte a personis bona; (quod "bibere" et "potare" significet imbuere et appropriare, videatur supra, n. 617[*a,c–e*]; et quod "gentes" significent illos qui in bono amoris et vitae sunt, et abstracte bona ecclesiae, n. 175, 331, 625;) quod per "potare omnes gentes" hic significetur adulterare bona Verbi et inde ecclesiae, est quia per "vinum irae scortationis" significatur falsificatio veri, et falsificatum verum adulterat bonum: sed quomodo falsificant omnia vera Verbi, et sic adulterant omnia bona ejus, dicetur in explicatione capitum xvi. et xvii., ubi de Babylone agitur. Ex his nunc constare potest quod per "ex vino irae scortationis suae potaverit omnes gentes" significetur adulteratio omnium

boni caeli et ecclesiae per dira falsa mali. Falsa mali dicuntur, quia omnia falsa oriunda ex amore imperandi propter se et sui eminentiam sunt falsa mali, et secundum illum amorem dira.

VERSUS 9–12.

882. *"Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magna, Si quis bestiam adoraverit, et imaginem ejus, et acceperit characterem super fronte sua, aut super manu sua. Et ille bibet ex vino irae Dei mixto mero in poculo excandescentiae Ipsius, et cruciabitur igne et sulphure coram sanctis angelis et coram Agno. Et fumus cruciatus illorum ascendet in saecula saeculorum, et non habebunt requiem diu et noctu adorantes bestiam et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus. Hic patientia sanctorum est; hic custodientes mandata Dei et fidem Jesu."*

9. *"Et tertius angelus secutus est illos,"* significat *manifestationem a Domino adhuc* [n. 883]; *"dicens voce magna,"* significat *validam exhortationem et denuntiationem* [n. 884]; *"si quis bestiam adoraverit et imaginem ejus,"* significat *ne agnoscant religiosum de fide separata a vita, et doctrinam ejus* [n. 885]; *"et acceperit characterem super fronte sua aut super manu sua,"* significat *receptionem et agnitionem pro ecclesiae bonis aut pro ecclesiae veris* [n. 886].

10. *"Et ille bibet ex vino irae Dei mixto mero in poculo excandescentiae Ipsius,"* significat *appropriationem falsi et inde mali, conjuncti cum falsificatis veris sensus litterae Verbi* [n. 887]; *"et cruciabitur igne et sulphure coram sanctis angelis et coram Agno,"* significat *quod infernum eorum sit ex amore mali et falsi, dirum secundum falsificationem et inde rejectionem Divini Veri ac Divini Boni, ita Verbi* [n. 888].

11. *"Et fumus cruciatus illorum ascendet in saecula saeculorum,"* significat *densum falsum obstipans illos, et profluens ex amoribus illorum continue* [n. 889]; *"et non habebunt requiem diu et noctu,"* significat *infestationem continuam a malis et inde falsis* [n. 890]; *"adorantes bestiam et imaginem ejus,"* significat *qui agnoscunt religiosum de fide separata a vita et doctrinam ejus* [n. 891]; *"et si quis acceperit characterem nominis ejus,"* significat *receptionem et agnitionem qualitatis ejus secundum descriptionem supra* [n. 892].

12. *"Hic patientia sanctorum est,"* significat *persecutiones et tentationes illorum qui non in illa fide sunt, sed in charitate* [n. 893]; *"hic custodientes mandata Dei,"* significat *quod hi sint qui vivunt secundum praecepta Domini in Verbo* [n. 894]; *"et fidem Jesu,"* significat *implantationem veri a Domino*[, *et agnitionem Ipsius*] [n. 895].

883. [*Vers.* 9.] *"Et tertius angelus secutus est illos."*—Quod significet *manifestationem a Domino adhuc*, constat ex illis quae de binis angelis supra (n. 869 et 878) dicta sunt, quod sint manifestationes a Domino de adventu Ipsius, et de separatione bonorum a malis die ultimi judicii; hic vero de illis qui per "draconem" et "ejus bestiam" intelliguntur, qui sunt qui fidem a bonis operibus doctrina et vita separant.

884. ***"Dicens voce magna."***—[Quod] [1]significet *validam exhortationem et denuntiationem*, constat ex significatione "vocis magnae," quod sit exhortatio" (ut supra, n. 873); quod sit valida exhortatio quod non permansuri sint in illa haeresi, et simul denuntiatio interitus, constat ex sequentibus, ubi dicitur, "Si quis bestiam adoraverit, ille bibet ex vino irae Dei mixto mero in poculo excandescentiae Ipsius, et cruciabitur igne et sulphure," praeter plura.

885. ***"Si quis bestiam adoraverit, et imaginem ejus."***—Quod significet *ne agnoscant religiosum de fide separata a vita et doctrinam ejus*, constat ex significatione "bestiae," quod sit religiosum de fide separata a vita (de qua sequitur); ex significatione "adorare," quod sit agnoscere et credere (de qua supra, n. 790[a], 805[a], 821[a]); et ex significatione "imaginis ejus," quod sit doctrina illius religiosi, et ordinatio statuta quod prorsus talia docerentur et crederentur (de qua supra, n. 827[a]). Per "bestiam," quam et cujus imaginem non adorabunt, intelligitur "bestia quae ascendebat ex mari" (de qua in capite praecedente, vers. 1), per quam significantur ratiocinia e naturali homine confirmantia separationem fidei a vita (de qua supra, n. 774); quod illa bestia intelligatur, patet a praecedentis capitis versu 14; per alteram autem "bestiam," quae visa est "ascendere e terra," significantur confirmationes ex Verbo pro separatione illa (de qua supra, n. 815[a]). Quod priorem "bestiam et ejus imaginem non adorarent," et quod, qui adorarent, "cruciarentur igne et sulphure," est quia loca Verbi pro confirmanda separatione fidei a bonis operibus, adducta, absque ratiociniis ex naturali homine, non falsum et malum implantant, sed ex ratiociniis, nam ratiocinia falsificant illa; nihil enim quod in Verbo est, absque ratiociniis e naturali homine, falsificari potest; quomodo ratiocinia falsificaverunt Verbum, supra multis ostensum est. Quod ita sit, imprimis constare potest in ecclesiis in quibus sola fides pro essentiali medio salutis recepta est, quod prorsus aliter doceant qui ex sua doctrina et inde ex Verbo, et aliter qui ex Verbo et non simul ex sua doctrina. Qui ex sua doctrina et inde ex Verbo docent, illi falsificant omnia Verbi; at qui ex Verbo et non simul ex sua doctrina, illi non falsificant: causa est, quia doctrina plena est ratiociniis, tametsi ratiocinia non ita apparent, sed Verbum absque ratiociniis est: inde

est quod a multis in illis ecclesiis doceatur fides conjuncta vitae, et vita conjuncta fidei; ab aliis autem fides separata a vita; hoc fit ab eruditis qui docent ex doctrina, illud ab eruditis et non eruditis qui docent ex Verbo; sic in contrarium eunt: sed usque defensores doctrinae etiam id permittunt, verum ex causa quia Verbum manifeste docet vitam ac fidem secundum vitam, et quia simplices non aliter doceri possunt quam secundum sensum Verbi exstantem; et quidam quia ipsi veritati non aperte resistere possunt, veritas enim latenter operatur et persuadet, nam e caelo apud unumquemvis influit, ac recipitur ab illis qui non male vivunt, et qui non multis confirmaverunt solam fidem ex pueritia, et tunc ex fastu eruditionis prae aliis, imprimis in dogmate justificationis per illam, in quo ponunt gloriam eruditionis superioris: hi tamen usque corde aliter cogitant dum audiunt confirmationes ex Verbo pro vita ab aliis; cogitant enim quod sola fides in se contineat opera, et quod conjuncta sint secundum dogma justificationis, tametsi illud, sicut a multis docetur, plus separat opera a fide quam conjungit illa cum fide, immo removet illa ut non justificantia, quantum illis aliquid ab homine seu a voluntate ejus inest. Quod prorsus aliter doceatur in ecclesiis ubi sola fides recepta est, dum ex Verbo, quam dum ex doctrina, confirmari potest ex multis, ut in Ecclesia Anglicana, et in Ecclesia Lutherana. Notum est quod doctrina Ecclesiae Anglicanae doceat solam fidem, et quod praedicatores artificiose, ingeniose et eleganter adjungant ei opera, sicut recondita in fide, et quod ex fide percipiant aliquid conatus, sicut affectionis ad bonum faciendum; illi imprimis qui ad tertium aut quartum gradum per solam fidem justificati sunt; et quod illi apud quos sola fides ad illum gradum non operationem habuit, usque salventur, quia in fide latet bonum vitae reconditum, sicut in semine fructus facultas productionis: sed quod haec sint fetus animi gloriantis et se jactantis ex superiore eruditione ac ingenio prae aliis, supra in explicationibus capitum duodecimi et tertii decimi ostensum est. Quod in Ecclesia Anglicana prorsus aliter doceatur dum ex Verbo, et non simul ex doctrina, ad confirmationem velim adducere id quod in ecclesia illa quovis die festo docetur, et ab illis legitur qui Sanctam Caenam obeunt; quae sunt sequentia:—

"The way and means thereto is, first, to examine your lives and conversations by the rule of God's commandments, and wherein soever ye shall perceive yourselves to have offended, either by will, word or deed, there to bewail your own sinfulness, and to confess yourselves to Almighty God with full purpose of amendment of life; and if ye shall perceive your offences to be such as are not only against God, but also against your neighbors, then ye shall reconcile yourselves unto them, being ready to make restitution and satisfaction according to the uttermost of your power, for all injuries and wrongs done by you to any other, and being likewise ready to forgive others that have offended you, as ye would have forgiveness of your offences of God's hand; for otherwise the receiving of the holy communion doth nothing else but increase your damnation. Therefore if any of you be a blasphemer of God, a hinderer or slanderer of His word, an adulterer, or be in malice or envy, or in any other grievous crime, repent you of your sins, or else come not to the holy Table; lest after the taking of that holy sacrament the devil enter into you, as he entered into Judas, and fill you with all iniquities, and bring you to destruction both of body and soul."

Hic ne quidem nominatur fides, sed solum docentur opera, ex causa quia illa sunt ex Verbo, et non simul ex doctrina. Etiam Fides Athanasiana, quae in ecclesia illa saepe quotannis in festis coram populo legitur, ac recepta est, quia e Concilio, ut communis doctrina de Trinitate in omnibus ecclesiis Christianis, [1]docet haec de Domino, ac de ultimo judicio ab Ipso:—

"All men shall give account for their own works; and they that have done good shall go into life everlasting, and they that have done evil into everlasting fire. This is the Catholic faith, which except a man believe faithfully, he cannot be saved."

Attende nunc, reflecte et explora, numne illi qui tam ingeniose ex doctrina praedicant, aut similia credunt, includunt talia fidei sicut recondita in illa: et quia credunt quod opera non [2]justificent, et quod nemo possit facere bonum a se quod est bonum, et quod bonum ab homine factum in se meritum habeat, omittunt facere, et credunt quod per reconditam vitam in sola fide, hoc est, in fide separata a bonis operibus, salventur. Sed contestari possum, quod illi qui ita credunt et simul ita vivunt, omnes in infernum veniant; at illi qui secundum praecepta in oratione praeparatoria ad Sanctam Cenam, et secundum Fidei Athanasianae ultima dicta, vivunt, in caelum veniant; hi etiam fidem habent, illi autem non habent, utcunque putent quod habeant. Dicitur, *qui ex doctrina credunt et simul vivunt*, quia plures, imprimis simpliciores, ex doc-

trina credunt, sed usque non simul ita vivunt, et hi salvantur. Simile est in Ecclesia Lutherana; ibi etiam in contrarium eunt illi qui ex doctrina et qui ex Verbo docent; qui ex doctrina, prorsus similiter ut in Ecclesia Anglicana de sola fide et de justificatione per illam docent, et tunc a salvationis medio separant et removent opera sicut non bona, et sicut meritoria, et inde non justificantia, quia ab homine; at cum ex Verbo, tunc similiter docent opera; ut constare potest ex illis quae pro communi coetu exstant scripta, et ideo in omnibus libris psalmorum sunt inserta, et vocantur "Obstacula Impaenitentium;" ubi sunt sequentia:

"Sancta Dei voluntas et manifestum Ipsius mandatum est, ut illi qui credunt praestent bona opera; quae cum propter justas causas fiunt, ac verum finem intendunt, quae sunt praecipue propter gloriam Dei, et propter usus proximi, tunc Deo propter Christum accepta sunt, immo ex pura misericordia illa remunerat; adeo ut homo pro omni bono quod facit, remunerationem habeat; dat enim Deus laudem et honorem, ac aeternam beatitudinem, illis qui in patientia per opera student vitae aeternae: quare etiam Deus tam intense spectat ad hominum opera, sicut manifestavit in suo sermone ad septem ecclesias in Asia, et ad omnes homines ubi de ultimo judicio: et ideo Apostolus Paulus his admonitionibus usus est ad exhortandum auditores suos ad bona opera, dicendo, 'Ne defatigemur ad bonum faciendum, quia in suo tempore id messuri sumus absque intermissione' [(*Epist. ad Galatas*, vi. 9)]. Quapropter qui divites sunt in bonis operibus, manifestant per id quod divites sint in fide, quoniam dum fides viva est, operatur illa per charitatem: immo fides, quae sola justificat, nusquam est sola et separata, sed secum fert bona opera, sicut bona arbor bonos fructus, sol lucem, ignis calorem, et aqua humiditatem."

Ex his nunc constare potest, quod in ecclesiis illis aliud doceatur ex doctrina et inde Verbo, et aliud ex Verbo dum non simul ex doctrina; et quod illi qui docent et simul vivunt ex doctrina, intelligantur per illos qui "adorant bestiam et ejus imaginem" (de quibus in versibus 9-11, nunc agitur); et quod illi qui docent et vivunt ex Verbo, intelligantur per illos de quibus (in versu sequente 12) dicitur, "Hic patientia sanctorum est, hic custodientes mandata Dei, et fidem Jesu."

886. ***"Et acceperit characterem super fronte sua aut super manu sua."***—Quod significet *receptionem et agnitionem pro ecclesiae bonis aut pro ecclesiae veris*, constat ex illis quae supra (n. 838) explicata sunt, ubi similia verba: per "acci-

pere characterem super fronte" significatur amare illa, et sic agnoscere pro ecclesiae bonis, nam "frons" significat bonum amoris (videatur supra, n. 427), hic agnoscere mala pro bonis; et per "accipere characterem super manu" significatur agnoscere falsa illius fidei pro veris ecclesiae, nam "manus" dicuntur de veris (videatur supra, n. 298); inde patet quod per "accipere characterem super fronte aut super manu," significatur recipere ex agnitione mala doctrinae de sola fide pro bonis ecclesiae, et falsa ejus pro veris ecclesiae. Dicitur, *pro ecclesiae bonis aut pro ecclesiae veris*, quia sunt qui fidem illam, quae per "bestiam" significatur, amant, et sunt qui fidem illam pro ecclesiae vero agnoscunt; hoc faciunt simplices qui illam fidem recipiunt, illud autem eruditi qui gloriantur ex eruditione, quia justificationis gradus in scholis didicerunt, ac inde crediderunt quod prae vulgo saperent; tum etiam illi qui mundo et genio vivunt, et usque per vices de vita aeterna cogitant, nam hi confirmant vitam suam per fidem.

887. [*Vers.* 10.] ***"Et ille bibet ex vino irae Dei mixto mero in poculo excandescentiae Ipsius."***—Quod significet *appropriationem falsi et inde mali, conjuncti cum falsificatis veris sensus litterae Verbi*, constat ex significatione "bibere," quod sit imbuere et appropriare sibi (de qua supra, n. 617[*a,c–e*]); ex significatione "vini," quod sit verum ex bono, et in opposito sensu falsum ex malo (de qua, n. 376); ex significatione "irae," quod sit malum, quia hoc irascitur bono, et vult destructionem ejus (de qua, n. 693, 754); "ira Dei" dicitur, at intelligitur ira contra Deum, sicut pluribus in locis ubi tribuitur Deo ira et excandescentia, et in genere malum (videatur n. 481 fin., 647); hic itaque per "bibere vinum irae Dei" significatur imbuitio et appropriatio falsi et inde mali: quod imbuitio et appropriatio mali fiat per fidem separatam a bonis operibus, est quia dum bona vitae, quae sunt bona opera, separantur sicut non justificantia, ita non salvantia, tunc loco illorum succedunt mala; nam quantum bona recedunt tantum mala intrant, "nemo enim servire potest duobus dominis," nempe malo et bono simul; ex significatione "misceri mero," quod sit conjungi falsificatis veris, de qua sequitur; ex significatione "poculi," quod sit externum continens veri, ita Verbum in sensu litterae ejus; cum enim per "vinum" significatur verum, per "poculum"

significatur continens ejus, et sensus litterae Verbi est continens veri tam naturalis quam spiritualis; (quod "poculum" simile significet quod "vinum," ita contentum, et quod etiam continens, constare potest a locis in Verbo, ubi "poculum," "calix," "scyphus" et "phiala" nominantur, quae in explicatione ad capita xvi. et xvii. sequentia, adducentur:) quia "poculum" significat externum seu continens veri, ita sensum litterae Verbi, et hoc falsificatum est ab illis qui in doctrina et simul vita fidei separatae sunt, ideo dicitur "poculum excandescentiae Dei." Dicitur hic "ira" et "excandescentia" Dei, ut multis aliis in locis in Verbo; ac per "iram" intelligitur amor et cupiditas mali apud hominem, et per "excandescentiam" amor et cupiditas falsi apud illum; nam "ira" dicitur de malo, et "excandescentia" de falso (de qua re videantur aliqua supra, n. 481 fin.). Ex his patet quod per "vinum mixtum mero in poculo excandescentiae Dei" significetur conjunctio cum falsificatis veris sensus litterae Verbi. Quod "misceri mero" significet conjungi falsificatis veris Verbi, est quia per "merum" intelligitur vinum inebrians, et inde quoque inebriatio, proinde in sensu spirituali deliratio in veris per falsa, nam deliratio in veris per falsa est spiritualis inebriatio; vox etiam qua exprimitur "merum" in lingua originali, derivatur a voce quae significat inebriari. Quia hoc significatur per "merum," et illi qui falsificant Verbum spiritualiter inebriati sunt, hoc est, quoad vera delirant, ideo in binis locis ubi in Verbo nominatur "merum," agitur de falsificatione veri, ut apud *Esaiam* et apud *Hoscheam*:—Apud *Esaiam*,

"Quomodo evasit in meretricem urbs fidelis, plena judicio, justitia pernoctabat..; nunc autem homicidae: argentum tuum evasit in scorias, merum tuum mixtum aquis" (i. 21, 22):

per "meretricem" in Verbo ubivis significatur falsificatum verum (videatur supra, n. 141, 161), et per "urbem" significatur doctrina; inde per quod "evaserit in meretricem urbs fidelis," significatur quod doctrina, quae prius fuerat doctrina genuini veri, facta sit doctrina falsificati veri: "plena judicio, justitia pernoctabat," significat ubi verum doctrinae et bonum amoris in copia fuit, nam "judicium" in Verbo dicitur de vero doctrinae et intellectus, et "justitia" de bono amoris et voluntatis; "nunc autem homicidae," significat quod falsificatio exstinxerit intellectum veri et perceptionem boni; (quod haec per "homicidam" significentur, videatur supra, n. [1]589):

"argentum evasit in scorias," significat quod genuinum verum conversum sit in falsum; "merum tuum mixtum aquis," significat verum vile factum et deperditum per falsificationem ejus. Apud *Hoscheam*,

> "Sociatus idolis Ephraim, dimitte eum; recessit [1]vinum eorum, scortando scortari fecerunt, dilexerunt" (iv. 17, 18):

per "Ephraimum" significatur intellectus veri ecclesiae; per "idola" significantur falsa religionis; inde patet quid significatur per quod "sociatus est idolis Ephraim:" "dimitte eum," significat rejectionem falsorum illius religionis ab ecclesia: "recessit [1]vinum eorum," significat quod verum Verbi perierit; "scortando scortari fecerunt," significat falsificationem ejus; "dilexerunt" significat amorem falsi. Ex his nunc patet quid in specie significatur per "merum."

888. ***"Et cruciabitur igne et sulphure coram sanctis angelis et coram Agno."***—Quod significet *quod infernum eorum sit ex amore mali et falsi dirum secundum falsificationem et inde destructionem Divini Veri ac Divini Boni, ita Verbi,* constat ex significatione "cruciari," quod sit infernum; nam sicut dicitur caelum ac intelligitur simul gaudium ibi, ita cum dicitur infernum intelligitur etiam cruciatus ibi, ac vicissim, imprimis per "cruciari igne et sulphure:" ex significatione "ignis," quod sit amor in utroque sensu, nempe amor in Dominum et amor erga proximum, qui sunt amores qui regnant in caelo, ac in opposito sensu amor sui et amor muedi, qui sunt amores qui regnant in inferno (de qua supra, n. 504); et quia ex amore in Dominum et ex amore erga proximum oriuntur omnia bona, ac per amorem sui et amorem mundi oriuntur omnia mala, inde per "ignem" significatur amor omnium boni, et in opposito sensu amor omnium mali; ex significatione "sulphuris" quod sit amor falsi ex malo, proprie concupiscentia destruendi vera boni ecclesiae per falsa mali (de qua n. 578); ex significatione "sanctorum angelorum," quod sint Divina vera a Domino (de qua n. 130, 200, 302, 800); et ex significatione "Agni," quod sit Divinum Humanum Domini; hic Divinum procedens a Domino, quod est Divinum Bonum unitum Divino Vero in caelis; hic itaque Divinum Bonum, quia una cum "sanctis angelis" dicitur, per quos significantur Divina vera a Domino. Quod "cruciari coram

sanctis angelis et coram Agno" significet diritatem inferni secundum falsificationem et inde destructionem Divini Veri et Divini Boni, ita Verbi, est quia diritas inferni seu cruciatus ibi est prorsus secundum illa; quantum enim homo falsificat Verbum tantum occludit sibi caelum, et quantum tunc destruit Divina vera interiora, quae sunt Divina vera in caelis et ex quibus caeli, tantum removetur ille a caelis, et inferius in infernum dejicitur: quod hoc sit "cruciari coram angelis et coram Agno," est quia Verbum in littera per sensum spiritualem communicat cum caelo; ideo quantum id per falsificationem destruitur, tantum falsificator rejicitur e caelo; et quantum quis rejectus est e caelo tantum cruciatur. Quod hic sensus spiritualis illorum verborum sit, constare potest ex eo, quod nemo crucietur in inferno ab angelis et a Domino, ita nec coram angelis et coram Domino; sed a se per falsificationem et inde destructionem Divini Veri, quod significatur per "sanctos angelos," ac Divini Boni quod significatur per "Agnum." Quam infernale et inde quam damnosum sit falsificare Verbum usque ad destructionem Divini Veri ac Divini Boni in caelis, constare potest ex eo, quod omnia sensus litterae Verbi, quae sunt Divina vera pro naturali homine, per sensum spiritualem communicent cum angelis caeli, usque adeo ut homines et angeli caeli per Verbum conjuncti sint; quare sensus litterae Verbi, apud hominem qui falsificat illum, duplici modo percipitur in caelo, nempe ut genuinum Verum, et simul ut id destructum; ut genuinum Verum ex sensu litterae secundum correspondentias, ac ut destructum secundum falsificationes; inde fit quod verum et falsum ut conjuncta simul sistantur, ex quo exacerbantur angeli caeli, et se prorsus avertunt; sic occluditur caelum, ac perit omnis communicatio caeli cum illo homine; inde conjunctio ei fit cum inferno; et quantum quis conjunctus est cum inferno tantum in amore omnis mali et inde falsi est, et ex eo in concupiscentia destruendi vera et bona ecclesiae, et simul tunc in cruciatu; hoc itaque significatur per "cruciari igne et sulphure coram sanctis angelis et coram Agno." Hoc fit praecipue apud illos qui ex sola fide cogitant, et simul ex sola fide vivunt; hoc est, qui confirmant illam fidem apud se et doctrina et vita, ut faciunt imprimis illi qui multum studuerunt con-

firmare illam fidem scriptis et praedicationibus; illi non possunt aliter quam falsificare Verbum usque ad destructionem genuini veri ejus, Verbum enim in omni complexu spectat vitam hominis, ita opera; nam dicit Dominus quod Lex et Prophetae pendeant super binis illis mandatis, nempe ut ament Deum super omnia, et proximum sicut se ipsum; "Lex et Prophetae" significant Verbum in toto complexu, ac "amare Deum et proximum" est facere praecepta; ita sunt opera (videatur supra, n. 826); quae, nempe opera, defensores fidei separatae excludunt; et inde omnia essentialia Verbi, dum illud legunt, rejiciunt; et rejectis essentialibus cetera sunt scoriae, prorsus sicut dum animali vita aufertur, putrescit ejus corpus, amor enim qui idem cum factis est vita ejus. Audivi etiam spiritus, qui, dum in mundo vixerunt homines, solam fidem amplexi sunt, loquentes de Verbo, quod inibi sint Divina vera in copia, dicentes, "Quid mihi cognitiones boni et veri? Quid refert scire aliquid de regeneratione, de remissione peccatorum, de libero arbitrio, de providentia, de amore et charitate, de bonis operibus, et de ceteris, quando fiducia et confidentia solius hujus fidei, quod Dominus pro peccatis nostris mortuus sit, unice salvet, et cum omnia Verbi ad id confirmandum explicanda sunt, et explicari possunt? quoniam omnia quae de 'amore,' de 'bonis operibus,' et de 'facere' ibi dicta sunt, in illa fide inclusa, et sicut thesauri sub terra recondita sunt." Quod tales non possint aliter quam falsificare omnia vera et bona Verbi, dum id legunt et de sensu ejus interius quam alibi cogitant, et id applicant soli fidei, patet.

889. [*Vers.* 11.] ***"Et fumus cruciatus illorum ascendet in saecula saeculorum."***—Quod significet *densum falsum obstipans illos, et profluens ex amoribus illorum continue*, constat ex significatione "fumi," quod sit densum falsum profluens ex infernis ex malis amorum terrestrium et corporeorum qui apud illos qui ibi sunt (de qua supra, n. 539); ex significatione "cruciatus," quod sit diritas inferni, ita infernum (de qua mox supra, n. 888); ex significatione "ascendere," quod sit obstipare et profluere (de qua sequitur); et ex significatione "in saecula saeculorum," quod sit continue; (proprie per "saecula saeculorum" significatur aeternum seu absque fine, sed in sensu spirituali, qui est absque idea temporis, signi-

ficatur status interius regnans continue:) inde patet quod per quod "fumus cruciatus illorum ascendet in saecula saeculorum" significetur, densum falsum obstipans illos et profluens ex amoribus illorum continue. Quod densum falsum obstipet illos et profluat ex illis, sequitur ex eo, quod unusquisque sit suum verum aut suum falsum, quia est suus amor; omnia enim quae homo interius seu in spiritu suo cogitat, est ex amore ejus; et omnia quae homo cogitat, se referunt vel ad vera vel ad falsa; inde est homo vel suum verum vel suum falsum: et quod adhuc arcanum est, homo est suum verum aut suum falsum non solum quoad cogitationes quae ex voluntate ejus sunt, sed etiam quoad universum corpus; nam corpus cum omnibus suis organis, visceribus et membris, est campus in quem cogitationes ex voluntate excurrunt et se effundunt; inde est totus homo quoad omnia ejus, tam interiora quam exteriora, suus amor, et inde suum verum aut suum falsum (de qua re videantur plura, n. 775. 837). Quod verum aut falsum, quae ex amoribus sunt, obstipent hominem, et quoque profluant ex illo, constare potest ex eo, quod omnia quae in mundo sunt, tam animata quam inanimata, effundant a se sphaeram, quae quandoque e longinquo sentitur; ut ex animalibus in silvis, quae canes exquisite odorant, et a gressu in gressum odorando insectantur; tum ex vegetabilibus in hortis et silvis, quae sphaeram odoriferam quaquaversum emittunt; similiter ex humo et ejus variis mineris; sed illae exhalationes sunt exhalationes naturales: similiter fit in mundo spirituali; ex unoquovis spiritu et angelo profluit sphaera amoris, et inde sphaera veri aut falsi ejus, et hoc circumquaque; exinde est quod omnes spiritus cognosci possint quales sunt, solum ex sphaera spirituali exundante ex illis, et quod secundum sphaeras illas conjunctio eis sit cum societatibus, quae similis amoris et inde similis veri aut falsi sunt; illi qui in amore boni et inde veri sunt cum societatibus caeli, et illi qui in amore mali et inde falsi sunt cum societatibus inferni. Asseverare possum quod ne quidem una cogitatio spiritui et quoque homini sit, quae non per sphaeram illam communicat cum aliqua societate: quod ita sit homo adhuc nescit, sed hoc ex mille experientiis in mundo spirituali mihi patuit; quare etiam dum explorantur spiritus quales sunt,

evestigatur quo se cogitationes illorum effundunt, et inde cognoscitur cum quibus societatibus conjuncti sunt, ac ita quales sunt, et quod mali cum societatibus inferni, et boni cum societatibus caeli. Inde quoque mihi patuit, quod sicut oculus quale sui visus accipit ex objectis in mundo naturali secundum determinationes ejus, ita intellectus quale suae cogitationis ex veris, quae sunt ejus objecta, in mundo spirituali, etiam secundum determinationes ejus; et sic quod homo ne minimum cogitet ex se, sed vel ex inferno vel ex caelo, et quod cogitet secundum determinationem affectionum quae sunt amoris ejus; in determinatione residet liberum ejus. Haec dicta sunt, ut sciatur quomodo intelligendum est quod densum falsum obstipet illos et profluat ex illis; falsum quod ab infernis, ubi illi sunt, profluit, manifeste sentitur ab omnibus qui non in falsis sunt, dum super inferna gradiuntur; falsa illa quandoque ad visum apparent sicut fumi ex incendiis aut ex fornacibus, quandoque sicut atri nimbi, quandoque sicut nigrae et fetidae aquae, quandoque sicut tetri odores; sed usque inferna, ne nimium feriant nares, ac noceant interioribus aliorum spirituum, obtecta sunt terris atris, et ubi persuasiones falsi regnant, petris, et in genere glarea ac terra sterili, et sic clausa; sed usque continue transpirant falsa ex malis. Ex his nunc patet unde est quod per "fumos" in Verbo significentur falsa ex malis.

890. ***"Et non habebunt requiem diu et noctu."***—Quod significet *infestationem continuam a malis et inde falsis*, constat ex significatione "non habere requiem," quod sit infestari a malis et inde falsis (de qua sequitur); et ex significatione "diu et noctu," quod sit continue; per "diem" enim et "noctem" non intelligitur dies et nox, sed significatur status illorum, hic quoad infestationem; nam in mundo spirituali non est alicui idea temporis, sed idea status, ut supra aliquoties dictum et ostensum est; etiam per "diem" significatur status falsi illorum, et per "noctem" status mali; homo enim est quoad cogitationem in luce, ita in die, et quoad affectionem in obscuro seu in nocte, ac falsa tum vera sunt cogitationis, ac mali tum bona sunt affectionis. Inde erat super Tentorio nubes interdiu, et ignis noctu; "nubes" significabat verum apud filios Israelis, et "ignis" bonum amoris apud illos. Quod infestationem a malis et falsis, quae

significatur per "non habere requiem," attinet, est quia illi qui in inferno sunt continue detinentur ab amoribus suis, et quoties in illos erumpunt, puniuntur; amores enim illorum sunt odia, vindictae, inimicitiae, et cupiditates malum faciendi, quae illis tam jucunda sunt ut vocari possint ipsa jucunda vitae illorum; quare detineri ab illis est cruciari; quisque namque in gaudio cordis sui est cum in suo amore regnante, proinde vicissim in dolore cordis cum detinetur ab illo: hic cruciatus inferni est communis, ex quo innumeri alii existunt, quos recensere et describere non hujus operis et loci est.

891. ***"Adorantes bestiam et imaginem ejus."***—Quod significet ***qui agnoscunt religiosum de fide separata a vita, et doctrinam ejus***, constat ex illis quae supra (n. 885) explicata sunt, ubi similia verba.

892. ***"Et si quis acceperit characterem nominis ejus."***—Quod significet ***receptionem et agnitionem qualitatis ejus secundum descriptionem supra***, constat ex significatione "accipere characterem," quod sit receptio et agnitio (ut supra, n. 838 et 886); et ex significatione "nominis," quod sit quale alicujus (de qua, n. 102, 135, 148, 676, 696[a], 815[c], 841), hic itaque secundum descriptionem bestiae istius supra (cap. xiii.), talia enim faciunt nomen illorum in mundo spirituali; quisque enim ibi nomen accipit secundum quale ejus, et quale cujusvis ibi exprimitur per vocem linguae spiritualis, quae vox quidem in lingua naturali potest enuntiari, sed usque non intelligi; includit enim plura, quae non per ideas cogitationis naturalis possunt comprehendi, et inde nec per voces loquelae in mundo exprimi: ex his patet quod per "characterem nominis bestiae" significetur agnitio religiosi istius quoad omne quale ejus, quod supra descriptum est.

893. [*Vers.* 12.] ***"Hic patientia sanctorum est."***—Quod significet ***persecutiones et tentationes illorum qui non in illa fide sunt, sed in charitate***, constat ex significatione "patientiae," quod sint tentationes (de qua supra, n. [1]813); quod etiam sint persecutiones, videbitur infra: et ex significatione "sanctorum," quod sint qui in veris ex bono sunt (de qua, n. 204), ita qui in charitate, hi enim in veris ex bono sunt: hi quoque sunt in fide; sed sciunt quod charitas et fides unum agant, sicut bonum et verum, aut sicut voluntas et intellectus, aut sicut affectio et cogitatio; et quia unum agunt, etiam

fides illis est charitas; nam quicquid ex charitate venit in cogitationem, id quia charitatis est, est quoad essentiam charitas, tametsi illa quoad existentiam vocatur fides; nam nihil in cogitatione potest existere, nisi quod sit ex aliqua affectione, et inde est affectionis; haec enim sicut est esse, ita est vita et anima cogitationis: simile est cum charitate et fide; inde sequitur quod fides non dabilis sit nisi ex charitate, tum quod fides prorsus talis sit qualis est charitas (sed de his alibi plura). Quod persecutiones illorum qui in charitate sunt, ab illis qui in fide separata a charitate, attinet, non hodie tales persecutiones sunt quod relegentur et rejiciantur e coetibus orbis Christiani, sed quod ab illis qui in sola fide blasphementur et damnentur; nemo enim potest relegari et rejici, in quocunque regno sit, qui bene vivit, et dicit quod bene vivendum sit ut salvetur; causa est, quia hoc prorsus concordat cum Verbo, et quia quisque ex rationali lumine videt quod bene vivendum sit; at usque ab illis qui [in] sola fide sunt, damnantur sicut qui non salvari possunt, ex causa meriti in bonis operibus, et ex causa operum a se, quae non bona sunt, praeter plura, per quae confirmant justificationem et salvationem per solam fidem; hoc manifestius patet apud illos qui e coetu Moraviano sunt, qui defensores fidei separatae sunt prae aliis, a quibus ita damnantur ut dicant illos non vivos, sed plane mortuos, et omnes rejectos e caelo, qui in vita sua ex religione cogitant de bonis faciendis. Illi qui non ex illo coetu sunt, in ecclesiis ubi opera rejecta sunt ut non media salutis, non ita blasphemant, sed usque sinistre de illis cogitant; imprimis illi qui multis se per scripta, aut per praedicationes, aut per ratiocinationes, in justificationem per solam fidem confirmaverunt; hae persecutiones sunt quae per "patientiam" hic intelligitur; et quoque in capite xii. *Apocalypseos*, per

Quod draco steterit coram muliere futura parere, ut postquam pepererit fetum ejus devoraret; et quod postea persecutus sit mulierem, et post illam ex ore suo ejecerit aquam tanquam flumen, ut illam a flumine absorptam faceret: et quod iratus sit draco contra mulierem, et abiverit facere bellum cum reliquis seminis ejus observantibus mandata Dei, et habentibus testimonium Jesu Christi (vers. 4, 15, 17):

similiter quae de "bestiis" (cap. xiii. 5–7, 15) dicuntur. Quod etiam persecutiones illis sint propter agnitionem et

confessionem Divini Humani in Domino, videbitur in sequentibus. Quod autem tentationes, quae per "patientiam" etiam hic intelliguntur, concernit, sunt tentationes spirituales quas subeunt illi qui genuinam charitatem a Domino recipiunt; pugnare enim debent contra mala, quae cuivis homini ex nativitate insunt, et quidam contra falsa quae a pueritia ex magistris et praedicatoribus de sola fide hauserunt; haec falsa et illa mala per pugnas tentationum removentur. Hoc intelligitur per "crucem" in sequentibus,

> Jesus dixit, "Quisquis non suscipit crucem suam, et sequitur post Me, non est Me dignus" (*Matth.* x. 38; *Luc.* xiv. 27);
> "Jesus dixit discipulis suis, Si quis vult post Me venire, abneget se ipsum, tollat crucem suam, et sequatur Me" (*Matth.* [1]xvi. 24; *Marc.* viii. 34; *Luc.* ix. [2]23).

in his locis per "crucem" intelliguntur tentationes, et per "sequi Dominum" intelligitur agnoscere Divinum Ipsius, et facere praecepta Ipsius; quod hoc per "sequi Dominum" intelligatur, videatur supra (n. 864). Quod per "crucem" intelligantur tentationes, est quia mala et inde falsa, quae homini ex nativitate adhaerent, infestant et sic cruciant illos qui naturales sunt dum spirituales fiunt; et quia mala et inde falsa illa, quae infestant et cruciant, non discuti possunt quam per tentationes, inde per "crucem" illae significantur: ideo dicit Dominus quod "abnegaturi sint se ipsos, suscepturi crucem suam," hoc est, quod rejecturi sint propria; "crux sua" est hominis proprium, contra quod pugnaturus est. Et alibi,

> Jesus dixit ad divitem, qui interrogavit Ipsum quid facere deberet ut vitam aeternam hereditaret; dixit illi Jesus, "Praecepta nosti, Non moechaberis, Non occides, Non furaberis, Non eris falsus testis, Non defraudabis, Honora patrem tuum et matrem; ille. .respondens dixit.., Haec omnia custodivi a juventute mea. ....Jesus aspexit illum et amavit illum; dixit tamen illi, Unum tibi deest; abi, quaecunque habes vende, et da pauperibus, ita habebis thesaurum in caelis, veruntamen sequere Me, tollens crucem" (*Marc.* x. 17, [18,] 19-21):

etiam hic per "sequi Dominum," et "tollere crucem," similia significantur quae supra, nempe agnoscere Divinum Domini, et Dominum pro Deo caeli et terrae; nam absque illa agnitione nemo potest abstinere a malis, et facere bonum, nisi a se, et nisi sit meritorium; bonum quod bonum est in se, et bonum non meritorium, est solum a

Domino; quare nisi agnoscatur Dominus, et quod omne bonum sit ab Ipso, non salvari potest: ast antequam aliquis potest facere a Domino, subiturus est tentationes; causa est quia per tentationes aperitur internum hominis, per quod homo conjungitur caelo: nunc quia praecepta facere absque Domino, nemo potest, ideo Dominus dixit, "Unum tamen tibi deest; vende omnia quae habes, et sequere Me, tollens crucem;" hoc est, quod agniturus sit Dominus, et subiturus tentationes: quod "venderet omnia quae haberet, et daret pauperibus," in spirituali sensu significat quod a se abalienaret et rejiceret propria, ita significat similia quae supra, quod abnegaret se ipsum; et per "dare pauperibus" in spirituali sensu significatur charitatis opera facere. Quod ita Dominus locutus sit ad illum, erat quia dives erat, et per "divitias" in spirituali sensu significantur cognitiones boni et veri, et apud illum, qui Judaeus, cognitiones mali et falsi, quia erant traditiones; inde constare potest quod Dominus per correspondentias hic ut alibi locutus sit. Tentationes etiam significantur per "poculum" quod bibituri sunt;

> Jesus dixit ad Jacobum et Johannem, "Non scitis quid petitis; potestisne bibere poculum, quod Ego bibo, et baptismo, quo Ego baptizor, baptizari?...Dixerunt, Possumus; et Jesus dixit illis, Poculum quidem quod Ego bibo bibetis, et baptismo quo Ego baptizor, baptizabimini; sedere vero a dextris meis, et a sinistris meis, non est meum dare, sed quibus paratum est" (*Marc.* x. 38–40):

per "bibere poculum quod Dominus bibit" significatur simile quod mox supra per "crucem," nempe subire tentationes; et per "baptismum quo baptizatus est Dominus," significatur per tentationes regenerari; at inter poculum quod Dominus bibit, et inter poculum quod illi bibituri sunt, est differentia ut inter tentationes Domini et tentationes hominum; tentationes Domini fuerunt gravissimae, et contra omnia inferna, nam Dominus omnia inferna per tentationes in Se admissas subjugavit; at tentationes hominum sunt contra mala et falsa quae ab infernis apud illos sunt, in quibus Dominus pugnat, et non homo nisi contra aliquot dolores; similis est differentia inter baptismum quo baptizabatur Dominus, et baptismum quo baptizabuntur homines, ut inter glorificationem et regenerationem; Dominus per tentationes glorificavit Humanum suum ex

propria potentia, at homines regenerantur non ex propria potentia, sed a Domino, per "baptismum" enim significatur per tentationes regenerari, at per "baptismum Domini" per tentationes glorificare Humanum suum. (Quod per "baptismum" significetur regeneratio et quoque tentatio, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 187–193, seq.: et quod Dominus glorificaverit Humanum suum et id Divinum fecerit, sicut regenerat hominem et illum spiritualem facit, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1725, 1729, 1733, 3318, 3381, 3382, 4286.)

894. ***"Hic*** [1]***custodientes mandata Dei."***—Quod significet *quod hi sint qui vivunt secundum praecepta Domini in Verbo*, constat absque explicatione. In Verbo permultis in locis dicitur quod "custodirent et facerent mandata Dei" et "praecepta Ipsius;" et per "facere praecepta Dei" simile intelligitur quod per "amare Dominum super omnia, et proximum sicut se ipsum:" nam quod homo interius seu ex corde amat, hoc vult, et quod vult hoc facit; et amare Deum est amare praecepta Ipsius, quia illa sunt Dei, usque ut sint Deus. Inde constare potest quam parum sciunt sectatores solius fidei quid sit amor; annuunt vel affirmant quod fides vivat ex amore, et quod fides mortua sit absque amore, et tamen non sciunt quod amor et facta unum sint; dicunt etiam quod in fide sit amor, et tamen ignorant quod in fide non amor sit si non vivatur secundum praecepta Domini in Verbo; et quod exinde et prorsus non aliunde sit aliquis amor in fide, nisi quam amor naturalis, qui non est amare Dominum, nec amare proximum, sed semet et mundum; et hi amores prorsus destruunt fidem, immo falsificant vera, quae genuinae fidei erunt, quae in Verbo sunt.

895. ***"Et fidem Jesu."***—Quod significet *implantationem veri a Domino et agnitionem Ipsius*, constat ex significatione "fidei Jesu," quod sit implantatio veri a Domino (de qua supra, n. 813); quod etiam sit agnitio Domini, est quia implantari vera non possunt nisi agnoscatur Dominus, nempe quod Humanum Ipsius sit Divinum, et quod sit Deus caeli et terrae. Sciendum est quod verum et fides in sua essentia unum sint, quia fides erit veri, ac verum erit fidei; quare antiqui non dixerunt fidem, sed pro fide verum; hodierni autem pro vero dicunt fidem: causa est, quia antiqui non aliud dixerunt esse credendum quam quod videbant verum esse, ita quod intellectu ceperunt; hodierni autem quod credendum sit tametsi non vident seu non intellectu capi-

unt: inde patet quae differentia est inter antiquam fidem et hodiernam, nempe sicut inter id quod videtur et id quod non videtur; at re ipsa verum quod videtur seu intellectu capitur non nominanda est fides, sed quod non videtur aut non intellectu capitur; inde est quod angeli in superioribus caelis ne quidem nominare velint fidem, vident enim verum ex amore boni et ex luce veri, quae in illis est a Domino; et dicunt quod fatuum sit fidem habere alicui dicenti quod hoc aut illud credendum sit, et non intellectu capitur, nam hoc foret cogitare ita esse sive verum sit sive falsum; et credere falsum, damnosum est: praeterea quod creditur et non videtur, nec intrat hominem altius quam in memoriam, quod ei non potest appropriari. Inde sequitur quod potius omittenda sit vox fidei, et loco ejus dicenda veritas: sed usque quod creditur, et non videtur, hoc nominari potest fides, sed haec fides est modo scientia; ast ut primum homo fit spiritualis, quod fit dum internum ejus, quod communicat cum caelo, aperitur, tunc scientificum illud quod vocatur fides fit veritas, nam tunc ex luce e caelo videtur. Sciendum est quod omnes angeli et omnes spiritus boni videant vera caeli, sicut oculus corporis videt objecta mundi, nam objecta caeli sunt vera illis qui spirituales sunt; causa est quia intellectus illorum est visus spiritualis illorum. Quod veritas loco fidei nominanda sit, est quia per veritates est omnis intelligentia et sapientia; per fidem autem, imprimis per fidem separatam, est omnis ignorantia, nempe in spiritualibus; quapropter angeli superiorum caelorum avertunt se quando audiunt fidem; causa est, quia mens illorum aversatur quod ab illis cogitatur, nempe quod intellectus captivandus sit sub obedientia fidei; et non videre vera foret exstinguere lucem caeli in qua sunt, et quae apud illos: mirantur etiam quod credatur a quibusdam quod fides intellectualis non sit spiritualis, quando illa fides est veritas; cum fides absque intellectu ejus sit fides historica, quia ab alio, quae in se spectata est modo scientia.

VERSUS 13.

896. ***"Et audivi vocem e caelo dicentem mihi, Scribe, Beati mortui in Domino morientes a nunc; immo dicit Spiritus, ut requiescant ex laboribus suis: opera enim eorum sequuntur cum illis."***

13. ***"Et audivi vocem e caelo dicentem mihi,"*** significat *consolationes a Domino post tentationes* [n. 897]; ***"Scribe,"*** significat *certitudinem* [n. 898]; ***"Beati mortui in Domino morientes a nunc,"*** significat *resurrectionem illorum in vitam aeternam qui antehac vixerunt vitam charitatis, et posthac victuri sunt* [n. 899]; ***"immo dicit Spiritus, ut requiescant ex laboribus suis,"*** significat *quod illis non amplius pugna contra mala et falsa ac infestatio ab illis* [n. 900]; ***"opera enim eorum sequuntur cum illis,"*** significat *quod illis sit vita spiritualis, quae est vita angelorum caeli* [n. 901, 902].

897. [*Vers.* 13.] ***"Et audivi vocem e caelo dicentem mihi."***— Quod significet *consolationem a Domino post tentationes*, constat ex significatione "vocis dicentis," quod sint illa quae sequuntur, quae sunt consolationes post tentationes (de qua infra): et ex significatione "e caelo dicere," quod sit a Domino; quod enim e caelo dicitur, est Divinum Verum, et hoc quidem ab angelis e caelo dicitur, et usque a Domino per angelos; nam angeli, sicut homines, non possunt aliquod verum a se cogitare, nec bonum a se facere, sed a Domino; quapropter per "angelos" in Verbo significantur Divina vera a Domino, ac per "caelum" significatur Dominus. Qui credunt quod angeli immediate creati sint, et in statu integritatis tali ut possint bonum facere a se, maxime falluntur; omnes enim angeli, qui in universo caelo sunt, fuerunt homines, et inde illis propria, qualia sunt hominibus, quae non sunt nisi quam mala; sed quia, dum homines in mundo vixerunt, a Domino regenerati sunt, et inde possunt detineri a malis et inde falsis ac teneri in bonis, et cum detinentur a malis et tenentur in bonis a Domino, tunc videtur sicut in bonis sint a se, sed usque sciunt et percipiunt quod hoc sit illis a Domino, et non a se; inde patet quod universum caelum angelicum, quoad intelligentiam et sapientiam, et quoad affectiones boni et veri, sit Dominus; inde nunc est quod per "vocem dicentem e caelo" significentur talia quae a Domino, hic consolationes post tentationes; et hoc quia in praecedente versu actum est de patientia illorum qui custodiunt mandata Dei et fidem Jesu, et per "patientiam" ibi significantur tentationes. De consolationibus post tentationes, nunc aliquid dicetur: omnes qui a Domino regenerantur tenta-

tiones subeunt, et post tentationes gaudia habent; sed unde tentationes sunt, et post illas gaudia, quae hic intelliguntur per consolationes, in orbe adhuc nescitur, ex causa quia pauci sunt quibus sunt tentationes spirituales, quia pauci sunt in cognitionibus boni et veri, et adhuc pauciores qui in conjugio boni et veri, hoc est, in veris quoad doctrinam et simul in bonis quoad vitam, et non alii in tentationes spirituales immittuntur quam illi; quia si alii, illi in tentationibus succumberent; et si succumberent, foret status eorum posterior pejor statu eorum priori. Quod non alii in tentationes spirituales possint immitti quam qui in conjugio boni et veri sunt, est genuina causa, quia mens spiritualis, quae proprie est internus homo, non apud alios aperiri potest, nam cum illa mens aperitur, tunc tentationes existunt: causa est, quod caelum, hoc est, Dominus per caelum, per mentem spiritualem hominis influat in mentem naturalem ejus; non alia est via caeli, hoc est, Domini per caelum in hominem; et cum caelum influit, tunc removet obstantia, quae sunt mala et inde falsa, quae in naturali mente seu in naturali homine resident; et illa non removeri possunt quam per vivam agnitionem illorum ab homine, et dolorem animae propter illa: inde est quod in tentationibus sint homini angores ex malis et falsis in cogitationem exsurgentibus; et quantum tunc homo agnoscit sua peccata, se reum facit et supplicat de liberatione, tantum tentationes ei conducunt. Ex his patet quod homini tentatio spiritualis sit, dum internum ejus, quod vocatur mens spiritualis, aperitur, ita dum homo regeneratur. Quando itaque mala et falsa hominis remota sunt, tunc tentationes peractae sunt, et illis peractis influit gaudium per caelum a Domino, et illius mentem naturalem implet; hoc gaudium est quod intelligitur hic per "consolationes:" has consolationes accipiunt omnes qui tentationes spirituales subeunt; ab experientia loquor. Quod homo post tentationes gaudia accipiat, est quia homo post illas admissus est in caelum; nam homo per tentationes conjungitur caelo, et immittitur in illud; inde ei gaudium simile quod est angelis ibi.

898. *"Scribe."*—Quod significet *certitudinem*, constat ex significatione "scribere," quod sit certitudo; nam quod e caelo dicitur, et mandatur ut scribatur, id est sicut quod

subscriptum est, ita verum et inde certum; hic, quod consolationes habituri sint, et beati futuri, qui tentationes spirituales patiuntur. Quod "scribere" significet certitudinem, est quia scriptio est ultimus actus cogitationis et inde sermonis, ac ita certum, quia terminatum: se habent haec sicut omnia quae homo vult, cogitat et inde loquitur, et non terminat illa per facere; illa nondum sunt in vita hominis, nam deest ultimum, in quo priora coexistant. Quod per "scribere" inde significetur inscribere vitae, videatur supra (n. 222).

899[*a*]. ***"Beati mortui in Domino morientes a nunc."***— Quod significet *resurrectionem illorum in vitam aeternam, qui antehac vixerunt vitam charitatis, et posthac victuri sunt*, constat ex significatione "mortuorum in Domino," quod sint qui resurgunt in vitam aeternam (de qua sequitur); et ex significatione "mortuorum" et "morientium a nunc," quod sit resurrectio illorum qui vitam charitatis antehac vixerunt, et posthac vivunt; nam haec dicuntur de illis qui "custodiunt mandata Dei et fidem Jesu," qui sunt qui vivunt secundum praecepta Domini in Verbo, et agnoscunt Divinum Ipsius, ita qui vitam charitatis vivunt a Domino (videatur supra, n. 894, 895). Quod dicatur "a nunc," est quia intelliguntur qui illam vitam vixerunt antehac, et illam vivunt posthac; qui illam vitam vixerunt antehac, illi reservati sunt a Domino infra caelos, ac tutati ab infestatione ab infernis, usque ad ultimum judicium, quo peracto, exsuscitati sunt e locis suis, et elevati in caelum; quod non prius, fuit causa, quia ante illud praevaluerunt inferna, erat superpondium ab illorum parte; at post illud praevaluerunt caeli, et sic erat superpondium ab horum parte: per ultimum enim judicium, omnia tam in infernis quam in caelis in ordinem redacta sunt; quare si prius elevati fuissent, non potuissent resistere potentiae in qua inferna fuerunt prae caelis. Quod elevati sint, datum est videre; ex inferiore enim terra, ubi reservati sunt a Domino, vidi phalanges resurgentes et elevatos, ac translatos in societates caelestes; hoc factum est post hoc ultimum judicium, de quo in opusculo *De Ultimo Judicio* actum est. Simile factum est post prius judicium, quod a Domino cum fuit in mundo peractum est, de quo etiam in eodem opusculo. Hoc arcanum est quod intelligitur per resurrectionem illo-

rum qui antehac vitam charitatis vixerunt: hoc quoque intelligitur per haec verba apud *Johannem*,

> "Nunc judicium est mundi hujus, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras: Ego vero si exaltatus fuero e terra, omnes traham ad Me Ipsum" (xii. 31, 32):

et hoc repraesentatum est per

> Quod multi dormientes sancti suscitati sint, "et exeuntes e monumentis suis post resurrectionem" Domini "ingressi sint in sanctam urbem, et apparuerint multis" (*Matth.* xxvii. 52, 53):

sed de hac re plura dicentur, ubi de resurrectione seu morte prima et secunda in sequentibus in *Apocalypsi*. Quod per "beatos mortuos" et "morientes," etiam intelligantur illi qui in vitam resurrecturi sint posthac, qui sunt qui charitatis vitam vivunt, constare potest ex eo, quod dicatur, "a nunc," tum quod "mortui" et "morientes;" quare "a nunc" se refert non modo ad hos qui post ultimum judicium tales sunt, sed etiam ad illos qui antehac tales fuerunt, de quibus mox supra. Quod "mors" significet resurrectionem, et quod inde "mortui" significent resurgentes in vitam aeternam, est quia "mors" significat infernum, et inde mala et falsa, et haec moritura sunt ut homo vitam spiritualem accipiat; nam antequam illa mortua et exstincta sunt, non homini est vita spiritualis, quae est quae intelligitur in Verbo per "vitam," per "vitam aeternam," et per "resurrectionem;" quare per "mori" hic et alibi in Verbo intelligitur exstinctio vitae propriae, quae in se spectata unice ex malis et inde falsis consistit; et quia dum illa vita exstincta est, loco ejus intrat vita spiritualis, inde per "mortuos in Domino" illi qui spirituales facti sunt a Domino, significantur. Praeterea in spirituali sensu per "mori" potest intelligi resurrectio, quia angeli, qui in spirituali sensu Verbi sunt, non sciunt aliquid de morte naturali, qualis est hominibus qui decedunt, sed de morte spirituali, qualis est illis qui per tentationes a Domino regenerantur, apud quos domantur et morti dantur mala et inde falsa. Est quoque mors naturalis non aliud quam resurrectio, quoniam cum corpus moritur homo quoad spiritum suum resurgit, et sic est mors modo continuatio vitae ejus; nam homo per mortem a vita in mundo naturali transcendit in vitam in mundo spirituali, cum differentia solum quod vita in mundo naturali sit vita exterior et imperfectior, vita

autem in mundo spirituali est vita interior et perfectior, sed usque utrobivis ad apparentiam similis, ut constare potest ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno* ex auditis et visis memorata sunt.

[*b*.] Ex his constare potest quod per "mortem" significetur et mors spiritualis, quae est damnatio, et quoque resurrectio in vitam, quae est salvatio. Quod per "mortem" significetur damnatio, videatur supra (n. 186, 383, [1]427[*a*], 694); quod per "mortem" significetur resurrectio in vitam aeternam ac salvatio, constare potest a sequentibus locis:—Apud *Johannem*,

> "Jesus..dixit, Ego sum resurrectio et vita; qui credit in Me, etsi moriatur vivet; et omnis qui vivit, [et credit in Me,] non morietur in aeternum" (xi. 25, 26):

"Ego sum resurrectio et vita," significat quod ab Ipso et resurrectio et vita sit, et non ab alio: "qui credit in Me," significat qui credit Divinum Ipsius, ac Ipsum omnipotentem et solum Deum; et quia nemo hoc credere potest, quam qui charitatis vitam vivit, ideo hoc etiam per "credere in Ipsum" intelligitur: "etsi moriatur vivet," significat tametsi obit naturaliter, quod usque resurget in vitam: "et omnis qui vivit, et credit in Me, non morietur in aeternum," significat, quod qui reformatus est, non spiritualiter morietur, hoc est, damnabitur, sed in vitam aeternam resurget: inde patet quod per "mori" non intelligendum sit mori, sed resurgere in vitam. Apud eundem,

> "Patres vestri comederunt mannam in deserto, et mortui sunt; hic est panis, qui e caelo descendit, ut quis ex eo comedat, non morietur" (vi. 49, 50, 58):

per "mannam," quam filii Jacobi in deserto comederunt, quoad illos, quia naturales erant, intelligitur cibus naturalis; et per "panem qui e caelo descendit," intelligitur cibus spiritualis, qui a solo Domino; et quia a solo Ipso, in supremo sensu per "Panem" intelligitur Ipse, quare etiam dicit, "Ego sum Panis vitae:" est enim Divinum Bonum unitum Divino Vero procedens a Domino, ex quo vita spiritualis est angelis, et quoque hominibus; quare per illa verba in spirituali sensu intelligitur, quod qui solum naturaliter ex Verbo se nutriunt, mortui sint, hoc est, damnati, ut fuerunt filii Jacobi, quod etiam significatum est per quod

omnes in deserto mortui sint; qui autem spiritualiter se nutriunt ex Verbo, quod non damnationi obnoxii futuri sint, quod intelligitur per quod "non morientur;" inde patet quod non mori intelligatur sed resurrectio in vitam, quia "mors," si non est mors, est vita. Apud eundem,

> "Si quis Verbum meum servaverit, mortem non videbit in aeternum" (viii. 52, [1]53):

per "servare verba" Domini, significatur vivere secundum praecepta Domini; "non videre mortem" significat non damnationem, sed vitam in quam homo resurgit et ingreditur per mortem. Apud eundem,

> Jesus dixit, "Amen dico vobis, quod qui Verbum meum audit, et credit Ipsi qui misit Me, habeat vitam aeternam, et non in judicium veniat, sed transcendat a morte in vitam" (v. 24):

per "audire Verbum Domini, et credere Ipsi qui misit Ipsum," intelliguntur similia quae supra, nam Dominus per "Patrem" intellexit Divinum quod fuit in Ipso ex conceptione, ita Se Ipsum; "non in judicium venire," significat non damnari; "transcendere a morte in vitam," significat resurrectionem et vitam in caelo; "a morte" non solum significat a morte naturali in vitam aeternam, ita resurrectionem, sed etiam a morte spirituali, quae est damnatio, in vitam aeternam, ita quoque resurrectionem; nam in Verbo est et sensus naturalis et sensus spiritualis. Apud eundem,

> Jesus dixit, "Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita..Filius, quos vult, vivificat" (v. 21):

per "suscitare mortuos et vivificare," non solum intelligitur resurrectio in vitam per mortem naturalem, sed etiam per mortem spiritualem; resurrectio in vitam fit per reformationem et regenerationem, et haec per remotionem et separationem malorum, quae hominem damnant, quae est mors spiritualis. Apud eundem,

> Jesus dixit, "Amen dico vobis, quod veniat hora,...quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui [2]audient, vivent" (v. 25):

per "mortuos" hic significantur qui in malis et inde falsis sunt, sed ab illis per reformationem liberati: quod illi resurrecturi sint, intelligitur per illa verba; hi enim tunc non amplius mortui sunt, sed vivi, nam sunt "qui audiunt

vocem Filii Dei," ita qui vivunt secundum praecepta Ipsius. Similiter apud *Lucam*,

> Quod retribuetur in resurrectione [1]mortuorum ([2]xiv. 14):

per "resurrectionem mortuorum" non modo intelligitur resurrectio illorum qui naturaliter moriuntur, nam hi statim post mortem resurgunt, sed etiam qui spiritualiter, ac vivificati sunt a Domino. Apud *Johannem*,

> Jesus dixit, "Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem" Filii Dei, "et exibunt, qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui..mala fecerunt in resurrectionem judicii" (v. 28, 29):

per haec non intelligitur quod monumenta aperientur et exibunt omnes die ultimi judicii; sed per "monumenta" quae aperientur, intelliguntur loca in inferiore terra, ubi reservati et custoditi sunt a Domino illi qui antehac charitatis vitam vixerunt, ac Divinum Domini agnoverunt, et die ultimi judicii, et post illum, elevati in caelum, de quibus supra in hoc articulo dictum est; haec loca in spirituali sensu per "monumenta" significantur: quod non [3]intelligatur quod monumenta in terra aperienda sint, et quod ex illis die ultimi judicii exituri sint, patet manifeste ex eo, quod omnes homines statim post mortem in spiritualem mundum veniant, ac ibi in forma humana similiter ut in mundo naturali vivant; ita quod resurrectio sit cuivis statim post mortem, resurrectio vitae illis qui bona fecerunt, et resurrectio judicii illis qui mala fecerunt, ut constare potest ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno* ex auditis et visis memorata sunt. Haec repraesentata sunt per

> Quod monumenta aperta sint, et multa corpora dormientium sanctorum suscitata, et quod exeuntes e monumentis suis post resurrectionem Domini ingressi sint in sanctam urbem, et apparuerint multis (*Matth.* xxvii. 52, 53):

quod monumenta tunc aperta fuerint, et quod sancti, qui prius mortui fuerunt, exiverint, et ingressi sanctam urbem multis apparuerint, repraesentabat resurrectionem illorum qui in locis sub caelo a Domino usque ad adventum Ipsius in mundum reservati sunt, et qui post resurrectionem Ipsius inde exempti et in caelum sublati sunt: haec quoque facta sunt, et visa illis qui in Hierosolyma erant, sed usque fuerunt repraesentativa resurrectionis illorum de quibus nunc

et supra dictum est; sicut enim omnia passionis Domini repraesentativa erant, et quoque quod velum in Templo disruptum esset in binas partes, quod terrae commotae, et quod petrae discissae (*Matth.* xxvii. 51), ita haec, quod e monumentis apertis exiverint; quare etiam dicitur quod "in sanctam urbem ingressi sint, et ibi apparuerint;" per Zionem enim, quae hic intelligitur per "sanctam urbem," repraesentabatur adhuc caelum, ubi Dominus per Divinum suum Verum regnat; (de qua "Zionis" significatione, videatur supra, n. 850;) quae urbs una cum Hierosolyma nunc potius profana fuit quam sancta, quare etiam vocatur Aegyptus et Sodoma in *Apocalypsi* (cap. xi. 8); sed "sancta" vocatur propter repraesentationem et inde significationem ejus in Verbo.

[*c.*] Resurrectio a mortuis, tam in naturali quam in spirituali sensu, repraesentata et inde significata est quoque per mortuos quos Dominus resuscitavit,

Ut per resuscitationem Lazari (*Joh.* [1]xi. 11–44);
Per resuscitationem juvenis e Nain (*Luc.* [2]vii. 11–18);
Et per resuscitationem filiae archisynagogi (*Marc.* v. 21 ad fin.).

Omnia enim miracula quae a Domino facta sunt, et quoque omnia miracula quae in Verbo descripta sunt, involvebant sancta caeli et ecclesiae, et inde significabant illa; inde miracula illa Divina erant, et distinguebantur a miraculis non Divinis. Similia significantur per

Quod datum sit discipulis resuscitare mortuos (*Matth.* x. 8).

Regeneratio, quae etiam est resurrectio a mortuis, repraesentata est per vivificationem ossium, apud *Ezechielem* (cap. xxxvii. 1–14); quod regeneratio repraesenta sit per illam, manifeste patet a versibus 11–14 ibi, ubi dicitur,

"Ossa haec tota domus Israelis sunt;....propterea propheta et dic ad illos,....Ecce Ego aperturus sum sepulcra vestra....popule mi, et deducam vos super terram Israelis, ut cognoscatis, quod....dedero spiritum meum in vobis, ut vivatis:"

hic etiam dicitur, quod "aperientur sepulcra," per quod etiam significatur resurrectio in vitam. (Quod "sepeliri" et "sepultura" significent resurrectionem, tum regenerationem, quia rejectionem immundorum, videatur supra, n. 659.) Quod mors naturalis, quae est rejectio immundorum corporis, et mors spiritualis, quae est remotio immundorum spiritus, significent resurrectionem, etiam constat ex sequentibus in *Apocalypsi*, ubi agitur de

morte prima et de morte secunda, quae etiam vocatur resurrectio prima et [1]resurrectio secunda (cap. ii. 11; cap. xxi. 8); tum etiam apud *Davidem*,

"Pretiosa in oculis Jehovae mors sanctorum Ipsius" (Ps. cxvi. 15):

quod "mors sanctorum" non significet damnationem, sed separationem et remotionem immundorum spiritus illorum, ita regenerationem et resurrectionem, patet. Ut et apud *Johannem*,

Jesus dixit, "Nisi granum tritici in terram cadens moriatur, id solum manet; si vero moriatur, multum fructum fert" (xii. 24):

simile etiam est cum homine, qui quoad corpus mori debet, ut resurgat, et quoad proprium suum, quod in se est infernale; nam nisi illud et hoc moritur, non habet homo vitam caeli. Quoniam homines resurgunt post mortem, ideo Dominus voluit mortem subire, et tertio die resurgere; sed propter causam, ut omne humanum, quod ex matre Ipsi fuit, exueret, ac Divinum Humanum indueret; nam omne humanum quod Dominus ex matre suscepit, per tentationes, et demum per mortem, a Se rejecit; ac per induitionem Humani ex ipso Divino, quod fuit in Ipso, glorificavit Se, hoc est, Humanum suum Divinum fecit: inde est quod per "mortem" Ipsius et per "sepelitionem" in caelo non intelligatur mors et sepelitio, sed purificatio Humani Ipsius, et glorificatio: quod ita sit, Dominus docuit per comparationem illam cum tritico cadente in terram, quod "moriturum sit ut fructum ferat:" etiam tale involvit quod Dominus dixit ad Mariam Magdalenam,

"Ne me tange, nondum enim ascendi ad Patrem meum" (*Joh.* xx. 17):

per "ascendere ad Patrem suum" intelligitur unitio Humani sui cum Divino suo, humano ex matre plene rejecto.

900. ***"Immo dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis."***— Quod significet *quod illis non amplius pugna contra mala et falsa, ac infestatio ab illis*, constat ex significatione "dicit Spiritus," quod sit asseveratio quod verum sit, per "angelum" enim significatur verum a Domino, similiter per "Spiritum;" ex significatione "laborum," quod sint pugnae contra mala et falsa, ac infestationes ab illis, ita tentationes (de qua sequitur); inde "requiescere ab illis" significat quod non amplius in illis erunt; inde patet quod per "Dicit

Spiritus, ut requiescant a laboribus suis," significetur quod verum sit quod illis non amplius pugna contra mala et falsa, ac infestatio ab illis. In praecedente versu agitur de tentationibus illorum qui vivunt secundum praecepta Domini, et qui agnoscunt Divinum Ipsius; quare in hoc versu agitur de consolationibus, quae tentationes spirituales sequuntur; nam ut supra (n. 897) dictum est, gaudia post omnes tentationes spirituales existunt. Quod per "labores" intelligantur tentationes, est quia tentationes sunt labores animae, seu labores spirituales. Illae etiam per "laborem" intelliguntur apud *Esaiam*,

> "Jehovah voluit conterere Ipsum, infirmavit; si posuerit reatum animam suam, videbit semen, prolongabit dies, et voluntas Jehovae per manum Ipsius prosperabitur: ex labore animae suae videbit, saturabitur" (liii. 10, 11):

haec de Domino [1]de quo in toto illo capite agitur; tentationes Domini quae gravissimae fuerunt, quia contra inferna, describuntur per quod "Jehovah voluerit conterere Ipsum, infirmavit;" nam per tentationes amores proprii infringuntur, ita corpus conteritur ac infirmatur; "si posuerit reatum animam suam," significat, si tentationes usque ad mortem subiverit; "videbit semen," significat quod Divinum Verum procedet ab Ipso ("semen" est verum, et ubi de Domino, Divinum Verum); "prolongabit dies," significat Divinum Bonum, quod etiam procedet ab Ipso; ("longum" et inde "prolongare" dicitur de bono (videatur supra, n. 629[a]), et "dies" significant status;) "et voluntas Jehovae per manum Ipsius prosperabitur," significat quod sic omnia et singula in caelis et in terris in Divino ordine tenebuntur; "ex labore animae suae," significat per tentationes; "videbit, saturabitur," significat glorificationem: haec per illa verba in sensu supremo, in quo de Domino, significantur; in sensu autem respectivo per eadem describitur salvatio generis humani, pro quo Dominus ex Divino Amore pugnavit. Dicitur, "Si posuerit reatum animam suam," sicut foret dubium quod positurus sit; sed hoc involvit simile quod Ipse dicit apud *Johannem*,

> "Ego pono animam meam, ut rursus accipiam illam; nemo tollit eam a Me, sed Ego pono a Me Ipso; potestatem Ego habeo ponendi eam, et potestatem habeo recipiendi eam: hoc praeceptum accepi a Patre meo" (x. 17, 18):

arcanum quod in his verbis latet, non quisquam videre potest, nisi qui scit quales sunt tentationes, per quas homo regeneratur; homo enim in illis tenetur in suo libero, ex quo apparet illi sicut ex se pugnet; immo in tentationibus est homini liberum spirituale fortius quam extra illas, est enim interius: nisi homo ex eo pugnaret in tentationibus, non poterit spiritualis fieri; omne enim liberum est amoris, quare homo tunc ex amore veri et inde ex amore vitae aeternae pugnat; ita non aliter aperitur internum, et homo regeneratur. Ex his paucis aliquatenus videri potest quid illa verba Domini involvunt, nempe quod ex suo libero pugnaverit, et demum posuerit animam suam, ex causa ut omnia ex propria potentia faceret, et inde ex Semet Ipso Justitia fieret, quod non potuit fieri nisi ex libero Ipsius; inde dicitur, "Ego pono animam a Me Ipso; potestatem habeo ponendi illam, et potestatem habeo recipiendi illam; hoc praeceptum accepi a Patre meo." Qui hoc arcanum non sciunt, illi interpretantur illa verba quemadmodum Ariani, quod non actualis sed adoptivus Filius Dei fuerit; ita quod adoptatus sit quia voluit animam suam ponere, seu mortem crucis subire: non scientes quod illa verba involvant quod ex propria potentia contra inferna ex Humano suo pugnaverit, et illa vicerit, et quod ex propria potentia Humanum suum glorificaverit, hoc est, univerit illud ipsi Divino in Se, et sic illud Divinum fecerit, quod absque absoluto libero relicto Ipsi quoad Humanum nequaquam fieri potuit. Ex his nunc patet cur apud *Esaiam* dicitur, "Si posuerit reatum animam suam." (Quod liberum sit id quod est amoris et voluntatis, et inde vitae hominis, et quod id appareat sicut ejus proprium, videatur in *Doctrina Novae Hiersoloymae*, n. 141, 145. Quod liberum homini esse debeat, ut possit regenerari, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1937, 1947, 2876, 2881, 3145, 3158, 4031, 8700. Quod alioqui amor boni et veri non implantari possit homini, et ei appropriari apparenter ut suum, n. 2877, 2879, 2880, 8700. Quod nihil conjungatur homini quod fit in coacto, n. 2875, 8700. Quod se cogere sit ex libero, non autem cogi, n. 1937, 2881. Quod in omni tentatione sit liberum, sed quod id liberum sit interius apud hominem a Domino, et quod ideo pugnet et velit vincere, et non vinci, quod absque libero non faceret, n. 1937, 1947, 2881. Quod Dominus solus et ex propria potentia contra omnia inferna pugnaverit, et illa vicerit, n. 1692, 1813, 2816, 4295, 8273, [1]9937. Quod inde Dominus Justitia factus est ex Se solo, n. 1813, 2025–2027, 9715, 9809, 10019. Quod tentatio Domini ultima fuerit in Gethsemane et super cruce, et tunc quoque plenaria victoria, per quam subjugavit inferna, et simul glorificavit Humanum suum, n. 2776, 2803, 2813, 2814, 10655, 10659, [2]10828: haec omnia ex *Arcanis Caelestibus*, e quibus plura adhuc collecta videantur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, ubi De Libero Hominis, n. 148, 149: De Tentationibus in genere, n. 196–200: et De Tentationibus Domini, n. 201, 302.)

901. *"Opera enim eorum sequuntur cum illis."*—Quod significet *quod illis sit vita spiritualis, quae est vita angelorum caeli*, constat ex significatione "operum," quod sint vita spiritualis, qualis est angelis caeli (de qua sequitur); et ex significatione "sequi cum illis," quod sit in illis esse; nam quod sequitur cum aliquo, cum dicitur de vita ejus, hoc in illo est, et sicut ille est; quare dicitur "sequi cum illis," et non sequi illos. Quod "opera" significent vitam hominis, est quia faciunt vitam ejus; est enim homini cogitatio, est voluntas, et ex utraque actio; quod in cogitatione hominis est, et non in voluntate, hoc nondum in illo est; quod in cogitatione et in voluntate est, et non in actu, hoc quidem intrat hominem, et incohat vitam [1]ejus, sed usque exit et disparatur, nam nondum terminatum est; at quod in voluntate hominis est et inde in actu, hoc facit vitam ejus, et permanet, sive malum sit sive bonum. Quod sola cogitatio non vitam hominis faciat, constare potest ex eo, quod homo cogitare multa possit quae non vult, quia non amat: quod cogitatio et voluntas hominis absque actu non vitam ejus faciat, est quia non est voluntas certa; et voluntas non certa, est sicut aqua quae evaporatur, nam ab amore ei adversante facile mutatur. Ex his constare potest quod per "opera," quae sunt actus voluntatis, significetur vita hominis. Quod opera, amor, voluntas et actus, ac vita hominis, unum faciant, videatur supra (n. 842).

902. Quoniam hic, ut in pluribus aliis locis in *Apocalypsi*, dicuntur "opera," et hic quod "opera sequantur cum illis," et per hoc significatur vita spiritualis, aliquid dicetur quomodo illa vita comparatur, et quomodo illa per hodiernam fidem destructa est. Vita spiritualis unice comparatur per vitam secundum praecepta in Verbo. Praecepta sunt in summa quae in decalogo, nempe, Non adulteraberis, Non furaberis, Non occides, Non false testaberis, Non concupisces bona aliorum: haec praecepta intelliguntur per praecepta quae facienda; quando enim homo illa facit, tunc opera ejus sunt bona, ac vita ejus fit spiritualis; causa est quia quantum homo mala fugit et odio habet, tantum bona vult et amat. Sunt enim binae sphaerae oppositae, quae circumstipant hominem, una ex inferno, altera ex caelo; ex inferno sphaera mali et inde falsi, ex

caelo sphaera boni et inde veri; ac illae sphaerae [non immediate] afficiunt corpus, sed afficiunt mentes hominum, sunt enim sphaerae spirituales, et inde sunt affectiones quae amoris; homo in medio illarum constitutus est; quantum itaque accedit ad unam, tantum recedit ab altera: inde est, quod quantum homo mala fugit, et odio habet, tantum bona et inde vera velit et amet; nemo enim duobus dominis simul potest servire; nam aut unum odio habebit, aut alterum amabit (*Matth*. vi. 24). At sciendum est quod homo praecepta illa facturus sit ex religione, quia a Domino mandata sunt; si ex alia causa quacunque, ut si solum ex lege civili aut ex lege morali, homo manet naturalis, et non fit spiritualis; nam si homo facit ex religione, tunc corde agnoscit quod Deus sit, quod caelum et infernum sint, et quod vita post mortem sit; si autem, solum ex lege civili et morali facit, tunc potest similia facere, et tamen corde negare quod Deus sit, et quod caelum et infernum ac vita post mortem sint: hic si fugit mala et bona facit, est solum in forma externa, et non in interna; ita est exterius quoad corporis vitam similis Christiano, ac interius quoad spiritus sui vitam similis diabolo. Ex his patet quod homo non possit aliter spiritualis fieri, seu vitam spiritualem accipere, quam per vitam secundum religionem a Domino. Quod ita sit, confirmatus sum ex angelis tertii seu intimi caeli, qui in maxima sapientia et felicitate sunt; hi interrogati quomodo tales angeli facti sunt, dixerunt, quia dum vixerunt in mundo pro nefandis reputaverunt spurcas cogitationes, quae illis fuerunt etiam adulteria; similiter fraudes et illicitas lucrationes, quae illis fuerunt furta; tum odia et vindictas, quae illis fuerunt neces; ut et mendacia et blasphemationes, quae illis fuerunt falsa testimonia; et similia alia: dein interrogati annon bona opera fecerunt, dixerunt quod amaverint castitatem, in qua fuerunt, quia pro nefandis reputaverunt adulteria; quod amaverint sinceritatem et justitiam, in quibus fuerunt, quia pro nefandis reputaverunt fraudes et illicitas lucrationes; quod amaverint proximum, quia pro nefandis reputaverunt odia et vindictas; quod amaverint veritatem, quia pro nefandis reputaverunt mendacia et blasphemationes; et sic porro; tum quod perceperint, quod, illis remotis, ex castitate, sinceritate, justitia, charitate et

veritate agerent, non fuerit ex se sed ex Domino, et quod sic bona opera essent omnia quaecunque ex illis, tametsi sicut ex se fecerunt; et quod inde sit quod post mortem a Domino evecti sint in tertium caelum: ex his patuit quomodo vita spiritualis, quae est vita angelorum caeli, comparatur. Nunc autem dicetur quomodo illa vita per hodiernam fidem destructa est. Hodierna fides est, quod credendum sit quod Deus Pater miserit Filium suum, qui crucem passus est pro nostris peccatis, ac sustulerat damnationem legis per impletionem ejus, et quod haec fides absque bonis operibus unumquemvis salvet, immo etiam in ultima mortis hora. Per hanc fidem impressam a pueritia, et dein confirmatam ex praedicationibus, factum est ut non aliquis fugiat mala ex religione, sed solum ex lege civili et morali; ita non quia peccata sunt, sed quia damna. Expende, dum homo cogitat quod Dominus passus sit pro nostris peccatis, quod sustulerit damnationem legis, et quod credere illa seu fides illorum sola absque bonis operibus salvet, annon vilipendat omnia praecepta decalogi, et omnem vitam religionis praescriptae in Verbo, et praeterea omnia vera quae docent charitatem; separa itaque haec, et remove ab homine, an est apud illum aliqua religio? religio enim non consistit in solum cogitare hoc aut illud, sed in velle et facere id quod cogitat, ac nulla religio est cum separatur velle et facere a cogitare. Inde sequitur quod per hodiernam fidem vita spiritualis, quae est vita angelorum caeli, et ipsa vita Christiana, destructa sit. Expende ulterius, unde est quod decem praecepta decalogi e Monte Sinai per tantum miraculum promulgata sint, quod insculpta sint binis tabulis ex lapide, et quod hae positae sint in arca, super quam positum fuit propitiatorium cum cherubis, et locus ille, ubi illa praecepta, dictus sit sanctum sanctorum, intra quem non licuit Aharoni intrare nisi semel quotannis, et hoc cum sacrificiis et cum suffitu; et si absque illis intravisset, mortuus succubuisset; tum quod per arcam illam tot miracula postea facta sint. Annon omnes in universo orbe terrarum similia praecepta sciunt? Annon leges illorum civiles eadem dictant? Quis non ex solo naturali lumine scit, quod propter ordinem in unoquovis regno, non adulterandum sit, non furandum, non occidendum, non false testandum, et plura quae ibi?

Quare tunc eadem illa per tot miracula promulganda erant, et tam sancta habenda? Annon propterea, ut unusquisque illa faceret ex religione, ac ita ex Deo, et non solummodo ex lege civili et morali, ac ita ex se et propter mundum? Haec causa promulgationis illorum e Monte Sinai fuit, et causa sanctitatis illorum; nam facere illa praecepta ex religione purificat internum hominem, aperit caelum, admittit Dominum, et hominem quoad spiritum suum facit angelum caeli. Inde quoque est quod gentes, quae extra ecclesiam sunt, omnes salventur qui praecepta illa ex religione faciunt, et non aliquis qui solummodo ex lege civili et morali. Explora nunc, annon hodierna fides, quae est quod Dominus passus sit pro nostris peccatis, quod sustulerit damnationem legis per impletionem ejus, et quod homo justificetur et salvetur per illam fidem absque bonis operibus, solverit omnia illa praecepta; extende visum tuum, et investiga, quot hodie in orbe Christiano sunt, qui non illam fidem vivunt. Scio quod respondeant quod imbecilles et infirmi homines sint, nati in peccatis, et similia alia; sed quis non potest ex religione cogitare? hoc dat Dominus unicuivis, et apud illum qui ex religione talia cogitat, Dominus operatur omnia, quantum cogitat; et scias quod qui ex religione illa cogitat, is credat quod Deus sit, ac quod caelum, infernum et vita post mortem sint; at qui non illa ex religione cogitat, assevero quod illa non credat.

VERSUS 14-16.

903. ***"Et vidi, et ecce nubes alba, et super nube sedens similis Filio hominis, habens super capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam. Et alius angelus exivit e templo, clamans magna voce sedenti super nube, Mitte falcem tuam et mete, quia venit Tibi hora metendi, quia aruit messis terrae. Et misit sedens super nube falcem suam super terram, et demessa est terra."***

14. ***"Et vidi,"*** significat *praedictionem de separatione bonorum a malis* [n. 904]; ***"et ecce nubes alba,"*** significat *Divinum Verum in ultimis, quale est Verbum in sensu litterae, cui sensus spiritualis inest* [n. 905]; ***"et super nube sedens similis Filio hominis,"*** significat *Dominum in caelis, in Divino Vero seu Verbo quod ab Ipso* [n. 906]; ***"habens super capite suo coronam auream,"*** significat *Divinum Bonum accinctum ad judicium* [n. 907]; ***"et in manu sua falcem acutam,"*** significat *Divinum Verum exquisite explorans, et separans* [n. 908].

15. ***"Et alius angelus exivit e templo,"*** significat *explorationem a Domino de statu ecclesiae in communi* [n. 909]; ***"clamans magna voce sedenti super nube,"*** significat *annuntiationem post explorationem seu visitationem* [n. 910]; ***"Mitte falcem tuam et mete, quia venit Tibi hora***

metendi, quia aruit messis terrae, significat *quod tempus sit colligendi bonos, et separandi illos a malis, quoniam finis ecclesiae est* [n. 911].

16. ***"Et misit sedens super nube falcem super terram, et demessa est terra,"*** significat *collectionem bonorum a malis, et quod sic devastata sit ecclesia* [n. 912].

904. [*Vers.* 14.] ***"Et vidi."***—Quod significet *praedictionem* [*de separatione*] *bonorum a malis*, constat ex eo, quod "videre" involvat illa quae vidit, quae sunt quae sequuntur; et quia haec in spirituali sensu involvunt primam seu communem separationem bonorum a malis, ideo hic per "Vidi" significatur praedictio de illa. Sciendum est quod in sequentibus in hoc capite praedicatur separatio in communi, ac in sequentibus in particulari, seu in specie, quae describitur per "septem angelos habentes septem phialas excandescentiae Dei:" quod separatio bonorum a malis ita describatur, est secundum Divinum ordinem, qui est, ut commune praecedat, antequam particularia et singularia, quae etiam sunt specifica, traduntur. Quod secundum Divinum ordinem sit ut commune praecedat, est ut particularia possint insinuari, ac juste ordinari, ac homogenea fieri, ac affinitate conjungi. (De qua re videantur quae in *Arcanis Caelestibus* tradita sunt: nempe, Quod communia praecedant, et illis particularia, et his singularia insinuentur, n. 920, 4325, 4329, 4345, 5208, 6089. Quod apud hominem qui regeneratur communia praecedant, et sequantur ordine particularia et singularia, n. 3057, 4345, 4383, 6089. Quod dein omnium subordinatio sit sub communibus apud illum, et sic nexus, n. 5339. Quod communia impleri possint innumeris, n. 7131. Qualis homo in communi est, quod talis sit in singulis suis, n. [1]917, 1040, 1316. Quod id quod communiter regnat, sit in omnibus et singulis, n. 6159, 7648, 8067, 8853–8857, 8865. Haec allata sunt, ut sciatur cur hic primum communia et generica traduntur, ac postea particularia et singularia.)

905. ***"[Et] ecce nubes alba."***—Quod significet *Divinum Verum in ultimis, quale est Verbum in sensu litterae, cui sensus spiritualis inest*, constat ex significatione "nubis," quod sit Divinum Verum in ultimis, et inde quoque Verbum in sensu litterae (de qua supra, n. 36, 594); quae nubes visa est "alba" ex translucentia Divini Veri in caelis, quale est Verbum in sensu spirituali; omnis enim albedo, quae in caelis apparet, existit ex luce caeli, quae in sua essentia est Divinum Verum; inde est quod angeli, quia in Divino Vero sunt, induti sint vestibus albis et candidis. (Quod Divinum Verum procedens a Domino ut Sole sit Lux caeli, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 126–140: et quod "album" inde in Verbo dicatur de veris, supra, n. 196.)

906. ***"Et super nube sedens similis Filio hominis."***—Quod

significet *Dominum [in caelis], in Divino Vero seu Verbo, quod ab Ipso,* constat ex significatione "nubis albae," quod sit Divinum Verum in ultimis quale est Verbum in sensu litterae, cui sensus spiritualis inest (de qua mox supra); ex significatione "sedere super illa," quod sit in caelis, ubi Divinum Verum est in sua luce, quale est Verbum in sensu spirituali; ex significatione "Filii hominis," quod sit doctrina veri, et in sensu supremo Dominus quoad Verbum (de qua supra, n. 63, 151). Quod per "nubem" significetur Verbum, et per "sedentem super nube" Dominus quoad Verbum, quisque mirari potest, quoniam coram illis, qui omnia secundum sensum litterae Verbi comprehendunt, non videri aliud potest quam quod "nubes" significet nubem, et non tale spirituale quale est Verbum, quia hoc non apparet affine aut concordans cum nube; sed usque est Divinum Verum in ultimis, quale est Verbum in littera, quod significatur: causa est, quia in mundo spirituali Divinum Verum defluens ex superioribus caelis in inferiora apparet sicut nubes; visa etiam est mihi, et ex illa, et ejus variegatione concludere potui de quali veri quod inter se locuti sunt angeli caeli superioris. Simile significatum est per "nubem" quae super Monte Sinai, cum promulgabatur Lex, quae erat Divinum Verum, apparuit; et per "nubem" quae super Tentorio conventus quovis die visa est, et quae quandoque implevit illud; tum per

> Nubem lucidam, quae obumbravit Petrum, Jacobum et Johannem, cum transformatus apparuit Jesus; e qua nube vox audita est, dicens, "Hic est Filius meus dilectus, in quo Mihi complacuit; Ipsum audite" (*Matth.* xvii. 5; *Luc.* ix. 34, 35);

tum in sequentibus locis apud *Evangelistas,*

> "Tunc apparebit signum Filii hominis,....et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute et gloria" (*Matth.* xxiv. 30; *Luc.* xxi. 27):
>
> Et Jesus dixit, "Nunc videbitis Filium hominis sedentem a dextris potentiae, et venientem in nubibus caeli" (*Matth.* xxvi. 64; *Marc.* xiv. 61, 62):

per "venire in nubibus caeli," etiam in his locis intelligitur manifestatio Domini in Verbo; nam post adventum Ipsius manifeste viderunt praedictiones de Domino in propheticis Verbi, quas non prius; et adhuc manifestius hodie, cum sensus spiritualis Verbi apertus est, in quo in supremo sensu ubivis agitur de Domino, de subjugatione infernorum

ab Ipso, et de glorificatione Humani Ipsius; hic sensus est qui intelligitur per "gloriam," in qua venturus; quod "gloria" significet Divinum Verum spirituale, quale est in caelis, videatur supra (n. [x]33, 874). Ex his constare potest quid significat quod Johanni visa sit "nubes alba, et super nube sedens similis Filio hominis;" nam agitur in nunc sequentibus de separatione bonorum a malis ante ultimum judicium, ac dein de illo judicio; similiter ac praedictum est a Domino quod "venturus in nubibus caeli," apud *Evangelistas*, et quoque in primo capite *Apocalypseos* his verbis,

> Jesus Christus, "qui est Testis fidelis, primogenitus ex mortuis, et Princeps regum terrae;....ecce venit cum nubibus, et videbit Ipsum omnis oculus" (vers. 5, 7).

907. ***"Habens super capite suo coronam auream."***—Quod significet *Divinum Bonum accinctum ad judicium*, constat ex significatione "coronae aureae" super capite, quod hic sit Divinum Bonum accinctum ad judicium, quia agitur in nunc sequentibus de separatione bonorum a malis, quae separatio ultimum judicium praecedit; ita "Filius hominis," per quem intelligitur Dominus quoad Divinum Verum seu Verbum, accinctus ad separandum bonos a malis, et dein ad judicium faciendum; quod hoc intelligatur per "coronam auream super capite Filii hominis," constare potest ex regibus apud filios Israelis, et quoque apud antiquos, qui Dominum repraesentabant, quod accincti ad bellum, et in proeliis gestaverint coronas aureas (de qua re videatur supra, n. 553); causa erat quia reges repraesentabant Dominum quoad Divinum Verum, et hoc conjunctum Divino Bono procedit a Domino; quare ut hoc repraesentaretur, reges gestabant coronas ex auro, nam "aurum" significat bonum (videatur supra, n. 242[*a,c*]): quod "corona aurea" significet bonum et inde sapientiam, et quod vera sint quae coronantur, etiam supra (n. 272). Arcanum quod in hoc latet, est quia Divinum Bonum non judicat quemquam, sed Divinum Verum; causa est, quia Divinum Bonum amat omnes, et quantum homo sequitur, trahit ad caelum, at Divinum Verum separatum a Bono damnat omnes, et judicat ad infernum; ne itaque omnes damnentur et judicentur ad infernum, sed [ut] Divinum Bonum moderaretur et elevaret ad caelum, quantum possibile, ideo fuit corona aurea super capite, per quod significatur Divinum Bonum accinctum

ad judicium, nempe ad moderandum. Quod Divinum Bonum non judicet quemquam, sed Divinum Verum, intelligitur per haec Domini verba,

> "Non Pater judicat quemquam, sed judicium..dedit Filio" (*Joh.* v. 22):

per "Patrem" intelligitur Divinum Bonum, et per "Filium" Divinum Verum; (quod per "Patrem" intelligatur Divinum Bonum, videatur supra, n. 200, 254; et quod per "Filium" Divinum Verum, n. 63, 151, 724:) tum per haec,

> Pater dedit Filio "judicium faciendi, quia Filius hominis est" (*Joh.* v. 27):

per "Filium hominis" significatur Divinum Verum (videatur etiam supra, n. 778[*b*]). Sed usque intelligendum est quod Dominus non judicet aliquem per Divinum Verum, sed Divinum Verum in se spectatum hominem qui non recipit, sed rejicit illud, judicat illum, ut manifeste constare potest ab his Domini verbis,

> Jesus dixit, "Si quis mea audiverit verba, non tamen crediderit, Ego non judico illum, non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvem mundum; qui spernit Me, et non accipit verba mea, habet qui judicet illum, Verbum, quod locutus sum, illud judicabit illum in extremo die" (*Joh.* xii. 47, 48; tum quoque *Joh.* iii. 17):

per "Verbum" intelligitur Divinum Verum, nam hoc in Verbo est, et est Verbum; quod hoc in se spectatum judicaturum sit hominem, et non Ipse Dominus per illud, patet manifeste; nam dicit Dominus, "Ego non judico illum, non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvem mundum." Quod Ipse Dominus non judicet, est quia est Divinus Amor, et est Divinum Bonum unitum Divino Vero, et hoc separari ab illo non potest, sunt enim unum; ac Divinum Bonum non judicat quemquam, sed salvat, ut supra dictum est; ita quoque Divinum Verum, quod cum Divino Bono unitum procedit a Domino. Quod apud *Johannem* dictum sit quod "datum sit Filio judicium faciendi," intelligendum est sicut id quod de Ipso dicitur quod "irascatur," "excandescat," "conjiciat in infernum," cum tamen Dominus nemini irascitur, nec conjicit in infernum, sed quod ipse homo semet (de qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 545-550); ita quoque quod contemptus et rejectio Divini Veri, consequenter falsum ex malo, hominem judicet, ita etiam homo semet. Quomodo Divinum Verum in se spectatum

judicat hominem, etiam dicetur: homo qui in falsis ex malo est, ex contemptu et rejectione Divini Veri, is in odio est contra illud, ac flagrat id destruere apud unumquemvis qui in illo a Domino est; quod cum conatur, est quasi qui se in ignem conjicit, aut sicut quis faciem contra petram illidit; non quod ignis causa sit, nec petra, sed homo qui hoc facit: nam res in se talis est, quod Divinum Verum nusquam pugnet contra falsum ex malo, sed hoc contra illud, proinde non caelum contra infernum, sed hoc contra illud.

908. ***"Et in manu sua falcem acutam."***—Quod significet *Divinum Verum exquisite explorans et separans*, constat ex significatione "falcis," quod sit Divinum Verum exquisite explorans et separans; quod per "falcem" id significetur, est quia per illam paene simile significatur quod per "gladium" et "machaeram," quae quod in spirituali sensu sit Divinum Verum pugnans contra falsum, et dispergens illud, videatur supra (n. [1]73, 131, 367); hic itaque loco gladii et machaerae dicitur "falx," quia agitur de messe, de qua et de falce plura in sequentibus dicentur. Quod "falx acuta" Divinum Verum exquisite explorans et separans significet, est quia per "messem" significatur ultimus status ecclesiae praecedens ultimum judicium, quando Dominus explorat unumquemvis et separat; quo facto boni elevantur in caelum, et mali conjiciuntur in infernum, quod est ultimum judicium. Quod ante illud talis exploratio et separatio fiat, et quoque quod hodie facta sit, aliqua ab experientia in opere *De Ultimo Judicio* dicta sunt, et quoque supra; tum plura de eo in Appendice ad finem hujus libri dicentur. Quod "acutum" significet accuratum, exquisitum et prorsus, absque explicatione patet, nam falx acuta, sicut gladius acutus, exquisitius agit, et subtilius penetrat, ut constare potest ex sequentibus;—Apud *Esaiam*,

Jehovah "posuit..os meum, sicut gladium acutum" (xlix. 2):

per "os prophetae" etiam significatur Divinum Verum, quare comparatur gladio acuto, quia intelligitur illud penetrans, prorsus dispergens et destruens falsum. Similiter in *Apocalypsi*,

"Ex ore" Filii hominis "romphaea anceps acuta exivit" (i. 16; cap. ii. 12; cap. xix. 15, [2]21).

Lingua impiorum, quae falsa ex interiori malo loquitur, penetrat, et dispergit vera, etiam comparatur gladio acuto et telis acutis, apud *Davidem*,

> "Anima mea in medio leonum cubo, inflammantur filii hominis, dentes eorum hasta et tela, et lingua eorum gladius acutus" (Ps. lvii. 5 [*B. A.* 4]):

et alibi,

> "Jehovah, libera animam meam a labio mendacii, a lingua doli,....tela potentis acuta" (Ps. cxx. [2,] 4):

"labium mendacii" et "lingua doli" pro falsis ex malo; dispersio veri per illa significatur per "gladium acutum," et per "tela acuta." (Pariter *Ezech.* v. 1.)

909. [*Vers.* 15.] *"Et alius angelus exivit e templo."*—Quod significet *explorationem a Domino de statu ecclesiae in communi*, constat ex illis quae sequuntur; sequitur enim quod "clamaverit angelus magna voce, Mitte falcem tuam et mete, quia venit tibi hora metendi, quia aruit messis terrae," per quae significatur annuntiatio post explorationem, quod tempus sit colligendi bonos et separandi illos a malis, quoniam finis ecclesiae est: ex significatione "templi," quod sit caelum et ecclesia, ac Divinum procedens a Domino, (de qua supra, n. 220, 630, [1]700[*a*]); quod hic status ecclesiae in communi intelligatur, est quia sequitur quod "duo alii angeli exiverint, unus e templo quod in caelo, et alter ex altari," per quae significantur manifestationes a Domino de separatione; quod sit exploratio a Domino quae significatur, est quia per "angelum" in Verbo intelligitur aliquid Domini (videatur supra, n. 869, 878, 883); angeli enim ex se nihil de statu ecclesiae possunt explorare, sed ex Domino.

910. *"Clamans magna voce sedenti super nube."*—Quod significet *annuntiationem post explorationem seu visitationem*, constat ex significatione "clamare voce magna," quod sit annuntiatio, de qua sequitur; quod sit post visitationem, est quia annuntiavit sedenti super nube quod "venerit hora metendi, quia aruit messis terrae;" quod per "sedentem super nube" intelligatur Dominus in caelis, videatur supra (n. 906); quod per "magnam vocem" hujus angeli significetur annuntiatio de statu ecclesiae post visitationem, est quia "vox" involvit illa quae dixit, quae sunt quae sequuntur. Dicitur annuntiatio post explorationem seu visitationem, quia visitatio praecedit separationem, et post

separationem fit ultimum judicium. Multis in locis dicitur "visitatio," et per illam significatur exploratio qualis est status ecclesiae ante judicium; non quod talis visitatio actualiter existat, modo praecedit quod angeli caeli incipiant lamentari propter crescentem potentiam malorum ab inferno, et supplicare Dominum de ope; Dominus enim novit omnia, quia omniscius est: sed usque describitur visitatio per missionem angelorum, et per annuntiationem illorum; sicut etiam, quod dum ultimum judicium instat,

Dominus "missurus sit angelos suos cum tubae voce magna, qui congregabunt electos Ipsius a quatuor ventis" (*Matth.* xxiv. 31):

non quod aliqui angeli mittantur ad congregandum illos, sed quod Dominus per Divinum suum Verum hoc faciat; nam per "angelos," ut prius dictum est, significantur Divina vera. Similiter

Quod apostoli sessuri super duodecim thronis, et judicaturi duodecim tribus Israelis (*Matth.* xix. 28; *Luc.* xxii. 30);

non quod apostoli sessuri sint super thronis, et judicaturi, sed Dominus per Divinum suum Verum; nam per "apostolos," aeque ac per "angelos," significantur Divina vera, quia per illos significantur omnia ecclesiae. Similiter alibi. (Sed de visitatione videantur illa, quae de ea in *Arcanis Caelestibus* scripta sunt, nempe, Quod visitatio sit inquisitio qualis status amoris et fidei est in ecclesia; et quod praecedat judicium, n. 2242. Quod "dies visitationis" sit ultimus status ecclesiae in communi, n. 10509, 10510; ita cum vetus ecclesia desolata est, et nova ecclesia instauratur, n. 6588. Et quod sit damnatio infidelium, et salvatio fidelium, n. 6588, 10623. Quod visitatio etiam sit adventus Domini, quia Dominus tunc venit ad judicium, n. 6895.)

911[*a*]. ***"Mitte falcem tuam et mete, quia venit Tibi hora metendi, quia aruit messis terrae."***—Quod significet *quod tempus sit colligendi bonos, et separandi illos a malis, quoniam finis ecclesiae est*, constat ex significatione "mittere falcem," quod sit colligere bonos, et separare illos a malis (de qua sequitur); ex significatione "Venit hora metendi," quod sit tempus id faciendi; et ex significatione "quia aruit messis terrae," quod sit quoniam ultimus status seu finis ecclesiae est; "messis" enim significat statum ultimum seu finem, et "terra" ecclesiam: ex his patet quod per "Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora metendi, quia aruit messis terrae," significetur quod tempus sit colligendi bonos, et separandi illos a malis, quoniam finis ecclesiae est. Quod "mittere falcem et metere" sit colli-

gere bonos, et separare illos a malis, est quia per "messem terrae" significatur ultimus status ecclesiae, quando ultimum judicium, ac mali conjiciuntur in infernum, et boni elevantur in caelum, et sic separantur. Quod non prius collectio, separatio et ultimum judicium fiant, constare potest ex illis quae in opusculo *De Ultimo Judicio* dicta sunt, et quae amplius in Appendice ad hunc librum dicenda sunt; quae in summa continentur in Domini verbis apud *Matthaeum*,

> Jesus dixit hanc parabolam: "Simile factum est regnum caelorum homini seminanti bonum semen in agro suo; sed dum dormiverunt homines, venit ejus inimicus, et seminavit zizania...et abivit: cum vero germinavit herba, et fructum fecit, tunc apparuerunt etiam zizania. Accedentes..servi Patrisfamilias dixerunt illi, Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Hic vero dixit illis, Inimicus hoc fecit. Servi autem dixerunt illi, Visne ergo abeuntes colligamus ea? Ille vero dixit, Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum illis triticum; sinite una crescere utraque usque ad messem, et tempore messis dicam messoribus, Colligite prius zizania, et colligate ea in fasciculos ad comburendum.., triticum vero congregate in horreum meum. ....Et accesserunt ad Ipsum discipuli Ipsius, dicentes, Expone nobis parabolam zizaniorum agri. Ipse..respondens dixit illis, Qui seminat bonum semen est Filius hominis; ager autem est mundus, semen vero sunt filii regni, at zizania sunt filii illius mali, inimicus autem qui seminat illa est diabolus, messis vero consummatio saeculi est, messores autem sunt angeli; quemadmodum ergo colliguntur zizania, et igne comburuntur, sic erit in consummatione saeculi: mittet Filius hominis angelos suos, qui colligent e regno Ipsius omnia offendicula,...qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis, ubi erit ploratus et stridor dentium: tunc justi fulgebunt ut sol in regno Patris" (xiii. 24–30, 36–43):

per hanc parabolam illustrat Dominus omnia quae in hoc capite *Apocalypseos* (a versu 14 ad 19) dicuntur de Filio hominis habente in manu sua falcem et metente, et quod ab Ipso et ab angelis demessa sit terra: docetur enim quod per "seminantem" intelligatur Dominus, qui ibi etiam vocatur "Filius hominis;" quod per "messores" seu "metentes" intelligantur angeli, et quod "zizania mittentur in caminum ignis," et "bonum semen colligetur in horreum," et quod illa non prius fient quam "in consummatione saeculi," per quam significatur ultimus status ecclesiae, ob causam "ne una cum zizaniis eradicetur triticum." Quoniam haec parabola Domini in se arcana de separatione malorum a bonis, et de ultimo judicio continet, interest ut singillatim explicetur. Per "regnum caelo-

rum" significatur ecclesia Domini in caelis et in terris, nam utrobivis est ecclesia; per "hominem seminantem bonum semen in agro suo" intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, quod est Verbum, in ecclesia; "homo," qui in sequentibus vocatur "Filius hominis," est Dominus quoad Verbum, "bonum semen" est Divinum Verum, et "ager" est ecclesia ubi Verbum est: "dum dormiverunt homines, venit ejus inimicus, et seminavit zizania, et abivit," significat quod dum homines vitam naturalem seu vitam mundi agunt, tunc mala ab inferno clam seu illis ignorantibus insinuent et implantent falsa; "dormire" significat vitam naturalem seu vitam mundi agere, quae vita est somnus respective ad vitam spiritualem quae est vigilia; "inimicus" significat mala ab inferno, quae illam vitam separatam a vita spirituali afficiunt; "seminare zizania" significat insinuare et implantare falsa; "et abivit," significat quod id clam ac illis ignorantibus factum sit: "cum vero germinavit herba et fructum fecit, tunc apparuerunt quoque zizania," significat cum cresceret verum et produceretur bonum, falsa ex malo intermixta essent; "herba germinans" significat verum quale est dum primum recipitur, "fructus" significat bonum, "zizania" significant falsa ex malo, hic illa intermixta: "accesserunt servi Patrisfamilias [et] dixerunt illi, Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania?" significat illos qui in veris ex bono sunt percipientes quod falsa ex malo essent intermixta, et querentes; "servi Domini" significant illos qui in veris ex bono sunt, "Paterfamilias" significat Dominum quoad vera ex bono ("Pater" Ipsum quoad bonum, et "familiae" Ipsum quoad vera), "bonum semen," "ager" et "zizania" significant eadem quae supra: "et dixit illis, Inimicus hoc fecit," significat quod falsa illa essent ex malo in naturali homine: "servi autem dixerunt illi, Domine, visne ergo abeuntes colligamus zizania?" significat separationem et ejectionem falsorum ex malo, antequam vera ex bono recepta et aucta sunt: "Ipse vero dixit, Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum illis triticum," significat quod sic etiam periret verum ex bono et incrementum ejus; nam apud homines ecclesiae vera intermixta sunt falsis, quae non separari, et falsa ejici possunt, antequam

reformati sunt: "sinite utraque crescere usque ad messem, et tempore messis dicam messoribus, Colligite prius zizania, et colligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum vero congregate in horreum meum," significat quod separatio falsorum a malo, et ejectio illorum, non prius fieri possit, quam dum status ultimus ecclesiae est; nam tunc falsa mali separantur a veris boni, ac falsa mali traduntur inferno, ac vera boni conjunguntur caelo, seu quod idem, homines qui in illis sunt; haec fiunt in mundo spirituali, ubi omnes qui sunt ab ecclesia, a principio ad finem ejus, tali modo separantur et judicantur; per "messem" significatur finis seu ultimus status ecclesiae, per "colligare in fasciculos" significatur una conjungere singulas species falsorum ex malo, per "comburere" significatur tradi inferno, et per "congregare in horreum" significatur conjungere caelo: "qui seminat bonum semen est Filius hominis," significat Divinum Verum a Domino; "ager est mundus," significat ecclesiam ubivis; "semen sunt filii regni," significat quod Divinum Verum sit apud illos qui ab ecclesia; "zizania sunt filii illius mali," significat falsa apud illos qui in malo sunt; "inimicus qui seminat illa est diabolus," significat quod falsa illis sint ex malo quod ab inferno; "messis consummatio saeculi," significat ultimum tempus et statum ecclesiae; "messores sunt angeli," significat quod Divinum Verum a Domino separet; "mittet Filius hominis angelos, qui colligent e regno Ipsius offendicula," significat quod Divinum Verum a Domino remoturum sit illa quae separationem impedient; "qui faciunt iniquitatem," significat quod sint qui male vivunt; "et mittent eos in caminum ignis," significat in infernum, ubi sunt qui in amore sui, odiis et vindictis; "ubi erit ploratus et stridor dentium," significat ubi dirum ex malis et falsis; "tunc justi fulgebunt ut sol in regno Patris," significat quod qui fecerunt praecepta Domini in amoribus caelestibus et in gaudiis illorum in caelo victuri sint; "justi" dicuntur qui agnoscunt Dominum et faciunt praecepta Ipsius: talis status angelis futurus est post ultimum judicium, post enim illud potentia superior caelo vindicata est, quae ante illud fuit a parte inferni; inde angelis gaudium cum perpetuis incrementis. Superest ut adhuc aliquantum explicentur Domini verba de separatione malorum

a bonis, nempe, "Sinite una crescere utraque usque ad messem, et tempore messis dicam messoribus, Colligite prius zizania, et colligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum vero congregate in horreum meum;" per quae significatur separatio malorum a bonis dum ultimum judicium instat; quod non prius separati sint, videatur causa in opusculo *De Ultimo Judicio* (n. 59, 70); quibus haec adjicere velim, quod secundum Divinum ordinem sit ut conjunctim crescant quae in fine separanda sunt, et quod, dum ad finem perveniunt, facili opera et quasi sua sponte fiat separatio; hoc ex mille experientiae documentis in utroque mundo, immo ex correspondentibus in regnis animali et vegetabili, illustrari potest; ex quibus sicut in communi speculo videri potest cur mali a bonis non prius separati sunt quam circa ultimum judicium; quod etiam significatur per haec quae nunc explicantur in *Apocalypsi*, quod dixerit angelus sedenti super nube, "Mete, quia venit tibi hora metendi, quia aruit messis terrae."

[**b.**] Per "messem" etiam significatur ultimus status ecclesiae, quando vetus ecclesia devastata est, hoc est, quando non verum nec bonum amplius ibi residuum est, quod non falsificatum aut rejectum, etiam in sequentibus locis:—Apud *Joelem*,

"Ad vallem Jehoschaphati...sedebo ad judicandum omnes gentes circumcirca; emittite falcem, quia maturuit messis, venite, descendite, quia plenum est torcular, exundarunt lacus, quia magna malitia eorum" (iv. [*B. A.* iii.] 12, 13):

agitur in eo capite de falsificatione veri in Verbo, et de devastatione ecclesiae per illam, et in hoc versu de ultimo statu ecclesiae quando judicium, qui status describitur ut in *Apocalypsi* per "emittere falcem, quia maturuit messis;" "messis" est ultimus ille status: tum etiam per quod "plenum sit torcular, et exundarent lacus," sicut in hoc capite *Apocalypseos*, vers. 19, 20: quod tunc judicium, aperte dicitur: "vallis Jehoschaphati," ubi judicium, significat falsificationem Verbi. Apud *Jeremiam*,

"Exscindite seminantem [1]in Babele, et prehendentem falcem in tempore messis" (l. 16);

et apud eundem,

"Filia Babelis sicut area[, tempus] ad triturandum eam, adhuc parum cum veniet tempus messis illi" (li. 33):

hic etiam per "tempus messis" intelligitur ultimus status ecclesiae, quando amplius non aliquod bonum et verum; devastatio ejus describitur per "exscindere seminantem, et prehendentem falcem in tempore messis," tum per "triturationem sicut in area;" per "Babelem" intelliguntur qui per sancta ecclesiae dominium quaerunt. Apud *Esaiam*,

"Deflebo Jaeserem, vitem Sibmae, rigabo te lachryma.., Cheschbon et Eleale, quia super vindemia tua et super messe tua hedad cecidit" (xvi. 9);

etiam per "messem" hic significatur ultimus status ecclesiae, nam per "hedad" significatur finis, quando super peracta vindemia et collecta messe solebant ovare et celeusma edere; hic lamentari, quia dicitur, "cecidit:" per "Jaeserem, vitem Sibmae," ac per "Cheschbonem et Elealem," externae ecclesiae homines, qui Verbum explicant ad favorem amorum mundi; nam illa loca erant in hereditatem data Reubenitis et [1]Gaditis, per quos, quia extra Jordanem habitabant, repraesentabatur ecclesia externa; "vitis Sibmae" significat ecclesiam illorum: exitium eorum, quando Dominus venturus et judicium facturus est, etiam in eo capite describitur. Apud *Jeremiam*,

"Praeteriit messis, consumptus est autumnus, et nos non servati sumus; super confractione filiae meae confractus sum" (viii. 20):

per "messem" etiam hic significatur ultimus status ecclesiae; et per "Confractus sum super confractione," significatur dolor quod non bonum et verum amplius: per "filiam" significatur affectio veri, et inde ecclesia, nam illa est ecclesiae, et ex illa est ecclesia. Apud *Esaiam*,

"Fiet, cum colligitur messis, seges stans, et brachium ejus aristas metet; ....et relinquentur in eo racemationes, sicut in decussione oleae, tres baccae in capite rami, quatuor quinque in ramis fructiferae: ....in die plantam tuam crescere facies, et mane semen tuum efflorescere, acervus messis in die possessionis, et dolor desperatus" (xvii. 5, 6, 11):

agitur in eo capite de cognitionibus veri et boni quae ecclesiae, quod deperditae sint; illae ibi per "Damascum," de qua in eo capite agitur, et per "Aroerem," significantur; quod deperditae sint, describitur per quod "relinquentur in eo racemationes, sicut in decussione oleae, tres baccae in capite rami, quatuor quinque in [2]ramis fructi-

ferae;" tum per "acervum messis in die possessionis," nempe quod non plus quam unus acervus, quare etiam dicitur "dolor desperatus;" inde patet quod per "messem" ibi significetur ultimus status ecclesiae: ille status etiam significatur per "mane," nam dum ultimus status ecclesiae adest, tunc mane est illis qui e nova ecclesia erunt, ac vespera et nox illis qui a veteri ecclesia sunt: quod hoc ibi per "mane" intelligatur, constat ex versu ultimo illius capitis, ubi dicitur,

> "Circa tempus vesperae,..ecce terror; antequam mane, non est" (vers. 14);

"terror" significat exitium. Apud *Joelem*,

> "Pudefacti sunt agricolae, ejularunt vinitores, super tritico et super hordeo, eo quod perierit messis agri" (i. 11):

devastatio ecclesiae quoad bonum et quoad verum intelligitur per quod "perierit messis agri;" per "agricolas" intelliguntur qui in bono ecclesiae sunt, per "vinitores" illi qui in veris ejus; per "triticum et hordeum" ipsum bonum et verum; dolor propter devastationem significatur per quod "pudefacti sint et ejularint."

[*c*.] Quod per "messem" ultimus status ecclesiae significetur, est quia per "frumentum," quod est messis, significatur bonum et inde verum ecclesiae, et per "agrum" ipsa ecclesia; quod per omnia quae nutritionis naturalis sunt, sicut per "triticum," "hordeum," "oleum," "vinum," et plura, significentur talia quae nutritionis spiritualis sunt, supra multis in locis ostensum est; et illa quae nutritionis spiritualis sunt, in genere se referunt ad bonum et verum et illorum cognitiones, ita ad doctrinam et ad vitam secundum illas: inde dicitur apud *Jeremiam*,

> Gens e longinquo "comedet messem tuam et panem tuum, comedet filios tuos et filias tuas, comedet gregem tuum et armentum tuum, comedet vitem tuam et ficum tuam, depauperabit urbes munimentorum tuorum, quibus tu confidens, gladio" (v. 17):

per "gentem e longinquo" intelligitur falsum mali destruens ("e longinquo" significat quod multum distat a bono et vero); per "messem et panem" significantur vera et bona ecclesiae nutrientia; per "filios et filias" eadem generantia; per "gregem et armentum" bona et vera spiritualia ac naturalia; per "vitem et ficum" ecclesia interna

spiritualis et ecclesia externa naturalis; per "urbes munimentorum quibus confidunt," significantur doctrinalia ex propria intelligentia; "depauperari gladio" significat deperdi per falsa mali. Quoniam per "messem" significantur omnia quae spiritualiter nutriunt hominem, quae se ad vera doctrinae et bona vitae referunt, ideo per "messem" significatur ecclesia in communi et in particulari; in communi, in his apud *Evangelistas*,

> Jesus dixit discipulis, "Messis..multa, operarii autem pauci; rogate.. Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam" (*Matth.* ix. 37, 38; *Luc.* x. 2):

per "messem" hic intelliguntur omnes apud quos ecclesia a Domino instauranda erat, ita quoque ecclesia in communi; et per "operarios" intelliguntur omnes qui a Domino docebunt. Similiter apud *Johannem*,

> Jesus dixit ad discipulos, "[Nonne vos dicitis] quod adhuc quadrimestre sit, donec messis veniat? Ecce dico vobis, tollite oculos vestros, et spectate agros, quod albi sint ad messem jamjam; et qui metit mercedem accipiat, et colligat fructum in vitam aeternam;....in hoc namque verbum verum est, quod alius sit qui seminat, et alius qui metit; Ego misi vos ad metendum quod vos non laborastis: alii laborarunt, vos autem in laborem eorum ingressi estis" (iv. [1]35-38):

haec a Domino dicta sunt de nova ecclesia ab Ipso instauranda; quod instauratio illius ecclesiae nunc instet, intelligitur per "Tollite oculos vestros, et spectate agros, quod albi sint ad messem jamjam;" docere illos qui ab ecclesia illa futuri sunt, ac sicut alibi dicit Dominus, "colligere et congregare in horreum," significatur per "metere;" quod qui docent, ita qui colligunt et congregant, non sint ipsi, sed Dominus, (nam quos discipuli ad ecclesiam converterunt, Dominus per angelos, hoc est, per Divina vera ex Verbo, praeparavit ad recipiendum,) haec intelliguntur per quod "alius sit qui seminat, et alius qui metit; Ego misi vos ad metendum quod vos non laborastis; alii laborarunt, vos autem in laborem eorum ingressi estis." Incrementum ecclesiae apud hominem in particulari, et apud homines in communi, a Domino, etiam describitur per "messem" apud *Marcum*,

> Jesus dixit, "Ita se habet regnum Dei, quemadmodum si homo projicit semen super terram, dormiat dein, et surgat noctu et die; semen vero germinet et crescat, dum nescit ipse; ultronea enim terra

fructum fert, primo gramen, dein spicam, tum plenum frumentum in spica; quum autem productus fuerit fructus, statim mittit falcem, quia institit messis" (iv. 26–29):

per "regnum Dei" intelligitur ecclesia Domini in caelis et in terris; quod illa apud omnes qui recipiunt vera et bona non a se sed a Domino implantetur, describitur per illa verba, quorum singula correspondent spiritualibus, et significant illa; ut quod "homo projiciat semen super terra," quod "dormiat dein, et surgat noctu et die," quod "semen germinet et crescat dum nescit ipse:" per "semen" enim significatur Divinum Verum, per "projicere semen in terram" significatur operatio hominis; per "surgere diu et noctu" significatur in omni statu, ac demum per "mittere falcem;" reliqua significant operationem Domini, ac "messis" implantationem ecclesiae in particulari et in communi: sciendum enim est quod tametsi Dominus operatur omnia, et homo nihil a se, usque velit ut homo, quantum ad perceptionem ejus venit, operetur sicut a se; nam absque cooperatione hominis sicut a se, non erit receptio veri et boni, ita non implantatio ac regeneratio: dat enim Dominus velle; et quia hoc apparet homini sicut a se, dat ei velle sicut a se. Quia talia significantur per "messem," ideo bina festa apud filios Israelis instituta fuerunt, quorum unum vocabatur Festum Septimanarum, quod erat primitiarum messis, et alterum Festum Tabernaculorum, quod erat collectionis fructuum terrae; quorum prius significabat implantationem veri in bono, et posterius productionem boni, ita regenerationem; per Festum autem Azymorum seu Paschatis, quod praecessit, significabatur liberatio a falsis mali, quae etiam est primum regenerationis.

912. [*Vers.* 16.] ***"Et misit sedens super nube falcem super terram, et demessa est terra."***—Quod significet *collectionem bonorum, et separationem illorum a malis, et quod sic devastata sit ecclesia*, constat ex significatione "sedentis super nube," quod sit Dominus quoad Verbum, quod est Divinum Verum, ex quo, et secundum cujus receptionem, fit judicium; ex significatione "terrae," quod sit ecclesia (de qua supra, n. 29, 304, 417[*a*], 697, 741[*b–d*], 752, 876); et ex significatione "demessae terrae," quod sit quod devastata sit ecclesia: per "messem" enim significatur ultimus status ecclesiae, ut mox supra (n. 911) ostensum est; quare

per quod "terra demessa sit," significatur quod non ecclesia, seu quod illa devastata sit, ex causa quia non bonum et inde verum amplius, quod significatur per "frumentum messis." Dicitur hic quod "a sedente super nube demessa sit terra," sed intelligitur quod ab homine; ut multis aliis in locis, quod tribuatur Domino devastatio, cum tamen illa fit ab homine; homo enim ex prima sua idea, secundum quam Verbum est in sensu litterae, non videt aliter. Quod separatio bonorum et malorum, dum instabat ultimum judicium, ita facta sit, constare potest ex illis quae supra de hac re dicta sunt; nempe, quod dum boni ab illis separati sunt, illi qui interius mali fuerunt, sed exterius potuerunt moralem vitam sicut Christianam agere, et sibi ideo tanquam caelos in mundo spirituum fecerunt, tunc rupto vinculo cum bonis venerint in sua mala, quae interius recondita fovebant; inde erat quod ecclesia, quae solum in externis constabat, apud illos devastata [1]sit: nam quod moralem vitam sicut Christianam in externis potuerint agere, fuit unice ex conjunctione illorum cum bonis, et ex occlusione interiorum quae voluntatis interea. Sed de hac re videantur quae in opusculo *De Ultimo Judicio* dicta sunt, tum quae supra aliquibus in locis, et quae infra in Appendice in specie dicentur; nam haec nisi in sua serie exposita fuerint, non possunt in intellectum cadere, nisi obscure.

VERSUS 17–19.

913. ***"Et alius angelus exivit e templo quod in caelo, habens et ille falcem acutam. Et alius angelus exivit ex altari, habens potestatem super ignem, et clamavit clamore magno habenti falcem acutam, dicens, Mitte tuam falcem acutam, et vindemia botros vineae terrae, quia maturuerunt uvae ejus. Et misit angelus falcem suam in terram, et vindemiavit vineam terrae, et conjecit in torcular irae Dei magnum."***

17. ***"Et alius angelus exivit e templo quod in caelo, habens et ille falcem acutam,"*** significat *manifestationem a Domino de devastatione ecclesiae quoad Divinum Verum, quale est in caelo, post explorationem* [n. 914].

18. ***"Et alius angelus exivit ex altari,"*** significat *manifestationem a Domino de devastatione ecclesiae quoad bonum amoris et charitatis* [n. 915]; ***"habens potestatem super ignem,"*** significat *ita quoad amorem caelestem et spiritualem* [n. 916]; ***"et clamavit clamore magno,"*** significat *annuntiationem post explorationem seu visitationem* [n. 917]; ***"dicens, Mitte tuam falcem acutam, et vindemia botros terrae, quia maturuerunt uvae ejus,"*** significat *quod collectio et separatio bonorum a malis fiet, quia non amplius sunt vera fidei, ex causa quia non bonum spirituale, quod est charitas* [n. 918].

19. ***"Et misit angelus falcem suam in terram, et vindemiavit vineam terrae,"*** significat *hoc factum* [n. 919]; ***"et conjecit in torcular irae Dei magnum,"*** significat *ex non bono spirituali, quod est charitas, falsificationem Verbi quoad omne verum spirituale et inde damnationem* [n. 920].

914. [*Vers.* 17.] ***"Et alius angelus exivit e templo quod in caelo, habens et ille falcem acutam."***—Quod significet *manifestationem a Domino de devastatione ecclesiae quoad Divinum Verum, quale est in caelo, post explorationem,* constat ex significatione "angeli exeuntis et dicentis," quod sit manifestatio a Domino (ut supra, n. 869, 878, 883); ex significatione "templi," quod sit caelum et ecclesia quoad Divinum Verum (de qua etiam supra, n. 220); et ex significatione "falcis acutae," quod sit Divinum Verum exquisite explorans et separans (de qua supra, n. 908); hic etiam devastans post explorationem, nam per illa quae de priori angelo (vers. 15, 16) dicta sunt, significatur etiam visitatio et exploratio, ac annuntiatio quod ecclesia prorsus devastata esset; per haec autem quae de binis his angelis (vers. 17–19) dicuntur, significatur devastatio ecclesiae; per unum, qui nempe "exivit e templo quod in caelo," devastatio ecclesiae quoad verum; per alterum, qui nempe "exivit ex altari," devastatio ecclesiae quoad bonum; "templum" enim in supremo sensu significabat Divinum Verum, et "altare" Divinum Bonum, utrumque procedens a Domino: ex quibus patet quod per "primum angelum," (de quo vers. 15,) intelligatur manifestatio a Domino, tum exploratio qualis esset ecclesia, et quod deprehensa sit esse desolata: ex his sequitur quod per quod "alius angelus exiverit e templo quod in caelo, habens et ille falcem acutam," significetur manifestatio a Domino de devastatione ecclesiae quoad Divinum Verum, quale est in caelo, post explorationem. Divinum Verum quale est in caelo dicitur, quia hoc falsificatur; non ita Divinum Verum quale est in terra, seu in ecclesia ibi; Divinum Verum in caelo, est quale est Verbum in sensu spirituali; Divinum autem Verum in terra, est quale est Verbum in sensu naturali, seu in sensu litterae; hoc Divinum Verum est pro hominibus et facit ecclesiam apud illos, at illud Divinum Verum est pro angelis et facit caelum apud illos; differunt illa inter se, sicut differt spirituale a naturali; differentia est sicut inter sapientiam angelorum et sapientiam homi-

num; sapientia hominum ad sapientiam angelorum, est sicut scientia ad intelligentiam, quae differentia est tanta ut non describi possit. Quod devastationem ecclesiae quoad Divinum Verum attinet, fit devastatio per falsificationem Verbi; cum enim Verbum explicatur ad favorem amorum terrestrium, et ad confirmationem falsorum doctrinae, tunc vastatur ecclesia: sed non vastatur cum Verbum simpliciter intelligitur secundum sensum litterae, at tunc vastatur quando explicatur usque ad destructionem Divini Veri in caelo; sic enim caelum clauditur, et cum caelum clausum est tunc non est aliqua ecclesia apud hominem. Sunt intra ecclesiam illi qui Verbi sensum litterae explicant usque ad destructionem Divini Veri in caelo, et sunt qui eo usque non explicant illud; hi non devastant ecclesiam apud se, sed illi: sensus litterae simpliciter intellectus non facit damnum alicui vero spirituali quod est in caelo, sed sensus litterae explicatus secundum falsa doctrinae, et secundum mala amorum, facit damnum; sensus enim litterae Verbi est Divinum Verum naturale; hoc Divinum Verum quidem differt ab illo sicut naturale a spirituali, sed usque unum facit per correspondentias; sed cum Divinum Verum naturale explicatur usque ad destructionem Divini Veri spiritualis, tunc non amplius unum per correspondentiam cum illo potest facere; sed falsum, secundum quod explicatur Divinum Verum naturale, destruit Divinum Verum spirituale: hoc nunc est falsificatio Verbi, ac devastatio ecclesiae per falsificationes. At de hac re plura dicta sunt ubi de "dracone" et ejus binis "bestiis" actum est; et adhuc plura dicenda sunt ubi de "meretrice supra bestia coccinea" et de "Babylonia" in sequentibus.

915. [*Vers.* 18.] ***"Et alius angelus exivit ex altari."***—Quod significet *manifestationem a Domino de devastatione ecclesiae quoad bonum amoris et charitatis*, constat ex significatione "angeli exeuntis," quod sit manifestatio a Domino (ut mox supra, n. 914); et ex significatione "altaris," quod in supremo sensu sit Divinum Bonum Divini Amoris, et inde in sensu respectivo bonum amoris in Dominum, et bonum charitatis erga proximum (de qua supra, n. 391, 490). Paucis etiam hic dicetur unde est quod "altare" illa significet. In ecclesia apud filios Israelis instituta fuerunt duo quae

principalia cultus erant, nempe tentorium conventus et altare, ac postea templum et altare; in templo docebatur Verbum, et super altari fiebant sacrificia; haec erant principalia cultus illorum: et quia ecclesia apud illos instaurata fuit ecclesia repraesentativa, ideo illa duo repraesentabant omnia ecclesiae in summa; et omnia ecclesiae in summa se referunt ad verum doctrinae ex Verbo, et ad bonum amoris et charitatis; ex his duobus etiam omnis cultus ecclesiae fit; et quia omnia repraesentativa ecclesiae spectabant Dominum ut finem ac ut causam, ita ad quem et a quo omnia, ideo per templum repraesentabatur Dominus quoad Divinum Verum ac per altare Dominus quoad Divinum Bonum. (De qua templi repraesentatione, videatur supra, n. 220; et de altaris, n. 391, 490.) Quia nunc omnia ecclesiae et inde cultus se referunt ad duo illa, nempe ad verum doctrinae et ad bonum amoris, ac omnia caeli ad Divinum Verum et ad Divinum Bonum, utrumque a Domino, et quia cum haec vastata sunt non amplius est aliqua ecclesia, ideo visi sunt Johanni bini angeli, per quos repraesentata est devastatio ecclesiae quoad utrumque.

916. *"Habens potestatem super ignem."*—Quod significet *ita quoad amorem caelestem et spiritualem*, constat ex significatione "ignis," quod sit amor in utroque sensu, nempe amor in Dominum, qui est apud illos in caelo qui vocantur angeli caelestes, et amor erga proximum, qui est apud illos in caelo qui vocantur angeli spirituales; ac in opposito sensu amor sui, qui est apud illos in inferno qui vocantur diaboli, et amor mundi, qui est apud illos in inferno qui vocantur satanae. (Quod illi amores per "ignem" in Verbo significentur, videatur supra, n. 68, 496, 504, 539.) Quod de hoc angelo dicatur quod "haberet potestatem super ignem," est quia agitur de devastatione ecclesiae quoad bonum amoris, ac devastatio quoad illud tribuitur isti angelo, ut priori angelo devastatio quoad verum doctrinae, cui ideo fuit "falx acuta in manu:" inde patet quid intelligitur per quod dicatur quod hic angelus "potestatem super ignem haberet," nempe ut amorem caelestem et spiritualem ac omnia ejus in ecclesia devastet. Tribuitur angelo devastatio ecclesiae, sicut alibi in Verbo tribuitur Domino; sed hoc solum dicitur de Ipso in sensu litterae, non autem sic intelligitur in sensu spirituali; nam veritas in sensu litterae est sicut

facies per velum transparens, at veritas in sensu spirituali est sicut facies detecta; seu veritas in sensu litterae est sicut nubes, at veritas in sensu spirituali est sicut lux et ejus splendor; seu veritas in sensu litterae apparet sicut veritas coram sensuali homine, at veritas in sensu spirituali est veritas coram spirituali rationali homine: ut pro exemplo, in Verbo dicitur de sole quod oriatur, progrediatur, occidat, faciat dies et annos, ita prorsus secundum apparentiam coram sensuali homine; at usque rationalis homo cogitat solem immotum, ac tellurem progredientem; inde patet quod intellectus hominis inversum cogitet de illis quae coram sensibus apparent, ut sistat illa coram se in luce veri. Simile est cum his quae nunc in *Apocalypsi* de sedente super nube alba et de angelis dicuntur, quod nempe "illi mittant falcem in messem, et metant illam," et quod "vindemient botros vineae terrae, et conjiciant in torcular irae Dei;" haec similiter dicta sunt secundum apparentias coram sensuali homine, sed usque invertenda sunt, ac secundum spiritualem illorum sensum intelligenda. Ex his quoque constare potest quod homo sensualis, qualis est infans, et puer in sua prima aetate, tum homo simplex, possint haec et similia secundum sensum litterae cogitare et credere, ut quod Deus auferat bonum et verum hominibus propter malitiam illorum; sed homo adultus qui vult sapere non explicabit illa eousque, quod Deus hoc faciat, et sic quod auferat homini omne bonum et verum, ac loco eorum infundat malum et falsum, quoque devastet ecclesiam, immo nec quod irascatur et excandescat; nam si adultus sapiens talia secundum sensum litterae explicaret, et per ratiocinia confirmaret, tunc ipsum genuinum verum, quale est in caelo, destrueret, et inde sibi caelum clauderet: quis namque potest intrare caelum cum fide quod Deus irascatur, ulciscatur, puniat, et similia, cum angeli caeli in perceptione sunt quod Deus nusquam irascatur, ulciscatur, puniat? Annon se averterent ab illo, ac mandarent ut discedat, ac statim clauderent januam post illum? Ita quoque clauditur caelum illis qui, dum vivunt in mundo, sensum litterae Verbi explicant usque ad destructionem Divini Veri in caelis, quod verum etiam est idem cum vero sensus spiritualis, qui inest singulis veris sensus naturalis, quae Verbi sensum litterae faciunt.

917. ***"Et clamavit clamore magno habenti falcem acutam."***—Quod significet *annuntiationem post explorationem seu visitationem*, constat ex illis quae sequuntur, tum ex illis quae supra (n. 910) dicta et explicata sunt, ubi paene similia.

918. ***"Dicens, Mitte tuam falcem acutam, et vindemia botros terrae, quia maturuerunt uvae ejus."***—Quod significet *quod collectio et separatio bonorum a malis fiet, quia non amplius sunt vera fidei, ex causa quia non bonum spirituale, quod est charitas*, constat ex significatione "mittere falcem acutam, ac videmiare," quod sit colligere bonos et separare illos a malis (de qua supra, n. 911); (simile per "vindemiare" hic significatur quod supra per "metere," sed "vindemiare" dicitur quia de botris et uvis, et "metere" quia de messe, et per utrumque significatur devastare et finire ecclesiam, quae tam per "messem" quam per "vineam" significatur; et cum ecclesia devastata est et sic finita, tunc fit collectio bonorum, et separatio illorum a malis; quid porro per "vindemiare" significatur, videbitur in sequentibus;) ex significatione "botrorum," quod sint bona et inde vera fidei (de qua sequitur); et ex significatione "quia maturuerunt uvae ejus," quod sit quia non amplius bona charitatis, ita quia finis ecclesiae est: ex his constare potest quod per "Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros terrae, quia maturuerunt uvae ejus," significetur quod collectio et separatio bonorum a malis fiet, quia non amplius bona et vera fidei, ex causa quia non bonum spirituale, quod est charitas. Quod non vera fidei sint, quia non bonum charitatis, est quia verum non datur absque bono; nam verum trahit suam essentiam seu suam vitam a bono; inde sequitur quod non vera et eorum fides sint, si non bonum seu charitas. Quid charitas, quae idem est cum bono spirituali, paucis dicetur: charitas, seu bonum spirituale, est facere bonum quia verum est, ita est facere verum; ac facere verum est facere illa quae mandata sunt a Domino in Ipsius Verbo; inde patet quod charitas sit bonum spirituale; et cum homo facit bonum quia verum est, seu facit verum, tunc charitas fit bonum morale, quod in externa forma est simile bono, quod apud omnem hominem, qui moralis et civilis homo est, hodie fit; sed differentia est quod bonum morale genuinum sit bonum ex bono spirituali, a quo illud procedit; bonum spirituale enim est ex Domino,

at bonum morale est ex homine; quare nisi bonum ex homine sit ex Domino, ita per hominem a Domino, non est bonum; finis propter quem declarat quale est: bonum morale separatum a bono spirituali spectat hominem, ejus honorem, lucrum et voluptatem, ut fines propter quos; at bonum morale ex bono spirituali spectat Dominum, caelum, et vitam aeternam pro fine. Haec dicta sunt ut sciatur unde est quod non verum fidei sit ubi non bonum charitatis; consequenter, quod ubi illa duo non sunt ecclesia devastata sit, de qua re hic et in nunc sequentibus in *Apocalypsi* agitur. (Quod non fides sit ubi non charitas, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 33-39.) Quod "botrus" et "uva" significent bonum charitatis, constare potest a locis in Verbo ubi nominantur, ut in sequentibus:—Apud *Jeremiam*,

> "Consumendo consumam eos,..non uvae in vite, neque ficus in ficu, et folium defluens, et dabo illis qui transeunt super illos" (viii. 13):

"non uvae in vite," significat quod non bonum spirituale apud hominem; "non ficus in ficu," significat quod non bonum naturale apud illum; "vitis" et "ficus" significant hominem quoad ecclesiam, ita ecclesiam apud illum; sed haec videantur supra (n. 403[*b*]) explicata. Apud *Esaiam*,

> "Vinea fuit dilecto meo in cornu filii olei; quam circumdedit et elapidavit eam, et plantavit eam vite nobili, ac aedificavit turrim in medio ejus, etiam torcular excidit in ea, et exspectavit ut faceret uvas, sed fecit labruscas" (v. 1, 2, 4):

per "vineam" quae fuit dilecto, significatur ecclesia spiritualis, quae apud filios Israelis instituta fuit; "in cornu filii olei," significat cui fuerunt vera ex bono charitatis; "quam circumdedit et elapidavit," significat custoditam a falsis et malis; "plantavit vite nobili," significat cui vera genuina; "aedificavit turrim in medio ejus," significat interiora in quae influxus et per quae communicatio cum caelo; "etiam torcular excidit in ea," significat productionem veri ex bono: "exspectavit ut faceret uvas, sed fecit labruscas," significat spem fructificationis illorum ex bono charitatis, sed incassum, quia iniquum loco boni. Apud *Micham*,

> "Vae mihi,..factus sum sicut collectiones aestatis, sicut racemationes vindemiae, non botrus ad comedendum, primitivum desiderat anima mea; periit sanctus e terra, et rectus inter homines [non]; omnes sanguinibus insidiantur" (vii. 1, 2):

dolor propter vastationem boni et inde veri in ecclesia

intelligitur et describitur per "Vae mihi, factus sum sicut collectiones aestatis, sicut racemationes vindemiae;" quod non bonum spirituale, nec bonum naturale amplius, ex quibus colatur Dominus, significatur per quod "non botrus ad comedendum, primitivum desiderat anima mea;" quod non amplius verum spirituale, nec naturale, significatur per "Periit sanctus, et rectus inter homines non;" quod vera et bona Verbi, et inde ecclesiae, destruantur per falsa et mala, significatur per "Omnes sanguinibus insidiantur." Apud *Hoscheam*,

> "Sicut uvas in deserto inveni Israelem, sicut primitivum in ficu in initio ejus vidi patres vestros" (ix. 10):

haec de Ecclesia Antiqua, et de ejus instauratione; illa ecclesia hic intelligitur per "Israelem," primus ejus status intelligitur per "in deserto" ac "in initio," ac bonum spirituale quod apud illos per "uvas;" ac bonum inde oriundum in naturali homine per "primitivum in ficu." Quod homines Antiquae Ecclesiae ibi per "Israelem in deserto" ac per "patres in initio" intelligantur, et non filii Jacobi, constat apud *Mosen*,

> "De vite Sodomae vitis eorum, et de agris Gomorrhae; uvae [1]eorum uvae fellis, botri amaritudinum illis" (*Deutr.* xxxii. 32):

hic filii Jacobi, quales fuerunt in deserto, describuntur; quod apud illos religio infernalis fuerit, quia gentium deos et idola coluerunt, significatur per quod "vitis Sodomae fuerit vitis eorum, et de agris Gomorrhae;" quod pro bonis charitatis illis fuerint odia, ac pro veris falsa inde erumpentia, significatur per quod "uvae eorum uvae fellis, botri amaritudinum illis." Apud *Mosen*,

> "Alligat ad vitem asellum suum, et ad vitem praestantem filium asinae suae, lavat in vino vestimentum suum, et in sanguine uvarum velamen suum" (*Gen.* xlix. 11):

haec in ultimo sermone Israelis patris ad filios suos; hic ad Jehudam, per quem in sensu supremo intelligitur Dominus quoad ecclesiam caelestem et quoad Verbum; et per "sanguinem uvarum" significatur Divinum Verum ex Divino Bono Ipsius, et in sensu respectivo bonum charitatis. (Sed haec et reliqua, in *Arcanis Caelestibus*, n. 6375–6379, explicata videantur.) Per "sanguinem uvarum," verum ex bono spirituali, simile quod per "vinum," significatur etiam *Deutr.* xxxii. 14.

at bonum morale est ex homine; quare nisi bonum ex homine sit ex Domino, ita per hominem a Domino, non est bonum; finis propter quem declarat quale est: bonum morale separatum a bono spirituali spectat hominem, ejus honorem, lucrum et voluptatem, ut fines propter quos; at bonum morale ex bono spirituali spectat Dominum, caelum, et vitam aeternam pro fine. Haec dicta sunt ut sciatur unde est quod non verum fidei sit ubi non bonum charitatis; consequenter, quod ubi illa duo non sunt ecclesia devastata sit, de qua re hic et in nunc sequentibus in *Apocalypsi* agitur. (Quod non fides sit ubi non charitas, videatur in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 33-39.) Quod "botrus" et "uva" significent bonum charitatis, constare potest a locis in Verbo ubi nominantur, ut in sequentibus:—Apud *Jeremiam*,

> "Consumendo consumam eos,..non uvae in vite, neque ficus in ficu, et folium defluens, et dabo illis qui transeunt super illos" (viii. 13):

"non uvae in vite," significat quod non bonum spirituale apud hominem; "non ficus in ficu," significat quod non bonum naturale apud illum; "vitis" et "ficus" significant hominem quoad ecclesiam, ita ecclesiam apud illum; sed haec videantur supra (n. 403[*b*]) explicata. Apud *Esaiam*,

> "Vinea fuit dilecto meo in cornu filii olei; quam circumdedit et elapidavit eam, et plantavit eam vite nobili, ac aedificavit turrim in medio ejus, etiam torcular excidit in ea, et exspectavit ut faceret uvas, sed fecit labruscas" (v. 1, 2, 4):

per "vineam" quae fuit dilecto, significatur ecclesia spiritualis, quae apud filios Israelis instituta fuit; "in cornu filii olei," significat cui fuerunt vera ex bono charitatis; "quam circumdedit et elapidavit," significat custoditam a falsis et malis; "plantavit vite nobili," significat cui vera genuina; "aedificavit turrim in medio ejus," significat interiora in quae influxus et per quae communicatio cum caelo; "etiam torcular excidit in ea," significat productionem veri ex bono: "exspectavit ut faceret uvas, sed fecit labruscas," significat spem fructificationis illorum ex bono charitatis, sed incassum, quia iniquum loco boni. Apud *Micham*,

> "Vae mihi,..factus sum sicut collectiones aestatis, sicut racemationes vindemiae, non botrus ad comedendum, primitivum desiderat anima mea; periit sanctus e terra, et rectus inter homines [non]; omnes sanguinibus insidiantur" (vii. 1, 2):

dolor propter vastationem boni et inde veri in ecclesia

intelligitur et describitur per "Vae mihi, factus sum sicut collectiones aestatis, sicut racemationes vindemiae;" quod non bonum spirituale, nec bonum naturale amplius, ex quibus colatur Dominus, significatur per quod "non botrus ad comedendum, primitivum desiderat anima mea;" quod non amplius verum spirituale, nec naturale, significatur per "Periit sanctus, et rectus inter homines non;" quod vera et bona Verbi, et inde ecclesiae, destruantur per falsa et mala, significatur per "Omnes sanguinibus insidiantur." Apud *Hoscheam*,

> "Sicut uvas in deserto inveni Israelem, sicut primitivum in ficu in initio ejus vidi patres vestros" (ix. 10):

haec de Ecclesia Antiqua, et de ejus instauratione; illa ecclesia hic intelligitur per "Israelem," primus ejus status intelligitur per "in deserto" ac "in initio," ac bonum spirituale quod apud illos per "uvas;" ac bonum inde oriundum in naturali homine per "primitivum in ficu." Quod homines Antiquae Ecclesiae ibi per "Israelem in deserto" ac per "patres in initio" intelligantur, et non filii Jacobi, constat apud *Mosen*,

> "De vite Sodomae vitis eorum, et de agris Gomorrhae; uvae [1]eorum uvae fellis, botri amaritudinum illis" (*Deutr.* xxxii. 32):

hic filii Jacobi, quales fuerunt in deserto, describuntur; quod apud illos religio infernalis fuerit, quia gentium deos et idola coluerunt, significatur per quod "vitis Sodomae fuerit vitis eorum, et de agris Gomorrhae;" quod pro bonis charitatis illis fuerint odia, ac pro veris falsa inde erumpentia, significatur per quod "uvae eorum uvae fellis, botri amaritudinum illis." Apud *Mosen*,

> "Alligat ad vitem asellum suum, et ad vitem praestantem filium asinae suae, lavat in vino vestimentum suum, et in sanguine uvarum velamen suum" (*Gen.* xlix. 11):

haec in ultimo sermone Israelis patris ad filios suos; hic ad Jehudam, per quem in sensu supremo intelligitur Dominus quoad ecclesiam caelestem et quoad Verbum; et per "sanguinem uvarum" significatur Divinum Verum ex Divino Bono Ipsius, et in sensu respectivo bonum charitatis. (Sed haec et reliqua, in *Arcanis Caelestibus*, n. 6375–6379, explicata videantur.) Per "sanguinem uvarum," verum ex bono spirituali, simile quod per "vinum," significatur etiam *Deutr.* xxxii. 14.

Quod "uvae" significent bonum charitatis, est quia per "vineam" significatur ecclesia spiritualis, et per "vitem" homo illius ecclesiae; ideo per "botros" seu "racemos," et per "uvas," quae sunt fructus, significantur bona quae faciunt illam ecclesiam, quae bona vocantur bona spiritualia, et quoque bona charitatis; et quia ex bono omne verum est, sicut ex uvis omne vinum, ideo per "vinum" in Verbo significatur verum ex bono (de qua "vini" significatione videatur supra, n. [x]220[*b*], 376). Per "botros" autem seu "racemos" proprie significantur variationes status boni spiritualis seu boni charitatis, quia in illis plures uvae in serie cohaerent; quid autem per variationes status boni intelligitur, alibi dicetur. Quoniam per terram Canaanem repraesentabatur et inde significabatur ecclesia, et ecclesia est ecclesia ex bono spirituali, hoc enim est character ecclesiae, ideo

> **Exploratores ex terra illa retulerunt botrum uvarum magnitudine insigni, portatum in vecte per duos (*Num.* xiii. 23, 24):**

hoc signum repraesentativum ecclesiae, per "terram Canaanem" [significatae], fuit. Quod ecclesia sit ecclesia ex bono charitatis, est quia hoc bonum in se spectatum est bonum vitae oriundum ex amore in Dominum, consequenter est effectus amoris illius. Per bonum charitatis intelligitur justum, sincerum et rectum in omni opere et in omni functione, ex amore justi, sinceri et recti; qui amor unice est a Domino. Quoniam adhuc ignotum est quid repraesentabatur per Naziraeum, et quid significabatur per quod abstineret ab uvis et a vino, et quod crescere faceret comam capitis sui, licet illud hic detegere. De abstinentia ab uvis et a vino ita legitur,

> **"A vino et sicera abstinebit se, acetum vini et acetum micerae non bibet, immo omnem macerationem uvarum non bibet: uvas quoque recentes aut aridas non comedet: omnibus diebus naziraeatus sui, ab omni quod ex uva fit vini, ab acinis usque ad cutem, non comedet" (*Num.* vi. 3, 4):**

haec lex fuit Naziraeo, antequam impleverat dies naziraeatus sui, quia tunc repraesentabat Dominum quoad primum Ipsius statum: primus status fuit Domino, sicut est omni homini, quod fuerit sensualis; omnis enim homo primum est sensualis, postea fit naturalis et rationalis, dein spiritualis, et demum, si tertius gradus apud illum aperitur, fit caelestis, qualis est angelus tertii caeli. Sensuale homi-

nis significatur per "crinem capitis" (videatur supra, n. 66, 555). Et quia sensuale est extremum vitae hominis, ac in extremo residet omnis potentia, ideo Naziraeis fuit tantum robur. Quod in extremis seu ultimis resideat omnis potentia, consequenter in sensu ultimo Verbi, qui est sensus litterae, qui etiam comae correspondet et illam significat, videatur supra (n. 346, 417, 567, 666, 726). Talis potentia fuit Domino cum fuit puer, qua devicit et subjugavit inferna dirissima, ubi omnes sensuales sunt. Hic status Domini repraesentabatur per dies impletionis apud Naziraeos, quibus impletis intravit Dominus a sensuali et naturali in Divinum spirituale et caeleste. Nunc quia ille status ac ejus bonum et verum significatur per "uvas et per "vinum," ideo non licitum fuit Naziraeo comedere uvas et bibere vinum antequam impleverat illos dies; quod postea ei licitum fuerit, patet ex versu 20 illius capitis, ubi dicitur,

"Deinceps bibet Naziraeus vinum."

Quod in fine dierum impletionis

Tonderet caput, et daret crinem capitis super ignem qui sub sacrificio pacificorum (vers. 18),

repraesentabat sensuale tunc novum ex Divino caelesti, novus enim crinis postea Naziraeo crevit: et quoque repraesentabat quod Dominus ex Divino Vero ultimo, quod est sensus litterae, intraverit in Divinum Verum interius, quod est Verbum in sensu interno, usque ad supremum ibi: nam Dominus, dum in mundo erat, fuit Verbum, quia Divinum Verum, ac illud interius per gradus sicut adolevit, usque ad supremum ejus, quod est pure Divinum, prorsus supra angelorum perceptiones. Sciendum est quod Dominus, dum fuit in mundo, ab infantia usque ad ultimum diem ibi, successive progressus sit ad unionem cum ipso Divino, quod in Ipso fuit ex conceptione. (De qua successiva progressione videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1864, 2033, 2632, 3141, 4585, 7014, 10076.) Ex his constare potest quid repraesentabat, quod Naziraeo non concessum fuerit comedere aliquid ex uva, nec bibere aliquid ex vino, ante impletionem dierum naziraeatus sui.

919. [*Vers.* 19.] ***"Et misit angelus falcem suam in terram, et vindemiavit vineam terrae."***—Quod significet *hoc factum*, constat ex illis quae in mox superiori articulo dicta sunt. Quod "vinea" significet ecclesiam spiritualem, constat ex

locis in Verbo ubi "vinea" dicitur

(Ut *Esai.* i. 8; cap. iii. 14; cap. v. 1–10; cap. xvi. 10; cap. xxxvi. 17; cap. xxxvii. 30; cap. lxv. 21: *Jerem.* xii. 10; cap. xxxii. 15; cap. xxxv. 7, 9; cap. xxxix. 10: *Ezech.* xxviii. 26: *Hosch.* ii. 15: *Amos* iv. 9; cap. v. 11, 17; cap. ix. 14: *Mich.* i. 6: *Zeph.* i. 13: [1]1 *Sam.* viii. 14, 15: *Psalm.* cvii. 37: *Matth.* xx. 1–8; cap. xxi. 28, 38–41: *Marc.* xii. 1–9: *Luc.* xiii. 6, 7; cap. xx. 9–16: de "Vite," *Joh.* xv. 1–12: praeter in historicis Verbi):

ex quibus evidenter constare potest, quod per "vineam" intelligatur ecclesia. (Videatur etiam supra, n. 376[b,c], 403[b], 638[a], 918, ubi plura loca de "vinea" explicata sunt.) Ex significatione "vineae" constare potest quod per "vindemiare" significetur colligere ad usus illa quae inservitura sunt intellectui, et datura intelligentiam et sapientiam, ac in opposito sensu devastare ecclesiam quoad bonum spirituale, et sic quoad affectionem ac intellectum veri: in opposito hoc sensu dicitur "vindemia" et "vindemiare," cum non amplius racemi seu uvae residuae sunt; per quod in spirituali sensu significatur quod omne bonum spirituale, et inde omne verum quod in se verum est, deperditum sit, quod imprimis in ecclesia fit per falsificationes Verbi; tum quando malum vitae corrumpit omne bonum, et tunc falsum doctrinae pervertit omne verum; hoc describitur etiam [per] "vastatores" et per "fures." Quod itaque per "vindemiationem" significetur devastatio, patet ex sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Clamor super vino in plateis, commiscebitur omne gaudium, exulabit laetitia terrae; reliquum in urbe vastitas, et usque ad devastationem contundetur porta: sic namque erit in medio terrae....sicut strictura oleae, sicut racemationes quando consummata est vindemia" (xxiv. 11–13);

per haec describitur luctus super devastatione ecclesiae quoad bonum caeleste et quoad bonum spirituale, quod in sua essentia est verum ex caelesti; devastatio illa comparatur "stricturae oleae," et "racemationibus dum consummata est vindemia." (Sed haec prius, n. 313[b], 638[c], explicata videantur.) Apud eundem,

"Filiae confidentes auribus, percipite sermonem meum; annum supra annum commovebimini, confidentes, quia consummatur vindemia, collectio non veniet" (xxxii. 9, 10):

per "filias confidentes" significantur illi in ecclesia qui plus amant falsa quam vera; quod vera apud illos successive et in omni statu diminuantur, significatur per quod "annum supra annum commoverentur;" devastatio omnis veri usque

dum nihil superest, significatur per quod "consummabitur vindemia," et quod "collectio non veniet." Apud *Jeremiam*,

> "Super fructus autumni tuos, et super vindemiam tuam vastator cecidit, unde collecta est laetitia, et gaudium ex Carmele" (xlviii. 32, 33):

per "fructus autumni" significantur bona ecclesiae, per "vindemiam" significantur vera ejus, nam "panis," qui ibi est "fructus autumni," significat bonum ecclesiae, ac "vinum" quod est "vindemiae," significat verum ejus; per "vastatorem" qui cecidit super illa, significatur malum et inde falsum; quod jucundum amoris spiritualis et caelestis, quod est ipsum gaudium cordis, periturum sit, significatur per quod "laetitia et gaudium ex Carmele colligentur." Apud *Micham*,

> "Vae mihi,..factus sum sicut collectiones aestatis, sicut racemationes vindemiae; non botrus ad comedendum, primitivum desiderat anima mea" (vii. 1):

"sicut racemationes vindemiae, non botrus ad comedendum," significat devastationem ecclesiae talem ut non amplius aliquod bonum et verum sit. (Reliqua videantur in mox praecedente articulo explicata.) Apud *Jeremiam*,

> "Si vindemiatores venerint tibi, non..relinquent racemationes; si fures in nocte, corrumpent sufficientiam" (xlix. 9):

apud *Obadiam*,

> "Si fures venerint tibi, si eversores noctu, [1]quomodo excisus eris, nonne furabuntur quod [2]illis satis? si vindemiatores venerint tibi, numquid relinquent racemos?" (vers. [3]5:)

per "vindemiatores" significantur falsa, et per "fures" mala, quae devastant vera et bona ecclesiae; per "eversores" autem, tam falsa quam mala; per quod "non relinquent racemos," significatur quod non aliqua bona quia non vera. Per "vindemiare" autem significatur colligere ad usus, imprimis talia quae inservitura sunt intellectui,

> Apud *Jeremiam*, cap. vi. 9: *Levit.* xix. 10; cap. xxvi. 5: *Deutr.* xx. 6, 7; cap. xxiv. 21.

920. ***"Et conjecit in torcular irae Dei magnum."***—Quod significet *ex non bono spirituali, quod est charitas, falsificationem Verbi quoad omne verum spirituale, ac inde damnationem*, constat ex significatione "torcularis," quod sit productio veri ex bono, nam per "botros" et "uvas," quae

mittebantur in torcular, significatur bonum spirituale, ac per "vinum" quod producebatur significatur verum ex bono illo (videatur supra, n. [1]220[b], 376). Quia productio veri ex bono spirituali per "torcular" significatur, ideo in opposito sensu productio falsi ex malo per illud significatur; nam similiter ut bonum producit verum, ita malum bono oppositum producit falsum. Quod "torcular" hic significet falsificationem Verbi quoad omne verum spirituale, est quia vocatur "torcular irae Dei magnum," ac per "iram Dei" significatur contemptus et rejectio veri ac boni ab homine, et summa rejectio ab illo est falsificatio sensus litterae Verbi usque ad destructionem veri spiritualis, seu Divini Veri quod est in caelo; quod haec falsificatio claudat caelum, videatur [supra] (n. 888). Etiam illi qui in malo sunt, in quo sunt omnes qui non in bono charitatis sunt, non possunt aliter quam producere falsa; nam sicut bonum producit vera, ita malum producit falsa. Quod "torcular irae Dei magnum" etiam significet damnationem, est quia id est consequens, et quia dicitur "ira Dei," et "torcular magnum." Quod "torcular" illa quae nunc dicta sunt significet, in sequente articulo ex Verbo confirmabitur. Paucis hic dicetur de productione veri ex bono, et quoque falsi ex malo, quae per "torcular" in spirituali sensu significatur. Productionis origo et causa est, quia omne bonum est amoris, et quod amatur hoc jucundum est; et quia jucundum est gratum ac permulcet, ideo quod amoris est hoc homo ex jucundo cogitat et quoque confirmat; nunc quia amor et ejus jucundum facit vitam hominis, ideo dum homo ex amore et ejus jucundo cogitat, tunc ex se et ex sua vita cogitat: quod ita sit, manifeste constare potest ex hominibus post mortem, dum fiunt spiritus; illi tunc nullatenus possunt cogitare, dum ex se, nisi ex suo amore, quia tota illorum vita est illorum amor. Quoniam itaque bonum est amoris, et verum est cogitationis, patet quomodo verum producitur ex bono. Simile quod dictum est de bono et vero, dicendum est de voluntate et intellectu; omne enim bonum quia est amoris est voluntatis, et omne verum ex bono quia est cogitationis est intellectus; nam voluntas amat, ac intellectus cogitat. Simile quod dictum est de bono et vero, etiam dicendum est de calore et luce; calor enim spiritualis est amor qui accendit voluntatem, ac lux spiritualis est

verum quod illustrat intellectum; omnis enim amor, qui est voluntatis, sistit effigiem sui in luce intellectus, ibi cognoscit se, et quia amat se vult semet videre; inde quoque est quod homo cogitet quod amat. Simile quod dictum est de productione veri ex bono, dicendum etiam est de productione falsi ex malo; nam omne malum est amoris, et inde amat falsum, ac malum est voluntatis et falsum est cogitationis inde. Haec dicta sunt, quia per "torcular" in spirituali sensu significatur productio veri ex bono, tum productio falsi ex malo. Quod etiam per "torcular irae Dei magnum" significetur falsificatio Verbi, est quia falsificatio Verbi est quoque productio falsi ex malo; malum enim falsificat, nam malum amat ideam sui in cogitatione, et cogitatio vult id confirmatum habere in Verbo, ut persuadeat.

VERSUS 20.

921. ***"Et calcatum est torcular extra urbem, et exivit sanguis e torculari usque ad frena equorum, a stadiis mille sexcentis."***

20. ***"Et calcatum est torcular extra urbem,"*** significat *productionem falsi ex malo ab inferno* [n. 922]; ***"et exivit sanguis e torculari usque ad frena equorum,"*** significat *falsificationes Verbi usque ad dominium super intellectum profluentes ex malo* [n. 923]; ***"a stadiis mille sexcentis,"*** significat *mala in omni complexu* [n. 924].*

922[*a*]. [*Vers.* 20.] ***"Et calcatum est torcular extra urbem."***— Quod significet *productionem falsi ex malo ab inferno*, constat ex significatione "calcare torcular," quod sit producere verum ex bono, et in opposito sensu producere falsum ex malo; nam "uvae," ex quibus in torculari fiebat vinum, significant bonum charitatis, et in opposito sensu malum; et ex bono producitur verum, et ex malo falsum; quod haec, tum falsificationes Verbi, per "torcular irae Dei magnum" significentur, ex mox praecedente articulo (n. 920) videatur: et ex significatione "extra urbem," quod sit ex inferno; per "urbem" enim significatur doctrina veri ex Verbo (videatur supra, n. 223), "extra urbem" autem doctrina falsi ex falsificato Verbo; et quia falsificatio Verbi est ex inferno, inde per "extra urbem" [1]significatur ex inferno. Per "urbem" in Verbo significatur doctrina, at per "urbem Davidis" seu "Zionem," et per "urbem Hierosolymam,"

[* NOTA AUCTORIS:—Vide caput] xix.; ubi Dominus ut Verbum.

significatur ecclesia quoad Verbum et quoad doctrinam ex Verbo; inde per "extra urbem" significatur non ex Verbo et doctrina inde, et quae non ex Verbo et ex doctrina inde, ex inferno sunt. "Extra urbem" simile significat quod "extra castra" filiorum [Israelis] in deserto, per "castra" enim illorum significabatur caelum et ecclesia, et per "extra castra" significabatur infernum; quare leprosi et omnes immundi emittebantur extra castra (*Levit.* xiii. 46; *Num.* v. 1–6); et quoque excrementa, per quae significabantur infernalia, deferebantur extra castra (*Deutr.* xxiii. 13, 14).

[*b.*] Quod "torcular" et "calcare illud" significet productionem falsi ex malo, et productionem veri ex bono, constare potest ex Verbo, ubi "torcular" dicitur. Quod significet productionem falsi ex malo, ex sequentibus:—In *Threnis*,

> "Prostravit omnes robustos meos Dominus in medio mei, proclamavit contra me constitutum tempus ad frangendum juvenes..: torcular calcavit Dominus..filiae Jehudae" (i. 15):

agitur ibi de fine ecclesiae apud gentem Judaicam; et per "robustos" quos "Dominus in medio ejus prostravit," significatur destructio amoris boni; illi qui in amore boni sunt, in Verbo dicuntur "robusti," quia bonum ex amore ejus valet contra inferna, et inde robustum est; "in medio" significat omnes et ubivis; per "frangere juvenes" significatur destructio omnis intellectus veri; "constitutum tempus" est quando omnia tam bona quam vera ecclesiae apud illam gentem devastata sunt; hoc tempus erat cum Dominus in mundum venit, ac intelligitur per "plenitudinem temporum:" inde per "torcular calcavit Dominus filiae Jehudae," significatur perversio ecclesiae, et adulteratio Verbi ex malis vitae et falsis doctrinae producta; "filia Jehudae" est ecclesia ex doctrina veri ex Verbo, ac "torcular" est productio falsi ex malo, et inde adulteratio Verbi, et eversio ecclesiae: tribuitur hoc Domino in sensu litterae, sed hoc invertitur in sensu spirituali, in quo intelligitur quod illud ab ipsa gente. Apud *Joelem*,

> "Emittite falcem quia maturuit messis; venite, descendite, quia plenum est torcular, exundarunt lacus; eo quod magna malitia eorum" (iv. [*B. A.* iii.] 13):

devastatio ecclesiae quoad bonum et quoad verum ita

describitur; et per quod "plenum sit torcular, et exundent lacus," significatur quod non nisi quam falsa ex malo essent. (Reliqua videantur supra, n. 911[*b*], explicata.) Apud *Hoscheam*,

> "Ne laeteris, Israel, super similitudine, sicut gentes; quia scortatus es sub Deo tuo, amasti mercedem meretriciam super omnibus areis frumenti; area et torcular non pascet eos, et mustum mentietur illi" (ix. 1, 2):

agitur ibi de falsificatione Verbi; "area et torcular non pascet eos," significat quod ex Verbo non haurient bona et vera, quae nutriant animam. (Sed haec etiam prius, n. 695[*d*], explicata sunt.) Apud *Jeremiam*,

> "Super vindemiam tuam vastator cecidit, unde collecta est laetitia, et gaudium ex Carmele, et ex terra Moabi; et vinum ex torcularibus cessare feci, non calcabit hedad, hedad non hedad" (xlviii. [32,] 33, 34):

quid per "vindemiam" super quam vastator cecidit, et quid per "laetitiam et gaudium" quae collecta sunt, significatur, videatur supra (n. [1]919); quod non verum amplius quia non bonum, significatur per "Fecit cessare vinum in torcularibus;" et quod non gaudium ex aliquo amore spirituali amplius, significatur per "Non calcabit hedad;" ovatio calcantium torcular intelligitur per "hedad." Apud *Esaiam*,

> "Quis hic qui venit ex Edom, conspersus vestes ex Bozra, hic honorabilis in vestitu suo, incedens in multitudine roboris sui? Ego qui loquor in justitia, magnus ad salvandum. Quare rubicundus quoad vestem tuam, et vestes tuae sicut calcantis in torculari? Torcular calcavi solus, et de populis non vir Mecum; propterea calcavi eos in ira mea, et conculcavi eos in excandescentia mea; unde sparsa est victoria eorum super vestes meas, et omne vestimentum meum pollui" (lxiii. 1–3):

haec de Domino, et de pugnis Ipsius contra omnia inferna; et quia contra illa ex Humano, in quo Ipsum Divinum fuit, pugnavit, dicitur, "Quis hic venit ex Edom, conspersus vestes ex Bozra?" per quae significatur pugnans ex Bono Amoris et ex Vero, quae ex Divino; *Edom* enim significat rubicundum, et *Bozrah* vindemiationem, ac "rubicundum" dicitur de bono, ac "vindemiatio" de vero; et quia illa per "Edomum" et per "Bozram" significantur, ideo in sequentibus dicitur, "rubicundus" et "sicut calcans in torculari:" et quia Divinum Bonum ac Divinum Verum, quod hic intelligitur, est Verbum in littera, et hoc significatur per "vestes Domini," ideo dicitur, "conspersus vestes," tum "honorabilis in vestitu suo;" et quia Verbo in littera inest

omne robur, dicitur, "incedens in multitudine roboris sui:" judicium super bonos et super malos ex Divino suo, et salvatio inde, intelligitur per "Ego qui loquor in justitia, magnus ad salvandum:" violentia illata Verbo a gente Judaica, significatur per "Quare rubicundus quoad vestem, et vestes tuae sicut calcantis in torculari?" "rubicundus quoad vestem" dicitur de violentia illata Divino Bono Verbi, quod supra per "Edomum" intellectum est, ac "vestes sicut calcantis in torculari" dicuntur de violentia illata Divino Vero ibi, quod supra per "Bozram" intellectum est: "vestes Domini" significant Verbum in littera, cui violentia illata est per adulterationes et falsificationes ejus; prostratio infernorum ac falsorum inde ex propria potentia, significatur per "Torcular calcavi solus, et de populis non vir Mecum:" dejectio illorum in inferna qui in diris malis et inde falsis fuerunt, significatur per "Calcavi eos in ira mea, et conculcavi eos in excandescentia mea;" "ira" dicitur de malis et "excandescentia" de falsis; haec tribuuntur Domino, tametsi illi qui in malis et inde falsis sunt irascuntur et excandescunt contra Dominum; et quia judicium, quo subjugata sunt inferna, factum est a Domino per tentationes in Humanum suum admissas, usque ad ultimam quae fuit passio crucis, ideo dicitur, "Unde sparsa est victoria eorum super vestes meas, et omne vestimentum meum pollui;" Dominus enim per omnia passionis suae, et per ultimam in cruce, repraesentavit violentiam a gente Judaica illatam Verbo, seu Divino Vero (de qua re videatur supra, n. 183[*b*], 195[*c*] fin., 627[*c*] fin., 655[*a*], 805[*d*]).

[c.] Quod per "torcular" et "calcationem ejus" significetur productio veri ex bono, quia per "uvam" significatur bonum spirituale, ac per "vinum ex uva" verum ex illo bono, constat ex sequentibus locis:—Apud *Joelem*,

> "Filii Zionis gaudete,....plenae sunt areae frumento.., et exundant torcularia mustum et oleum" (ii. 23, 24):

"filii Zionis" significant illos qui in sapientia sunt ex Divino Vero; "plenae sunt areae frumento," significat bonum caeleste quod illis in copia; "exundant torcularia mustum et oleum," significat ex bono charitatis illis verum et ejus jucundum. Apud *Matthaeum*,

> "Homo Paterfamilias..plantavit vineam, et sepem ei circumposuit, et

fodit in ea torcular, et aedificavit turrim, et locavit..agricolis," qui occiderunt servos ad illos missos, et denique Filium (xxi. 33);

per "vineam," quam Paterfamilias plantavit, significatur ecclesia apud filios Jacobi instituta; per "sepem," quam ei circumposuit, significatur custodia a falsis mali quae ab inferno; "et fodit in ea torcular," significat quod ei bonum spirituale; "et aedificavit turrim," significat vera interiora ex illo bono, quae spectabant caelum; "et locavit agricolis," significat populo illi; qui occiderunt "servos ad illos missos," significat prophetas; et denique "Filium," significat Dominum. Apud *Esaiam*,

"Vinea fuit dilecto meo in cornu filii olei, quam circumdedit et elapidavit; et plantavit eam vite nobili, et aedificavit turrim in medio ejus etiamque torcular excidit in ea, et exspectavit ut faceret uvas, sed fecit labruscas" (v. 1, 2):

per "vineam," "turrim" et "torcular" hic similia significantur quae mox supra apud *Matthaeum*. (Reliqua videantur, n. 918, explicata.) In plerisque locis ubi "vindemia" et "torcular," etiam simul "messis" et "area" dicitur;

(Ut *Hosch.* ix. 1, 2: *Joel* ii. 23, 24; cap. iv. [*B. A.* iii.] 13: *Num.* xviii. 26–30: *Deutr.* [1]xv. 14; cap. xvi. 13: 2 *Reg.* vi. 27;)

ex causa quia "messis" et "area," ex frumento et pane, significat bonum amoris caelestis, qui est amor in Dominum, ac "vindemia" et "torcular," ex uva et vino, significat bonum amoris spiritualis, qui est amor erga proximum; bini enim illi amores unum faciunt sicut causa efficiens et effectus. Haec dicta sunt, quia in *Apocalypsi* hic similiter dicitur de "messe," et postea de "vindemia" (de "messe," vers. 14, 15; et de "vindemia," vers. 19).

923. ***"Et exivit sanguis e torculari usque ad frena equorum."***—Quod significet *falsificationes Verbi usque ad dominium super intellectum profluentes ex malo*, constat ex significatione "exire e torculari," quod sit produci seu profluere ex malo (de qua in articulis, n. 920, 922, supra); ex significatione "sanguinis," quod sit falsificatio Verbi, per "sanguinem" enim in genuino sensu significatur Divinum Verum, at in opposito sensu significatur violentia illata Divino Vero seu Verbo, quod est falsificatio ejus (de qua "sanguinis" significatione videatur supra, n. 329[*f*,*g*]); et ex significatione "usque ad frena equorum," quod sit usque ad dominium super intellectum, per "equos" enim significatur intellectus, ac per "frena illorum"

regimen et dominium; nam insidens equis per frenum regit illos et dominatur super illos. (Quod "equi" significent intellectum veri ex Verbo, videatur supra, n. 355, 364; et quod "frena" regimen et dominium, videbitur infra.) Quod dominium super intellectum attinet, est intellectus veri in Verbo qui intelligitur; dum enim falsa religionis confirmantur ex sensu litterae Verbi, tunc intellectus non amplius videt verum; unusquisque enim qui in affectione veri spirituali est, a Domino illustratur dum legit Verbum, ac intellectus est qui illustratur: qui autem non in affectione veri spirituali est, non quoad intellectum potest illustrari, nam is videt verum sicut in nocte, ac falsum sicut in luce: et quia ecclesia talis est in fine ejus, tunc in tantum perit intellectus veri ut non illustrari possit, nam tunc tantum falsa religionis confirmantur ex Verbo, hoc est, falsificatur Verbum; hoc fit apud illos qui per "Babylonem," vers. 8, et per "bestiam," vers. 10, hujus capitis, intelliguntur; de "Babylone" enim dicitur, quod "ex vino irae scortationis suae potaverit omnes gentes;" et de "bestia" ibi, quod "qui adoraverit bestiam, bibet ex vino irae Dei mixto mero excandescentiae Ipsius;" quod per haec et per illa significentur falsificationes Verbi, videatur supra (n. 881 et 887). Quod intellectus veri in Verbo, apud tales qui intelliguntur per "habitatores Babylonis" et per "adoratores bestiae," perierit, est quia illis non aliquod bonum spirituale est; et hoc bonum, quod est bonum charitatis a Domino, unice aperit mentem spiritualem, per quam influit Dominus et illustrat, et absque illius mentis aperitione non dari potest illustratio, proinde nec intellectus veri: qui credit quod ex lumine rationis solo possit videre aliquod verum ecclesiae, multum fallitur; scire quidem illud ex alio potest, sed non videre illud in luce; dum vult videre illud seu cogitatione assequi illud, oberrant merae umbrae ex falsis, quae scaturiunt ex fallaciis et ex proprio hominis, quae occaecant. Ex his constare potest quid intelligitur per falsificationes Verbi usque ad dominium super intellectum profluentes ex malo, quae significantur per "sanguinem e torculari exeuntem usque ad frena equorum." In Verbo aliquibus in locis dicitur "frenum," et per id in sensu spirituali significatur coercitio et regimen, ac praedicatur de intellectu et ejus cogitatione, ex causa quia frenum est equis, et per "equos"

significatur intellectus; et apud illos quibus non intellectus est, per "equos" significantur ratiocinationes ex falsis. Inde patet quid significatur per "frenum" apud *Esaiam*,

"Ponam hamum meum in nasum tuum, et frenum meum in labia tua, et reducam te per viam per quam venisti" (xxxvii. 29):

haec de rege Aschuris, per quem significatur ratiocinatio ex falsis; nam per "Aschurem" in bono sensu significatur rationale; rex ille quia tunc obsidebat Hierosolymam et blasphemabat Deum, ei dictum est quod "poneretur hamus in nasum ejus," per quod significatur quod ei erit stupiditas et fatuitas, nam "nasus" significat perceptionem, et "hamus" extractionem ejus, proprie immersionem in sensuale corporeum, quod separatum a rationali est stupidum; tum dictum est quod "frenum poneretur in labia ejus," per quod significatur insania quoad intellectum veri, nam "labia" significant cogitationem ex intellectu, ac "frenum" retractionem ejus; "reducere illum in viam per quam venit," significat in falsa, per quae periturus; quare exercitus ejus, per quem falsa significantur, ingenti clade periit. Apud eundem,

"Labia" Jehovae "plena sunt indignatione,..lingua Ipsius sicut ignis comedens, et spiritus Ipsius sicut flumen inundans, usque ad collum dimidiabit, ad cribrandum gentes cribro vanitatis, et frenum seducens super maxillis populorum" (xxx. 27, 28):

per "labia," "linguam" et "spiritum" Jehovae, significatur Divinum Verum, quod est Verbum, ab ultimis ejus ad intima; illud est quod dicitur esse "plenum indignatione," "sicut ignis comedens," et "sicut flumen inundans," cum adulteratur et falsificatur, ex causa quia adulteratio et falsificatio ejus claudit caelum homini, ac devastat illum; ex apparentia quod caelum hoc faciat, seu quod idem est, Divinum Verum ex quo caelum, dicitur quod ei indignatio, ignis comedens, et flumen inundans sit: "usque ad collum dimidiabit," significat devastationem ejus a falsis usque ut non intelligatur, nam per "collum" significatur conjunctio, quae perit cum aufertur id quod infra est: "ad cribrandum gentes cribro vanitatis," significat adulterationem Verbi per figmenta ab illis qui in malis sunt: "et frenum seducens super maxillis populorum," significat falsificationem veri in Verbo ab illis qui in falsis sunt; "frenum seducens" est proprie abstractio ab intellectu veri; "maxil-

lae" sunt cogitationes a sensuali corporeo, ita ex fallaciis, "populi" praedicantur de illis qui in falsis sunt, et "gentes" de illis qui in malis. Qui non scit correspondentias, opinari potest quod "frenum equorum" significet regimen super intellectum ex sola comparatione; sed est ex correspondentia; quod manifeste constare potest ex eo, quod in mundo spirituali appareant equi varie phalerati et capistrati, et singula quae super equis, una cum illis, correspondentiae sunt.

924. *"A stadiis mille sexcentis."*—Quod significet *mala in omni complexu*, constat ex significatione "stadiorum," quod sint productiones in serie; nam "stadia," sicut "milliaria," et in genere sicut "viae," significant progressiones in serie secundum cogitationes ex affectione: et ex significatione "mille sexcentorum," quod sint bona in omni complexu, et in sensu opposito, ut hic, mala in omni complexu; numerus enim "[1]mille sexcenta" simile significat cum sedecim, et numerus "sedecim" simile cum quatuor et cum duobus, et hi omnes numeri dicuntur de bonis, et in opposito sensu de malis, numeri enim majores multiplicati simile significant cum minoribus et cum simplicibus a quibus per multiplicationem exsurgunt; sicut "duodecim millia" simile cum duodecim, et "duodecim" simile cum tribus et quatuor in se multiplicatis (videatur supra, n. 430[a]. 851). Quod tria in Verbo dicantur de veris, et duo tum quatuor de bonis, ita in opposito sensu tria de falsis, ac duo et quatuor de malis, [videatur] etiam supra (n. 532): inde patet quod "a stadiis mille sexcentis" significentur productiones malorum in continua serie, ita mala in omni complexu. Quod a binis illis devastatoribus ecclesiae, qui intelliguntur per "Babylonem" et per "bestiam draconis," producantur ac producta sint mala in continua serie, et sic mala in omni complexu, multis potest ostendi; sed de devastatione ecclesiae per "bestiam draconis" in explicationibus super cap. xii. et xiii. ostensum est, et de devastatione per "Babylonem," in explicationibus super cap. xvii. et xxiii. infra ostendetur.

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	Str.	
1913	1	*Linea per verba uncis interclusa calamo auctoris ducta est: videantur autem eadem verba, in articulo,* n. 708.
	2	*clamavit* pro "*et clamavit*"
1914	1	vii. *pro* "vi."
	2	domo *pro* "homine"
	3	*Ipsius* pro "*suorum*"
	4	xxxii. *pro* "xxii."
1915	1	iv. *pro* "xiv."
1916	1	corde *pro* "*ventre*" (*vid. A. C.*, n. 2788).
1917	1	"Discipuli":—*sic editio photolith.; forte legeris* Populus.
1918	1	*Videatur nota proxima antecedens.*
	2	*Marc.* ix. 7; *Luc.* ix. 35; *Matth.* xvii. 5 *pro* "*Matth.* xv. 5, *Marc.* ix. 7, *Luc.* ix. 35"
1921	1	significatur *pro* "significantur"
	2	descendit *pro* "descendet" (*videatur infra explicatio; tum A. C.*, n. 598).
1922	1	centum et octoginta et quinque millia *pro* "180000" (*vide A. C.*, n. 4236).
1923	1	earum (*ut in loco citato*) *pro* "eorum"
1926	1	34 *pro* "14"
1927	1	seducat *pro* "*seducant*" (*vid. infra*, n. 823).
	2	"adorantes":—*sic ed. photolith.; sic etiam Schmidius. Videatur autem infra*, n. 823, *ubi legimus* "habitantes" *quod rectius interpretatur textum Graecum.*
1930	1	differentia *pro* "differentia est"
	2	87–102 *pro* "103 ad 115"
1931	1	577[*a*] *pro* "578"
1935	1	Beatae *pro* "beati" (*videatur infra*, n. 721[*b*]).
1936	1	"Non":—*sic editio photolith. Videatur infra*, n. 721[*a*], *ubi legitur* "Num".
	2	spiritus est vita *pro* "vita est spiritus"
1937	1	nominis *pro* "hominis"
	2	5 *pro* "55"
	3	"hi":—*sic editio photolith. Vid. A. C.*, n. 9841, *ubi legitur* "hae".
	4	*Davidem* pro "Eundem"
1940	1	serviet *pro* "*serviat*" (*vide A. C.*, n. 3296).
1941	1	illa *pro* "illae"
1944	1	eunuchos *pro* eunuchus (*ut infra, l.* 34).
1945	1	"Canaanem":—*sic ed. photolith.: vide autem A. C.*, n. 8071, *ubi legitur* "Canaanaei."
1946	1	ex *pro* "est"
	2	"boni":—*sic editio photolith. Le Boys des Guays hic legeret* sacerdotii.
1947	1	721 *pro* "719"
1951	1	significantur *pro* "significentur"
1956	1	"extrema":—*sic editio photolith.: videatur autem supra, pag.* 1955, *lin.* 16, 17, *ubi ab auctore substitutum est* "externa" *pro* "extrema" *quod primum scriptum est: vide etiam pag.* 1951, *lin.* 10, *et pag.* 1952, *lin.* 17, *quibus in locis legitur* "externa".
1958	1	8 *pro* "5"
1959	1	conculcabis (*ut supra*, n. 632) *pro* "*conculcabit*"
	2	quia (*ut in loco citato*) *pro* "qui"
	3	*Malachiam* pro "*Micham*"

Pag.	Sig.	
1960	1	agris (*ut supra*, n. 519[*b*]) *pro* "*aquis*"
	2	illis (*ut supra*, n. 519[*b*]) *pro* "illi"
	3	significet *pro* "significat"
1961	1	13, 14 *pro* "33, 34"
1962	1	577 *pro* "578"
	2	et *pro* "in"
1966	1	xxi. 19–21 *pro* "xxii. 18 ad 21"
1968	1	9909 *pro* "9099"
1970	1	intelligentia *pro* "*intelligentiae*"
1971	1	xxi. *pro* "xx"
1973	1	"margaritis":—*sic editio photolith.; sed videatur locus citatus, ubi legitur* "desiderabilibus"; *videatur etiam explicatio.*
1974	1	intelliguntur *pro* "intelligantur"
	2	veritatum *pro* "veritatem"
1976	1	illis *pro* "illi"
	2	29 *pro* "9"
1978	1	fuimus *pro* "*fecimus*"
	2	"nec":—*sic editio photolith.; videatur autem infra*, n. 741[*b*], *ubi legitur* "et"
	3	"Jehovae":—*sic editio photolith. Sed videatur supra, in loco citato, ubi legitur* "terrae".
1980	1	Jacobi *pro* "*Israelis*" (*videatur infra in explicatione*).
1981	1	quod *pro* "quare" (*ut supra, in loco citato*).
1984	1	"non":—*sic editio photolith.: vide autem A. C.*, n. 8398; *tum V. C. R., ed.* 1858, n. 583, *quibus in locis legitur* "No".
1986	1	"obstupescit":—*sic editio photolith.; videatur supra*, n. 412[*f*], *ubi legitur* "obstupescunt".
	2	perterriti (*ut in loco citato*) *pro* "perituri"
1989	1	est doctrina ejus *pro* "est doctrina est doctrina ejus"
1990	1	doctrina *pro* "Ecclesia"
1997	1	20 *pro* "21"
1998	1	"filios tuos":—*sic editio photolith.; sic etiam A. C.*, n. 5376, *cum Schmidio. Vide autem A. C.*, n. 10540, *ubi legimus* "filii tui".
2000	1	"mei":—*sic editio photolith.; videatur autem A. C.*, n. 9479, *ubi legitur* "vestri," *quod textum Hebraicum recte interpretatur.*
2002	1	21 *pro* "26"
	2	38 *pro* "13"
	3	19 *pro* "20"
2006	1	17 *pro* "7"
2010	1	vocatur *pro* "vocat"
2012	1	procedunt *pro* "praecedunt"
2013	1	"aliunde:—*sic editio photolith.; forte legeris* aliquo.
	2	amabit *pro* "*amat*"
2015	1	"dominantium":—*sic editio photolith.; vide autem A. C.*, n. 5215, *ubi legitur* "ad dominandum," *quod textum Hebraicum rectius interpretatur.*
2016	1	"dominantium:"—*sic editio photolith.; videatur autem nota proxima antecedens.*
2017	1	*Micham* pro "Eundem"
2021	1	24 *pro* "25"
2022	1	*Ezech.* pro "*Esai.*"
	2	*Esai.* pro "Cap."
	3	"percutientis":—*sic editio photolith.; sed videatur supra*, n. 386[*b*], 581[*b*]; *tum infra*, n. 817[*d*]; *quibus in articulis legitur* "percutiens".
	4	15 pro "13"
2026	1	"quia":—*sic, nisi cum Schmidio hic legeris* quin. *Littera finalis, in editione photolith., non est clara.*
2028	1	"glocitavit:—*sic editio photolith.; sic Schmidius. Vide infra, ubi in explicatione legitur* "glocitant."
2031	1	19 *pro* "9"
2032	1	80 *pro* "8"
	2	"vos":—*sic editio photolith.; vide autem A. C.*, n. 2708, *ubi legitur* "nos," *quod textum Hebraicum recte interpretatur.*
2333	1	"vos":—*sic editio photolith. Videatur proxima antecedens nota.*
2035	1	"Cantent.... laudem":—*sic editio photolith. Forte legeris* Cantate.... laudem Ipsius (*vide supra*, n. 326[*b,c*], 406[*b*]).
2037	1	ut *pro* "et"
2039	1	viae:—*editio photolith.* (*cum*

Pag.	Sig.	
		· *Schmidio, ed.* 1715,) *habet* "vitae;" *sic etiam supra*, n. 223[*b*]. *Vide autem A. C.*, n. 2708.
	2	"via recti":—*sic editio photolith.; Schmidius habet* "via recta." *Videatur autem supra*, n. 223[*b*], *ubi legitur* "viam rectam," *quod textum Hebraicum rectius interpretatur. Conferatur textus originalis cum Jerem.* xxxi. 9 (*vid. A. C.*, n. 2702).
2040	1	"vos":—*sic editio photolith. In Arcanis Caelestibus*, n. 2708, *legitur* "eam," *quod recte interpretatur textum Hebraicum.*
	2	ii. *pro* "iii."
2041	1	"vos":—*sic editio photolith. In Arcanis Caelestibus*, n. 2708, *legitur* "eam"
2042	1	separatus est *pro* "est separatus est"
	2	5–34 *pro* "5–29"
2043	1	purificatam *pro* "purificatum"
2045	1	"sit":—*sic editio photolith. Ab auctore primum est scriptum* "erit".
2046	1	["belli," quod sit bellum spituale, quod est] falsi contra verum ac veri contra falsum:—*videatur infra, pag.* 2048, *l.* 22.
2048	1	significent *pro* "significant"
2049	1	n. 355[*a*] et 357[*a*] explicata sunt *pro* "n. 518 et 569"
	2	mea *pro* "sua" (*conf.* n. 357[*b*]).
2050	1	xxxi. *pro* "xxx."
2051	1	est *pro* "sit"
	2	1–4 *pro* "5–8"
2055	1	miserantur *pro* "miseratur" (*ut infra, in explicatione*).
2056	1	sit *pro* "sint"
2058	1	5–7 *pro* "6, 7, 8"
	2	6–8 *pro* "7, 8, 9"
2059	1	xx. *pro* "xxi."
2061	1	cum *pro* "*de*"
2062	1	9429 *pro* "9439"
2063	1	dum *pro* "quod, dum"
2064	1	significat *pro* "quod significet"
2067	1	bonam *pro* "*bonum*" (*vid. A. C.*, n. 102).
2068	1	tibi *pro* "*illi*"
2072	1	sunt *pro* "sint"
	2	significet *pro* "significat"
	3	exterius *pro* "interius"
2074	1	1 *pro* "2"
	2	diabolo *pro* "diabolis" (*videatur supra*, n. 504[*c*]).
2075	1	eum *pro* "*eum Satanas*"
2077	1	i. *pro* "ii."
	2	ii. *pro* "iii."
2078	1	Jehovah *pro* "Jehoschuah" (*videatur supra, in loco allato*).
2079	1	Prophetas *pro* "Prophetam"
	2	"quod":—*sic in editione photolith.*
2081	1	xxvi. *pro* "xxiv."
2082	1	"et [non]":—*sic, nisi legeris* nec (*vid. supra*, n. 721[*a*]).
	2	orbis (*ut infra, in explicatione*) *pro* "*terrae*"
2084	1	significat *pro* "significet"
2086	1	2 *Sam.* pro "1 *Sam.*"
2092	1	685 *pro* "684"
2093	1	illis *pro* "illi"
2094	1	"filii":—*sic editio photolith.;* "viri" *autem textum Hebraeum rectius interpretaretur.*
2095	1	11 *pro* "16"
	2	7 *pro* "6"
	3	percutiet *pro* "*percuties*"
2096	1	21 *pro* "24"
	2	8 *pro* "10"
	3	vidit *pro* "odit"
2097	1	quia *pro* "qui"
2099	1	"eos":—*sic editio photolith. Forte* (*ut in A. C.*, n. 2360) legeris "te," quod *textum Hebraicum rectius interpretatur.*
2102	1	ibi *pro* "*tibi*" (*vid. infra*, n. 1015).
2104	1	14 *pro* "4"
2107	1	veniunt *pro* "veniant"
2109	1	5 *pro* "4"
	2	7 *pro* "6"
	3	*Gen.* xvii. 14 *pro* "*Levit.* xvii. 15"
2110	1	xxxv. *pro* "xxxiv."
	2	xxxiv. *pro* "xxiv."
	3	"accipies":—*sic editio photolith.; sic infra*, n. 1182. (*Forte, ut in Arc. Caelest.*, n. 4335, *hic legeris* accipiet, *quod textum Hebraeum rectius interpretatur.*)
	4	sua *pro* "suas"
2111	1	"quod":—*sic editio photo-*

Pag.	Sig.	
		lith.; sic etiam Schmidius.: videatur autem supra, n. 328[*e*], *ubi legitur* "quid".
2111	2	19 *pro* "39"
	3	Erunt (*ut in Arc. Caelest.*, n. 5145) *pro* "Erant".
	4	Foderunt *pro* "Foverunt"
	5	"Afflixerunt compede pedem meum, in terram venit anima mea":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 448[*d*], *ubi legitur*, "Afflixerunt in compede pedem ejus, in ferrum venit anima ejus".
2112	1	37 *pro* "35"
	2	30, 33 *pro* "33, 38"
2113	1	significantur *pro* "significatur"
2114	1	significat *pro* "significatur"
	2	lviii. *pro* "xlviii."
2116	1	"mea":—*sic ed. photolith.; videatur autem supra*, n. 622[*a*], *ubi legitur* "nostra".
2118	1	per "animam hominis" *pro* "per animam hominis et per vasa aeris" (*ubi verba* "per vasa aeris" *cum deletis cohaerere videntur*).
2123	1	531 *pro* "532"
2136	1	766:—*sic editio photolith. Numerus* 765 *praeteritus est.*
2140	1	meridies *pro* "occidens"
	2	724[*d*] *pro* "704"
	3	significant *pro* significat"
2143	1	5 *pro* "15"
2144	1	e terra *pro* "*et terram*" (*vid. A. C.*, n. 3708).
2145	1	xxii. 30 *pro* "xxx. 10"
	2	Aharone *pro* "Aharonem"
2148	1	"terrae":—*sic editio photolith.; vide autem A. C.*, n. 6286, *ubi legitur* "gentium".
	2	perdes *pro* "*perdam*" (*vid. A. C.*, n. 348).
	3	"Israelem":—*sic editio photolith.; videatur autem* versus 22, *in Arcanis Caelestibus*, n. 3580, *ubi legitur* "Jisreelem".
2149	1	"es":—*sic editio photolith.; supra autem*, n. 141[*b*], *et aliis in locis, legitur* "est".
2155	1	"773":—*sic editio photolith.*
	2	cornibus *pro* "capitibus"
2158	1	"Prophetam":—*sic editio photolith. Vide A. C.*, n. 7933, *ubi legitur* "Prophetas," *quod textum Graecum rectius interpretatur.*
	2	553, 577 *pro* "533, 578"
2159	1	separant *pro* "separat"
	2	formant *pro* "format"
2174	1	pardis *pro* "*aquilis*"
2176	1	badii *pro* "balii"
2182	1	6, 7 *pro* "5, 6"
2183	1	coram *pro* "contra"
2185	1	illis *pro* "illi"
	2	aliquid *pro* "non aliquid"
2186	1	consternentur *pro* "*consternantur*"
	2	xxxi. *pro* "xxxii."
2188	1	auferetur *pro* "auferretur"
2190	1	"veniam":—*sic editio photolith.;* veniemus *melius congrueret cum textu Graeco.*
	2	"faciam":—*sic editio photolith;* faciemus *cum textu Graeco melius congrueret.*
	3	"meum":—*sic editio photolith.;* Dei *cum textu Graeco melius congrueret.*
2191	1	27 *pro* "17"
	2	xx. *pro* "xxi."
	3	13 *pro* "12"
2192	1	5 *pro* "1"
2195	1	Libro Primo *pro* "Libro ii."
2196	1	ambulare *pro* "ambulare et vivere"
2199	1	bona *pro* "vera"
2201	1	774 *pro* "772"
2214	1	794 *pro* "795"
2216	1	Dominus *pro* "Dominis"
	2	28 *pro* "29"
2220	1	substiterint *pro* "subsisterint"
2224	1	Bileami *pro* "Davidis"
2226	1	5 *pro* "14". (*In versione Latina Seb. Schmidii, hic versus numeratus est* "14.")
2227	1	significant *pro* "significantur"
2229	1	33 *pro* "30"
2230	1	18 *pro* "17"
2231	1	sit *pro* "est"
	2	238 *pro* "138"
2232	1	credere *pro* "medere"
2239	1	falsificant *pro* "falsificent"
2243	1	ex luce caeli *pro* "ex flamma ex luce caeli": "ex flamma" *cum deletis cohaerere videtur.*
2247	1	18 *pro* "20"
	2	*Matth.* *pro* "Eundem"

Pag.	Sig.	
	3	*Johannem* *pro* "Eundem"
	4	Deum *pro* "*Patrem*"
2248	1	18 *pro* "16"
2249	1	Imputativum *pro* "Imputatio" (*videatur supra, p.* 2245, *l.* 30).
2252	1	*illa* pro "*illis*" (*vide supra, p.* 2245, *l.* 37; *tum infra, ad finem paragraphi hujus*).
	2	40 *pro* "4"
	3	moriatur *pro* "moritur" (*videatur supra*, n. 84).
	4	25, 26 *pro* "21, 22"
2254	1	quid *pro* "quod"
2257	1	26 *pro* "30"
2261	1	significatur *pro* "significat"
2264	1	significat *pro* "significatur"
2265	1	*Jeremiam* pro "*Esaiam*"
2266	1	significat *pro* "significet"
	2	xv. *pro* "xiv."
	3	sit *pro* "sint"
2269	1	meam *pro* "mea"
2270	1	Quis *pro* "Qui"
2271	1	"tuae:"—*sic editio photolith.: forte legeris* eorum.
	2	ecclesiae *pro* "ecclesiae sunt"
	3	in nomen *pro* "in inmen"
2272	1	Aperire *pro* "Aperiri"
	2	Accipient *pro* "Accipiunt"
2273	1	xxv. *pro* "xxx."
	2	"eorum":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 741[*d*], *ubi legitur* "ejus".
	3	venistis *pro* "non venistis"
2275	1	significat *pro* "significet"
	2	intelliguntur *pro* "intelligitur"
	3	describuntur *pro* "describitur"
	4	possidete *pro* "possidere"
2277	1	falsificationes *pro* "etiam falsificationes"
2283	1	Deum *pro* "Patrem"
	2	28, 29, 35, 40, 46–48 *pro* "29, 33, 35, 36, 40, 47, 48"
2286	1	xiv. *pro* "xii."
2289	1	ei *pro* "eis"
2305	1	10 *pro* "3–6"
	2	quae *pro* "quod"
2306	1	hunc (*ut infra*, n. 821[*b*]) *pro* "*tunc*"
2307	1	xxvi. *pro* "xxiv."
2308	1	774 *pro* "714"
2309	1	37 *pro* "32"
2310	1	5581 *pro* "5580"
2312	1	634 *pro* "631"
	2	5114 *pro* "5115"
	3	9215, 9216 *pro* "9216, 9217"
	4	10099 *pro* "10699"
2315	1	e *pro* "in"
	2	83 *pro* "80"
2320	1	"illis":—*sic editio photolith.; forte cum Schmidio legeris* illi.
2321	1	vocare *pro* "vocari"
2322	1	vi. *pro* "v."
2323	1	3 *pro* "8"
2324	1	quidem *pro* "in quidem"
	2	utili *pro* "utile"
2328	1	sicut *pro* "non sciunt"
2330	1	quod *pro* "quam"
2332	1	sciatur *pro* "sed sciatur"
	2	*Delevi* "quod"; *restitui* amant *pro* "ament", volunt *pro* "velint", veniunt *pro* "veniant".
2335	1	viii. *pro* "xviii."
2342	1	"et":—*sic editio photolith.*
	2	838 *pro* "836"
2343	1	receptae *pro* "recepti"
2345	1	"multiplicationem":—*sic ed. photolith.; vide autem textum allatum, quo legitur* "multitudinem"
2346	1	30 *pro* "20"
	2	xviii. *pro* "xvi."
	3	30 *pro* "3"
2348	1	emere *pro* "edere"
2363	1	7 *pro* "17"
2364	1	xxxvii. *pro* "xxxviii."
	2	enumerem *pro* "enumeres" (*vide Ap. Rev.* n. 899).
	3	2, 3, 6, 7 *pro* "1, 2, 5, 6, 7"
	4	tuae *pro* "meae" (*vide supra*, n. 365[*f*]).
2365	1	Deus *pro* "Deus Deus"
2368	1	quae *pro* "qui"
	2	in *pro* "e"
2369	1	14 *pro* "10, 14"
2370	1	270 *pro* "271"
2371	1	646 *pro* "648"
	2	sint *pro* "quod sint"
2373	1	27 *pro* "28"
2375	1	dedisti *pro* "*dedit*"
	2	cognoscant *pro* "*cognoscatis*"
2383	1	"Zionis":—*sic editio photolith.; videatur autem infra*, n. 922[*b*], *ubi legitur* "Jehudae," *quod textum Hebraicum rectius interpretatur.*
2384	1	"Zionis:"—*sic editio photo-*

Pag.	Sig.	
		lith.; videatur nota proxime antecedens.
2387	1	scorto *pro* "*scortem*" (*videatur locus citatus*).
	2	"Implebantur":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 652[*c*], *ubi legitur* "Implebuntur".
	3	"meis":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 652[*c*], *ubi legitur* "ejus".
2388	1	Ipse *pro* "ideo"
	2	"Ipsi":—*sic editio photolith. Forte legeris* Tibi, *quod textum Hebraeum rectius interpratareiur.*
2393	1	Omnis *pro* "Omnia"
2395	1	28 *pro* "18"
2396	1	non ex *pro* "ex non"
2397	1	redimet *pro* "*redimat*" (*vide supra*, n. 328[*d*]).
	2	eorum *pro* "*meam*" (*vide supra*, n. 328[*d*]).
	3	"valde dilatarunt";—*sic ed. photolith.*": *hoc videtur ortum ex* "Unde dilatarunt," *quod habet Schmidius, pro* "Et dilatarunt," *Text. recept.*
2399	1	4533 *pro* "1433" (*vide Indicem Arc. Caelest.*, s. v. **Dolus**).
2402	1	313 *pro* "213"
2403	1	64 *pro* "34"
2405	1	33 *pro* "34"
2406	1	xxv. *pro* "xxiv."
	2	xx. *pro* "xii."
	3	664 *pro* "614"
2413	1	significat *pro* "significet"
2415	1	docet *pro* "docentur"
	2	justificent *pro* "justificant"
2418	1	589 *pro* "859"
2419	1	"vinum":—*sic editio photolith. Forte legeris* merum, *quod cum dictis antecedentibus congrueret* (*vide p.* 2418, *l.* 23–27): "vinum" *vocem Hebraeam non aliam hic interpretatur quam* "merum" *supra.*
2424	1	813 *pro* "812"
2426	1	xvi. *pro* "xvii."
	2	23 *pro* "24"
2428	1	**custodientes** *pro* "custodientibus" (*vide* n. 882).
2434	1	427[*a*] *pro* "487"
2435	1	53 *pro* "52"
	1	audient *pro* "audiant" (*vide* n. 261, 815[*c*], 852[*b*]).
2436	1	"mortuorum":—*sic editio photolith. Forte legisti* justorum, *quod rectius interpretatur textum Graecum.*
	2	xiv. *pro* "iv."
	3	intelligatur *pro* "intelligantur"
2437	1	xi. *pro* "x."
	2	vii. *pro* "viii."
2438	1	*Nonnulli* mors secunda *pro* "resurrectio secunda" *legerunt* (*vide ed. Lond., vol.* iv. *pag.* 330).
2439	1	de *pro* "in"
2440	1	9937 *pro* "9337"
	2	10828 *pro* "10829"
2441	1	ejus *pro* "est"
2445	1	917 *pro* "918"
2447	1	33 *pro* "34"
2449	1	73 *pro* "13"
	2	21 *pro* "22"
2450	1	700[*a*] *pro* "703"
2455	1	"in":—*sic editio photolith.; vide autem A. C.*, n. 9295, *ubi legitur* "e," quod *textum Hebraeum rectius interpretatur.*
2456	1	Gaditis *pro* "Gaddatis"
	2	ramis (*ut in loco citato*) *pro* "capite"
		35–38 *pro* "35, 36, 37, 38, 39"
2460	1	sit *pro* "est"
2467	1	"eorum":—*sic editio photolith.: videatur autem supra*, n. 433[*e*], 618, 653[*b*], *quibus in locis legitur* "ejus".
2468	1	220[*b*] *pro* "219"
2470	1	1 *Sam.* viii. 14, 15 *pro* "Psalm. xviii. 15"
2471	1	quomodo *pro* "quando" (*vi-*
2471	1	*deatur supra*, n. 193[*a*]).'
	2	illis *pro* "illi" (*videatur supra*, n. 193[*a*]).
	3	5 *pro* "4, 5"
2472	1	220[*b*] *pro* "219"
2473	1	significatur *pro* "est"
2475	1	919 *pro* "911"
2477	1	xv. 14 *pro* "xiii. 14, 15"
2480	1	mille sexcenta *pro* "16000"